BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 L
27

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

71.6.5.
71 a 5
71 a 27

Digitized by Google

Digitized by Google

RODERICI À CASTRO LVSITANI
Philoſ. ac Medic. Doct. per Europam notiſſimi.

MEDICUS-POLITICUS:

Sive

DE OFFICIIS MEDICO-POLITICIS TRActatus, quatuor diſtinctus Libris:

IN QVIBVS NON SOLVM BONORVM MEDIcorum mores ac virtutes exprimuntur, malorum verò fraudes & impoſturæ deteguntur: verum etiam pleraq; alia circa novum hoc argumentum utilia atq; iucunda exactiſſimè proponuntur.

OPVS ADMODVM VTILE MEDICIS, ÆGROTIS, ægrotorum aſſiſtentibus, & cunctis aliis litterarum, atque adeo politicæ diſciplinæ cultoribus.

CVM DVPLICI INDICE, VNO CAPITVM: altero rerum præcipuarum.



ANNO cIↃ. IↃ. C. XIV.

HAMBVRGI.

Ex Bibliopolio FROBENIANO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

LIBRORUM ELENCHUS.

1. *Oppreſſis priùs ſenticoſis errorum tribulis : repreſſisq; oppugnantium telis, Medicina ſuo loco collocatur, ejus origo traditur, & reſpectus ad alias facultates.*
2. *Medicus neceſſariis imbuitur diſciplinis, inſtrumentis aptis munitur, bibliothecâ ſelectâ, & fortunæ bonis convenientibus.*
3. *Vitia appunguntur medico inprimis fugienda, virtutes proſequendæ commendantur, amictus ipſius, vultus, ingreſſus, mores, actiones, & reliqua quæ ad circumſpectionem ac prudentiam utilia ſunt, referuntur.*
4. *Quæ inprimis ad medici ornatum facere videntur, quid de faſcinatione, philtris, & ſalutatorum operâ ſentiendum ſit, exponitur : humani corporis cum aliis rebus ſimilitudines, cauſæ rerum abditæ, facetiæ, teſtificandi modus, muſicæ uſus in morbis, & pleraq; alia proponuntur.*

Digitized by Google

AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, & Sapientiſſimis Viris,

Dn. VINCENTIO MOLLERO J. U. L. PERITISSIMO, & Dn. HIERONYMO VOGELERO,

FLORENTISSIMÆ REIPVBLICÆ HAMBVRGENSIS CONSV-libus vigilantiſſimis.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

RODERICUS à CASTRO PHILOSOPHUS ac Doctor Medicus,

S. P. D.

AMPLISSIMI, CLARISSIMI, & SAPIENTISSIMI DOMINI CONSULES. In omnibus facultatibus id ſemper operę pretium exiſtimavi, ut earum profeſſores, aut novi aliquid invenirent, aut certè jam inventa, perfectiora, politioraq; redderent: Perinde ratus optima quæq; ad ſummum faſtigium perducere, aut inferiora, dummodo utilia ſint, de novo inculcare. In hâc verò quam à rudibus annis ſum profeſſus, medicâ diſciplinâ poſteaquam ea, quæ ſemiperfecta videbantur, ad finem perducere tentavi in opere de mulierum medicina; nunc reliqua artis præcepta majoribus relinquens, ipſius medici vitę inſtituta documentis comprehendo, rem quidem arduam, novam, & laborioſam quam tamen non ſine fructu perfeciſſe exiſtimo. Itaque orſus

 ab

ab ejusdem ſtudiis, & genere diſciplinæ, ad medico virtutes amplexandas, fugiendaque vitia me confero: nec tamen in omnes virtutum, aut vitiorum locos egredior, ſed in eos duntaxat, qui maximè videntur medicis peculiares: tunc deinde mores candidiores moneo, & ſtatuta medicis ſervanda propono, ac fraudes detego quorundam, quibus haud dubiè odioſus noſter hic labor erit. Sed non eſt novum malis, odiſſe benè monentes: ſanctius tamen colenda veritas, quam ut non aſſeratur, eorũ metu, quibus placuiſſe, culpa & vituperio non careret. Moleſtus eſt medicus furenti: non tamen propterea neganda eſt infirmo medicina. Cordatos verò & optimos medicos officii ſui admoneo, cæteros interdum paulò acrius reprehēdi, tum ut ipſi fœditatem morum ſuorum, veluti in tabella depictam, intueantur, & erubeſcant, ac deſinant erubeſcenda facere: tùm ut boni ſe ab illis vitiis procul abeſſe gaudeant, & operam dent, ut longiùs etiam recedant, ac intimas virtutis ſedes penetrare queant, iis quidem documentis & moribus, quibus & Deo grati & hominibus, præſtantiſſimæ diſciplinæ priſtinum ſuum decus reſtituere adnitantur.

Porro id in hac jam ingraveſcente ætate mihi faciendum putavi, tum ut publicę utilitati conſulerem, tum quia liberos habeo, quos in eadem profeſſione, Deo auxiliante, erudiri decrevi: Atq; ea, quæ præveniente fortaſſe morte voce tenus à me audire non poterunt, nec in ſcholis inculcantur, ſcriptis conſignare ſtudui, ut tùm ipſi, tùm cęteri medici, qui poſthac fuerint, earum legum exemplar habeant, quas nec ipſi plerumq; tenent, qui in ea profeſſione diutiſſimè incanuerunt. Erui ea non ſolum ex iis ſcriptoribus, quos probo vehementer, & ſequor libenter, ſed

præ-

præcipuè ex propriis inventis experimentisque. Ita quaſi hortulum ex nativis, & aliunde translatis plantulis concinnavi, ne aut ſine auctoritate novitatis contemptu opus vileſceret, aut, citra novitatis gratiam, ſitu exoleſceret.

Eadem vero, veterem ſecutus morem, vobis, Viri ampliſſimi, nuncupanda, dedicandaq; cenſui, ut politicæ diſciplinæ cultoribus maximis, quo vitæ genere, per gradus virtutum, & dignitatum vobis jamdiu gloriam immortalem, patriæ verò eximium decus & ingentem felicitatem peperiſtis. Ut enim innumera alia veſtrarum laudum luculentiſſima encomia ſubticeam, quinam unquam Reipublicæ corpus, ex tot membrorum compagine conſolidatum felicius prudentiusq; gubernârunt? qui moderatiùs rexêre, & in officio tot & tam varias nationes ſua [illegible]us continuerunt? quod quidem prudentiæ civilis, & politicæ [illegible]ciplinæ præcipuum & maxime peculiare opus eſt. Altera h[illegible] inſtituti cauſa fuit, ut poſteriores medici vobis accepta[illegible] erant eas leges, quæ ſub veſtro patrocinio publici juris factæ ſunt. His accedit ſingularis erga vos, Viri clariſſimi, & hanc ampliſſimam Rempublicam à multis jam annis animus meus, cujus ut teſtimonium aliquod exhiberem, cum alia ratione nequeam, & me imparem eſſe ſciam ſummæ veſtræ erga me benevolentiæ atque propenſioni, tandem litterarum, quarum eſtis natura ſitientiſſimi, publico monumento id efficere decrevi. Sic frondibus coronantur divorum altaria, & mola litant, qui thura non habent. Nec vero mihi vitio vertetur, ſi politiſſimis viris politica offero, quaſi velim lumen ſoli mutuari: non enim hoc ago; quin po-

Digitized by Google

tius propterea vobis hæc nuncupanda fuerunt, à quibus lumen & ſplendorem capere poſſent. Et ea ſemper fuit litterarum excellentia, ut eas qualescunque, dummodo virtutem, & publicam utilitatem ſpectent, apud ſe foveri, ſibique dicari ſummi viri honeſtum & glorioſum putârint. Tantò idipſum æquiori animo vos laturos confido, qui quoties à graviſſimis reipublicæ laboribus reſpirare licet, quidquid ſubſecivi nanciſcimini otij, id totum ſtudiis litterarum aſſidue impenditis. Vnde factum ut nullæ nunquam inſignes animi dotes in ullius reipublicæ moderatoribus, vel ſingulæ exſtiterint, quæ non confertim omnes in vobis clarius eluceant. Ab earum tamen enumeratione & veſtris nobiliſſimis elogiis, ob res domi foriſque præclarè geſtas, ſuperſedeo, gnarus modeſtiæ veſtræ, qui virtutes laudari, quam vos ipſos potius vultis. Si quid tamen attigi, id quidem factum, quia celebrari virtutes nequeunt, quin pariter commendentur ij, qui in ipſis plurimum præſtant atque excellunt.

Cæterum feliciter cum Medico-politico agi exiſtimabo, ſi eum in veſtram protectionem ſuſceperitis, ita nimirum commendatum ſatis, ac probatum ſe eſſe intelliget, ubi judicio veſtro acerrimo politiſſimoque non diſplicuerit. Si verò in quibusdam aliter contingat dicta, indicta ſunto. Et quia argumentum, quod tracto nullis unquam ſeculis, uti dixi, à quopiam ex profeſſo tentatum fuit, pronior ad veniam mihi via relinquetur, interdum, ut fieri poteſt, non animo ſed humanâ caligine cœcutienti. Quod ſi uti ab animo, vobis deditiſſimo, profecta ſunt, ita, ut ſpero, veſtro favore aſperſa, tutataq; fuerint, nil utique erit, quod verear virulentum malignantium livorem, & rugoſos cenſores facile contemnam. Valete.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Capita Libri primi. 12.

I. Operis argumentum & auctoris inſtitutum fol. 1

II. Medici ac medicinæ definitio: eumq; rationalem eſſe oportere. 3

III. Medicum virum bonum prudentemque & eſſe & dici oportere. 5

IIII. Empiricorum ſecta refutatur. 8

V. Methodicorum ſecta proponitur atq; convellitur. 12

VI. Explicatur atq; reijcitur chymicorum ſecta. 14

VII. Adverſus eos qui nec medicinam nec medicos reipublicæ neceſſarios eſſe contendunt. 20

VIII. Plures adverſariorum rationes adverſus medicinam & medicos ulterius refelluntur. 24

IX. Medicinam à Deo eſſe: explicatur locus Eccleſiaſtici. 29

X. Medici ſcientiam nobilem eſſe, & quem in ſcientiarum ordine locum teneat. 34

XI. Medica ars cum militari confertur & cum agricultura. 38

XII. Iuriſprudentia, & Medicina comparatio. 42

Capita Libri ſecundi. 15.

I. De diſciplinis medico neceſſariis. 53

II. Aſtrologia an utilis & medico neceſſaria. 57

III. Medicum chirurgum eſſe oportere. 65

IV. Indecens eſſe medicum ſeplaſiarii munus exercere 69

V. Quem locum in medicina ſingulæ prædictarum diſciplinarũ obtinere debeant 72

VI. De origine & progreſſu artis medicæ 74

VII. Medicina agriculturæ comparatur: & qua ratione ſit excolenda diſſeritur 77

VIII. De triplici doctrinarum genere 83

IX. Quinam auctores ſint evolvendi, & qualis eſſe debeat medici bibliotheca 84

X. An experientia ratione, & medicus ſenex juvene præſtantior ſit 92

XI. Rationi auctoritatẽ eſſe præferendam 94

XII. Ars cum natura & cum prudentia naturali confertur 97

XIII. De conſuetudine & vſu eius in curatione habenda ratio ſit. 100

XIV. Fortuna cum arte confertur, & quid illa ſit explicatur 103

XV. An integræ valetudinis medici valetudinariis ſint utiliores: & divites iis qui tenuioris ſunt fortunæ 107

Capita Libri tertij. 24.

I. Quæ potiſſimum vitia medico declinanda ſint 110

II. Avaritiam & invidiam medicis maxime fugiendam eſſe 113

III. Quibus virtutibus medicum inprimis præditum eſſe oporteat 121

IV. De medici amictu, vultu, & ad ægrotantem ingreſſu 124

V. Medici primus acceſſus ad ægrotum: quæq; in ipſo circumſpectio, cautio, ſolertia & providentia ſervanda ſit. 128

VI. Vtiliſſima quædam præcepta circa actiones medici erga patientes 131

VII. De providentia & cautione medici circa prognoſticum: ratione cuius aliquot caſus repentini & inſperati recitantur. 135

VIII. Quatenus & quibus in rebus ægrotis ſit gratificandum. 138

IX. Li-

Digitized by Google

IX. Liceatne medico ægrum fallere valetudinis gratia. 142
X. De Vromantia ſive inſpectione urinarum. Plures agyrtarum fraudes: & vulgi errores deteguntur. 146
XI. Exercitatio judicandi ex urinis: ſeu de cautelis ſervandis in urinarum inſpectione. 149
XII. Quæ ſint ægrotantium, quævè aſſiſtentiũ partes in morborum curatione. 155
XIII. Vt medicus ſe gerere debeat cum iis, quibus mens non conſtat. 159
XIIII. Non eſſe accedendum ad ægrotos niſi rogarint: qui verò rogant quatenus viſitandi ſint. 162
XV. Liceatnè medico auxilium denegare poſtulanti. 165
XVI. An expediat ingratos contemnere, & medicum interdũ alias artes exercere. 169
XVII. Sintne deplorati penitq relinquẽdi. 173
XVIII. Non eſſe ſuſcipiendam curationem morborum incurabilium: & quinam illi ſint. 175
XIX. Vno eodemq; tempore plurimos non eſſe in curationem ſuſcipiendos. 178
XX. De medicorum conſultationibus, utiles an ſint? & qua ratione exercendæ. 180
XXI. Vt ſe gerere debeat medicus in accipiendo præmio. 187
XXII. Ampla medicorum ſtipendia. 192
XXIII. Poſſitnè medicus ob male adminiſtrata medicamenta in jus vocari aut pœna aliqua affici. 195
XXIIII. De veri ac falſi medici agnitione. 200

Capita Libri quarti. 16.

I. De faſcinatione. 205
II. De philtris. 215
III. De Alexicacis ſive ſalutatoribus. 223
IV. Corpus humanum miram cum cœlo ac mundo inferiori ſimilitudinẽ obtinere. 231
V. De triplici mundo & quod uniuscujusq; in homine pulcherrima imago reperiatur. 235
VI. Corpus humanũ mirificã cum republica bene ordinata ſimilitudinẽ repræſentare. 238
VII. De abditis quarundam rerum proprietatibus. 242
VIII. Facetiæ an gravi & prudenti medico conveniant. 248
IX. Qua ratione morbum ſimulantes deprehendi queant. 251
X. Teſtificandi methodus circa eos quibus venenum fuit exhibitum. 254
XI. Ratio teſtificandi in vulneribus capitis, & in iis, qui aquâ fuerunt ſuffocati. 256
XII. Quomodo amiſſa virginitas, & alterius utrius conjugis ſterilitas deprehendatur. 259
XIII. Declarandi ratio circa emptitios ſervos. 263
XIIII. Vt demonſtretur, non minus utiliter quàm honeſte atque prudenter in morbis muſicam adhiberi: ipſius encomia præmittuntur. 265
XV. Notantur ac rejiciuntur muſicæ abuſus. 268
XVI. Muſicæ excellentia atq; præſtantia rationibus, auctorum ſuffragiis, & experimentis comprobatur. 270

Finis Indicis Capitum.

RODE-

RODERICI à CASTRO LVSITANI PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS per Europam notiſſimi

MEDICUS POLITICUS,

ſive

de officiis medico - politicis :

LIBER PRIMUS.

Operis argumentum, & auctoris inſtitutum.

Caput. I.

QUicunq; medicas tractationes hactenus ſcripſerunt, id unum ſibi propoſuerunt, ut aut in theoria aut in praxi, aut certè in utraq; medicinæ parte medicum apprimè inſtituerent: Omniaq; artis potius ipſius præcepta, quàm medici perfecti circumſtantias proſequerentur. De ipſius artificis prudentia generoſitateq; (uno excepto Hippocrate, qui pauca quædam hac de re ſcripſit) perexiguam aut ferè nullam mentionem fecerunt: Vel quia minus neceſſariam eſſe exiſtimârunt: vel quia à natura & non ab arte provenire, nec ullis præceptionum cancellis contineri poſſe crediderunt. Idq; Arabs Avicenna ſentire videtur, ſic enim eius verba intelligo, dum, poſteaquam totius medicinæ partes retulit, *quidquid* (inquit) *ſupra hoc eſt, incomprehenſibile eſt*: cum ſit Dei & naturæ donũ medici prudentia, ſine qua univerſalis doctrina ex libris comparata nullius eſt momenti, quippe quæ in medicina diſcuntur, omnia ferè medici prudentiæ relinquũtur determinanda: Quod tamen Hippocrates, nomine profectò ſatis idoneo, *œconomiam* circa ægrotantem vocavit. Nam cũ mitti ſanguinem, aut propinari pharmacum, aut emplaſtrum admoveri, aut tale quidpiam medicus facere jubet, medicam artem exercere: cùm verò fe-

Oeconomia ſive politia medica quid.

neſtras aut januas aperire, aut claudi; lectum ægroti huc, aut illuc verti; hos haberi ab ingredientibus ſermones; hæc nunciari; hæc cælari; & ipſe ita, aut ita ſe gerit, œconomiam quandam adhibere videtur. Quemadmodum enim in vita omnia opportuna poſſidere, veſtes, vaſa, ſervos, ad jugum idonea animalia, ædes, frumentum, legumina, vinum, oleum aliaque id genus ab eorum convenienti uſu, quam œconomiam vocant longe differt: ſic & in medicina artem diſcere, & iis, quæ quis di. dicit, appoſite uti non idem eſt. Et certe quanquam prima illa cura, quæ ad medicinalia inſtrumenta pertinet, majoris ſit momenti, tamen hanc poſt remam nō exigui eſſe cenſeo. Quippe multi alioqui præſtantiſſimi, & ſuæ artis peritiſſimi medici cum ad hanc œconomiam ſive politiam exercendam malè ſe comparent, adeò fiunt multis ingrati, & odioſi, ut ob hoc ipſum evadant inutiles: alij contra non admodum periti, ita huic curæ ſeſe accommodant, ut perpauca, quæ alicujus momenti ſunt, facientes, pleriſq; non parum utiles eſſe videantur. Quoniam igitur non artium duntaxat ſeminaria, verum etiam omnium virtutum, nedum prudentiæ ipſius, igniculi quidam mortalibus à natura inditi, certis quibusdam regulis ac præceptis magis elucent, & perficiuntur, quibus qui caret, tametſi artem calleat medicinæ, non tamen generoſus nec prudens medicus mihi videtur; idcirco quid interſit inter medicum, ac prudentem, politicum, generoſumq; medicum, & præclara arte dignum: ſimulq;, quibus artibus hanc ſibi laudem comparare queat, expedire: & quæ ſit optima medicinam factitandi ratio, quantâ potuero diligentiâ proſequi, & explicare decrevi: idq; non tam ſpe perficiendi propoſitū hoc egregium, quod vix quiſquam antehac tentare auſus fuit, quàm animo frangendi glaciem ac reliquis præbendi anſam perficiendi id, quod inchoamus: & vereor etiam, ne ſi id, quod cupio, perficerem, eumque medicum expreſſero, quales omnes eſſe vellem, ſummum nimirum ac perfectiſſimum, tardem (quod de oratore dixit Cicero) ſtudia multorum bonorum qui deſperatione debilitati experiri id nollent, quod ſe aſſequi poſſe diffidant. Veruntamen horum teneat quiſque eum curſum, quem poterit, non enim ſolus Homerus in poetis locum habet, nec ſolus Hippocrates in medicis, aut in philoſophis Ariſtoteles, ſed dummodo ab hac generoſitate non deficiant, mirabitur ſemper ſummos medicos poſteritas, inferioreſque probabit, quia magna etiam ſunt ea, quæ ſunt optimis proxima.

Simile.

Artium & virtutum ſeminaria hominib. à natura indita.

ma. Quidquid tamen eſt, de quo ratione, ac methodo diſquiritur, id ad ultimam perfectiſſimamque ſui generis formam redigendum eſt.

MEDICI AC MEDICINÆ DEFINITIO, EUMQUE RAtionalem eſſe oportere.

CAPUT. II.

VT itaque recepta jam methodo incipiamus, qua omnium ſapientum decreto à definitione rei propoſitæ tractationis cujusque tela ordiri conſuevit *Medicus eſt vir bonus medicinæ peritus*; Bonus quidem ut ſit, Hippocratis jusjurandum exigit, ipſaque artis profeſſio & humaniorum literarum ſtudia, quæ colit, ipſum ad virtutem inſtituunt, qua ubi ſtimulari cœpit, nullis parcit laboribus, nil recuſat ſubire, quo perveniat ad agnitionem veritatis, nihilque habet prius ægrotantium ſalute, quam ut aſſequatur omnem, quantam poteſt, adhibet diligentiam, & legendo, percunctando, conquirendo ſtudet medicinæ peritus eſſe, ut ægrotos valeat à morbis vendicare: hoc enim proprium ejus munus eſt, & finis; nullumque alium, quà medicus eſt, ſibi proponit. Si namque alia de cauſa medicinam exercet, ut lucri, vel honoris, aut gloriæ cauſa, is non ſimpliciter medicus, ſed, ſumpto à fine cognomine, medicus ambitioſus, glorioſus, quæſtuoſus, aut aliter appellabitur; qui autem verè dicitur medicus, benignitate atque humanitate ad medendum incitatur. Hac de cauſa olim medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio & rerum naturalium moraliumque contemplatio ſub iiſdem autoribus nata ſit, iis nimirum, qui quieta cogitatione & virtutibus corporum ſuorum vires maxime munierant, ideo multos ex ſapientiæ profeſſoribus artis medicæ peritos fuiſſe

Medici definitio.

Medici munus & finis.

Medicina pars ſapientiæ.

 acce-

accepimus, clariſſimos verò ex iis Dioclem, Chryſippum, Praxagoram, Pythagoram, Empedoclem, Democritum, ac Hippocratem, qui omniũ primus memoria dignus, vir, & arte, & facundia inſignis, à ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparavit, poſt quem pleriq; alij ſic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diverſas curandi vias proceſſerint, Empiricam nimirum, Methodicam, & Rationalem, quam in medici definitione intelleximus, definiriq;, quantum ad propoſitum attinet, poterit, *ars cum ratione, & experientia faciendæ conſervandæq; ſanitatis.* Hanc clariſſimi omnium proſequuntur: nam altius quædam agitare conati, rerum naturæ ſibi cognitionem vendicarunt, tanquam ſine ea trunca, manca, ac debilis medicina eſſet; quin etiam corporum naturam exactè cognoſcendam eſſe cenſent: ſignorum vires, cauſarum differentias, potionum, ciborum, aeris, reliquarumq; circumſtantiarum facultates expendunt, atq; ab omnibus, quæ ſpectari poſſunt, curationum indicationes inveſtigant: Ex quibus patet medicinam Rationalem omnium propè rerum ſcientiam & cognitionem complecti: abditarum inſuper continentiumq; cauſarum noticiam, nec non naturalium actionum, & partium interiorum cognitionem, ut tandem quid ſecundam, quid adverſam faciat valetudinem, intelligant, & (ut paucis dicam) tàm naturalium, quàm non naturalium, & præternaturalium rerum integram ſcientiam. Unde fit, ut quatuor ſint, quæ rationalem medicinam obſignant, naturæ inſpectio, cauſarum cognitio, ſignorum æſtimatio, & indicatio curativa. Hanc autem medicinam eam eſſe affirmant, quam Apollo primus invenit, ſcripſit apud Græcos Hippocrates, demonſtravit Galenus, ad cujus uſq; tempora Dogmatica fuit appellata, propter varias, quæ inter ſectatores eius excitatæ ſunt, opiniones: nam morborum rationem Herophilum in humiditate: Eraſiſtratum in tranſcolatione ſanguinis à venis in arterias: Aſclepiadem in obſtructione foraminum inſenſibilium: Hippocratem in ſpiritu, collocâſſe ſcribit Celſus. Liquidò autem conſtat: tam rationem quam experientiam ad medicinam eſſe neceſſariam, quibus quaſi cruribus duobus ſuffulta pulcrè incedat. Qui tamen utranq; in conſilium, adhibet, ingenui illi ac optimi medici ſunt, quibus principes, magiſtratus, ac reliqui viri, qui aliquo in loco ſalutem ſuam habent, ſecùre uti debent, admoniti, multos eſſe, qui cum ſe præclaro rationalium medicorum nomine venditent, re tamen ipſa Empiricorum & Methodicorum more negotium medicum tractent, qui

Medicorum ſecta olim tres.

Medicina definitio.

Quatuor ſunt quæ rationalem medicinam conſtituunt.

Dogmatica cur appellata; Et quæ fuerint rationalium diverſa dogmata.

Ingenui medici qui.

Digitized by Google

qui quidem non ſectatores, ſed adulteratores artis, ac ipſius deſertores ſunt appellandi. Rationales vero medici partim experientia, partim ratione nituntur, quarum illa à ſenſu, hæc ab intellectu initium ſumit: Et ut experientia invenire omnia nequit, ita nec ſola ratio, aqua, uti à potiore ejus parte, nomenclaturam acceperunt.

MEDICVM VIRVM BONUM PRUDENTEMQUE ET ESſe, & dici oportere.

CAPUT. III.

OCcaſione eorum, quæ de probitate medici capite ſuperiori diximus, & de quibus in poſterum etiam luculentius diſſertabimus, ſe offert examinanda eorum opinio, qui medicum natura ipſa nec virum bonum eſſe affirmarunt, neque prudentem, cujus erroris vel potius furoris Petrus Apponenſis, Conciliator dictus, ut multorum aliorum autor fuit, dicens, medicos ut plurimum eſſe malorum morum, tùm quia obſcuro genere plerumque nati ampliori fortuna tument & contumelioſi fiunt: tum etiam, quia artis medicæ pars curativa Scorpioni & Marti ſit ſubiecta, quorum proprietates in malum tendunt: conſervativa vero Tauro, & Veneri, in omnem luxuriam incitantibus: Itaq; quæ aſtra perfectos medicos, eadem improbos homines facere, idcirco natura probum medicum malorum eſſe morum. Atq; ideo medicum vocat invidiæ pelagus, detractionis organum, ambitionis perforatam clepſydram, alienę veritatis contradictorem, garrulum, propriæ ignorantiæ conſtantiſſimum defenſorem, & inexcuſabilem ægrorum neglectorem: & experientiam in pleriſq; ferè omnibus idipſum confirmare affirmat: & ſi qui videantur minimè mali, eos inutiles prorſ⁹ atq; inertes eſſe tum ad medicinam, tum ad quamcunq; aliam rem peragendam, quos propterea vulgares homines ſolidè doctos eſſe exiſtimant, quia in reliquis mundanis actionibus parum exercitatos eſſe vident. Abſit tamen, ut quiſquam ſibi perſuadeat, medicum virum malum eſſe oportere. Nam quod prudentem eſſe medicum perfectum omnino conveniat, id in poſterum latius ſumus oſtenſuri: immo huic tantùm rei hunc dicavimus tractatum: & medicum natura

Conciliatoris error.

Mali Medici mores.

Digitized by Google

prudentem eſſe oportere, dixit Hippocrates: & fieri nullo modo poteſt, ut qui perfectus medicus fuerit, idem ſit vir imprudens. Ad quævis enim munia, quantumlibet viliſſima, ut rectè perficiantur, prudentia requiritur, & aurifaber vel ſartor prudens reliquos antecellit. Tantò magis medicus ipſe, cujus perfectio non ſolum in medicis actionibus conſiſtit, verùm etiam in œconomia atque prudentia, quam ſi non habet in iis, quæ ab incunabulis didicit, qui fieri poterit, ut eam obtineat in medica arte, cui jam grandior factus ſe tradidit. Idcirco acturi poſtea luculenter de prudentia medici, nunc ad Conciliatoris pernicioſiſſimum

Confutatur Conciliatoris opinio.

errorem, quo ad ejus probitatem, confutandum nos convertamus. Aſſerit is medicinam Marti eſſe adſcriptam, qui omnibus fere planetis ſit odioſior, irremunerationis, iurgii & omnis iniquitatis planeta; ex quibus ille & ipſius aſſeclæ ineptiſſimè concludunt, medicum bonum neceſſario virum eſſe malum. Quæ tamen omnia facilè convelluntur ex iis, quæ paulo poſt diſputabimus, dum aſtrologorum male conſarcinatas fabulas abundè repudiabimus. Nam, ſi (ut ibi multis & validiſſimis rationibus

Primum argum. contra Conciliat.

comprobabitur) omnis judiciaria aſtrologia vana eſt, & inutilis; infirma procul dubio & falſa ſunt, quæcunq; ab ipſa deducuntur. Sed enim fieri non poteſt, ut qui ad humani generis omnium maximè beneficentiſſimā artem, & in qua humanitatis officia potiſſimum elucent, natus ſit, idemque prius philoſophus quam medicus, genituram habeat, quæ ad malum inclinet, niſi & eandem philoſophus habuerit, quod nemo ſanæ mentis

Secundum.

concedet. Imò ſi numeremus medicorum omnium clariſſimos & quaſi ipſius artis parentes, inſigni quadam morum probitate præditos fuiſſe inveniemus, Hippocratem dico, Galenum, Avicennam, Celſum, & alios ab omni antiquitate commendatos, quos numen deſignatos habuit, ut provinciæ medicæ quemq; ſuo tempore præficeret, quorum genituram ſi vim in hoc negotio habere concedamus, magnam eam profectò fuiſſe certum eſt, ſubindeque non minus ad virtutes quàm ad medicinam inclinare; ex quo concluditur, medicum bonum virum malum eſſe non poſſe. imo pugnantia quædam videretur, ut malus ſit ille in cujus probitatis ratione ratio tota ſui miniſterii conſiſtit. Deinde quis artem o-

Tertium arg.

mnium maximè beneficam à natura & cœlo ita inſtitutam comparatamq; eſſe dicat, ut perfecta, niſi malitioſa, eſſe non poſſit, ſeq; malis potiſſimum tractandam exercendamq; exhibeat? Quid? quod medicus

Quartum arg.

corrigit in aliis animi affectus depravatos, & ad ſanitatem eos deducit, ad id

Digitized by Google

ad id enim dicati ſunt libri Galeni *de cognoſcendis curandiſq; animi affectibus*, multique alij eminentiſſimi viri ad emendandos ſæpe mores temperamentum corrigunt. Hoc autem quod in aliis medicus facit, in ſe ipſo negliget, ſi quando pravos mores abigat aliorum, & malorum ipſe eſſe debeat: quod credere ſit inſanire. Verum enimverò ſiquiſpiam adeo ſit ſtellarum aſpectibus addictus, ut contendat, Martem illum & Scorpionem ingenium promittere ſagax, callidum, acutum, & ad quævis promptum, quod tùm ad alias artes perdiſcendas, tùm etiam ad ipſam medicinam aptum ſit, quodque niſi educatione bona regatur, in deteriora facile ſevertat: id perinde eſt ac ſi dicat, perſpicacis ingenii & docilis, non autem malorum neceſſariò morum medicum eſſe: quod propterea non magis in medicum, quam in aliarum ſcientiarum profeſſores cadere poſſet. Ad hæc tametſi largiamur, genituram illam, quæ medicinæ, atq; adeo ſanationi præeſt, pravitatem morum introducere, vires fortaſſe ſuas in Empirico, aut methodico, agyrta, vel circumforaneo oſtendet, aut ſi quod aliud eſt medicorum à philoſophia remotum genus, non autem in eo, qui philoſophiæ inprimis ſtudio viget, cujus non poſtrema de moribus inſtituendis pars eſt; is enim philoſophiâ duce atq; magiſtrâ, beneficium nativum retinebit, abjiciet, ſi quæ erat, morum pravitatem. Deniq; non videtur conſentaneum, ut arti, cui fidere maxime oporteat, à rerum providentia mali mores, qui nocendi paratiſſima ſunt inſtrumenta, quaſi comites aſſidui perpetuo conjuncti ſint. Errat itaque & turpiſſimè errat, qui autumat, medicum alium eſſe, quàm virum bonum, non tàm quod per legitimam philoſophiam velut iter prius fecerit, quàm quòd medicum eſſe, naturæ ſtatim bonitatem quandam importat. Inſultent igitur, ſi fas eſt, illæ aſtrorum vires, ſi quæ in hac re exeruntur, in Aponenſi ipſo, & ipſi ſimilibus, qui pro ſe muti, adeo garruli exiſtunt in medicos eruditos, quaſi & ipſi aliud ſint, quam medici, minimè advertentes, quidquid in medicos dicitur, in ſeipſos potiſſimum redundare, qui dum malitioſe quorundam crimina declinare nituntur, iisdem magis implicati à bonorum medicorum cœtu alieniſſimi ſunt. Inſultent etiam in illis, quos diximus, pſeudomedicis, Empiricis, & malè feriatis hominibus, lucro tantummodo deditis & ambitioni, quorum tamen artificum mores, ſi artifices ii dici merentur, in beneficentiſſimæ, fructuoſiſſimæque artis detrimentum aut in ignominiam eorum, qui ejusdem veri, ac genuini ſectatores ſunt, redundare, minimè poterunt: illi enim ſunt, qui ſæpenumero diſciplinam

5. arg.

6. arg.

humanam

humano generi alioqui utiliſſimam, & ſaluberrimam in odium,& invidiam multorum pertraxerunt: ijs illud convenit: *procul ite prophani*, quia ſancta canibus committenda non ſunt. Urgeret fortaſſe aliquid illud, quod de propenſione afferunt, ſi tantum aſtris tribuendum eſſet, quod refutabimus,ſed propenſionem duntaxat inferret, non neceſſitatem, uti de Socrate proditum eſt,qui naturæ pravitatem animi culturâ ſuperaſſe fertur. Sed enim medicinam ſuperius diximus fuiſſe olim ſapientiæ non ſolum ſororem,ſed ipſius ſapientiæ comitem; vel igitur aſtra naturam & vim mutaſſe dicendum erit, vel fuiſſe illos maximos morum probitatisq; magiſtros morum depravatorum. Quod ſane bonorum eruditæ aures averſantur,nam quemadmodum famulæ & ancillæ domi tumultuantes,ubi hera comparuit,conſternatæ quieſcunt, ſic animi affectiones ad ſapientiæ medicinævè conſpectum ſeſe ſubducunt, & penitus evaneſcunt.

Aſtra inferre poſſunt propenſionem, nõ neceſſitatem.

Simile.

EMPIRICORVM SECTA REFUTATUR.

CAPUT. IIII.

PORRO autem non defuerunt,qui venerandam illam atque honeſtiſſimam medicinæ formam commentis ad fabulæ oſtentationem aptis mutare, & aut ipſius odio,aut quia eandem aſſequi non potuerunt,turpiter fœdare,& ejus pulchritudinem penitus delere tentaverunt, quorum dogmata breviter recenſebimus: quia non ſufficit futuro medico perfecto ſolidam ſibi artem comparare,ſed oportet eundem errores aliorum,eorundemq; abſonas opiniones cognoſcere, ut quomodo illis ſit occurrendam,quovè fundamento convellendæ perſpiciat, ac rectum veritatis tramitem ſecure tenens,eorum tela declinare queat: & ea eſt veritatis vis,ut per ea,quæ ei adverſantur,clarius ſplendeat. Ideò illud in Scholis tritum,hic libenter audio,contraria juxta ſe poſita magis illuceſcunt. Primi igitur ex adverſariis ſeſe offerunt quidam, qui ad perfectam medicinæ cognitionem experientiam duntaxat ſatis eſſe exiſtimarunt, arbitrantes,nihil rationalem diſciplinam ad medicinam pertinere. Hi ductore Serapione vel,ut Galeno placet,Philino Coo,quem poſtea ſequuti ſunt

Empirica autores. Introduct. cap. 4.

Digitized by Google

ſunt Apollonius, Glaucias, Menodotus, Heraclides Tarentinus, & ex latinis, Celſus, ac Plinius ſecundus, & pleriq; alii, qui ex ipſa profeſſione ſeſe Empiricos appellarunt, evidentes cauſas, ut neceſſarias, tantummodo amplectuntur. Empiricæ autem tres ſunt ſpecies: prima *incidentia* dicitur, dum inconſultò ad experiundum acceditur. Secunda *Empiricæ ex propoſito* nominatur, quando vel in ſomniis admoniti, vel aliqua opinione ducti aliquid ſponte experitur: tertia *imitatrix*, dum quidvis eorum, quæ opem attulerunt aut noxam, rurſus in iiſdem affectibus aut experimur, aut declinamus, quæ quidem ultima ſpecies ipſorum artem maxime conſtituiſſe videtur. Et quia ipſis Empiricis interdum affectus incogniti occurrunt, vel quorum non habent ſatis explorata remedia, inſtrumentum quoddam commenti ſunt ad invenienda præſidia, nempè tranſitum ad ſimilia, nimirum ab affectu ad affectum: à loco ad locum: àb auxilio ad auxilium, & ſuam ſectam contra rationalem ſtabilire conantur. *Primò*, quia obſcurarum cauſarum (ut ipſi dicunt) & naturalium actionum inquiſitio ſupervacanea ſit, quoniam incomprehenſibilis natura ſit, idq; patere ex eorum, qui de his diſputarũt, diſcordiâ cum nec inter ſapientiæ profeſſores, nec inter ipſos medicos conveniat, quorum, ſi rationes perſpicere velimus omnium ſint non improbabiles: Sic rationes ab omnibus languentes perductos eſſe ad ſanitatem. *Secundò*, quia differant, pro naturâ locorum, genera medicinæ, 2. & aliud opus ſit Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Germania, cum tamen ſi morbos eadem cauſa ubiq; faceret, remedia quoq; ubiq; eadem eſſe debuiſſent. *Tertiò*, quia ſæpe cauſæ apparent morbi, lippitudinis nimirum, aut vulneris, neque tamen ex his patet medendi ratio, cum igitur hanc ſæpe non ſubjiciat evidens cauſa, multò minus eam poſſe ſubjicere interna, quæ in dubio eſt; Ideoq; ab exploratis potius petenda præſidia eſſe & expertis, ſicuti in cæteris artibus: neq; enim (inquiunt) agricola aut gubernator diſputatione fit, ſed uſu. *Quartò* quia neq; inter 4. initia à quæſtionibus iſtis deducta fuerit medicina, ſed ab experimentis: ægrorum enim, qui ſine medicis erant, alios in ipſa febre aliquid ediſſe, alios paulò ante eam, alios poſt remiſſionem eiusdem: optime vero ijs ceſſiſſe, qui poſt finem febris comediſſent, in quibus ac ſimilibus diligentes homines notaſſe, quæ plerunq; melius reſponderent, deinde ægrotantibus ea præcepiſſe: Sic medicinam ortam, nec poſt rationem medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam medicinam rationem eſſe quæſitam.

Empiricæ ſpecies tres.

Argumenta Empiricorum adverſus rationales.

3.

5. Experientia laudes. ſitam. *Quintò*, quia vel ratio idem docet quod experientia, vel aliud: ſi idem, ſupervacanea ratio eſt: ſi aliud, contraria experientiæ, quæ normæ vice ſemper habenda eſt, & omnis demonſtrationis initium, ſolaque omnium rationes omnes evertere potens, eſſeque potius imbecillitatem intellectus ſenſui repugnare, neque enim quæ evidenter patent & revera extant, ea fieri non poſſe dicendum eſt, ideoque abſurdiſſimam eſſe eam rationem, quæ refutare nititur ea quæ, ſunt evidentia, veluti experimenta, quibus ad curandi rationem, uti ipſi obtrudunt, nihil plus conferat.
6. *Sextò*, Quia cum nulla nova genera morborum reperiantur, nulla etiam nova medicina deſideretur; quod ſi novum mali genus incidat, non propterea medico de rebus obſcuris cogitandum, ſed protinus videndum, cui malo id proximum ſit, tentandumque remedia ſimilia illis, quæ vicino morbo ſæpe ſuccurrerunt, quia non intereſt, quid morbum faciat, ſed quid tollat. *Septimo*,
7. Quia non pertinet ad rem, quomodo, ſed quid optimè digeratur, neque quomodo ſpiremus, ſed quid gravem tardamque reſpirationem expediat, ac tandem non ingenio, facundia, aut eloquentia, ſed remediis morbi curentur, quæ ſi quis elinguis uſu diſcreta norit, majorem medicum futurum, quam ſi ſine uſu linguam ſuam excoluerit.
8. Anatomes uſû vituperat. *Octavò*, quia crudele videtur, vivorum hominum alvum atque præcordia incidere, quod rationales faciunt, cum præſertim ex ijs, quæ tanta ſævitia quæruntur, alia non poſſint omnino cognoſci quæ talia in cadavere non ſunt, qualia in vivo corpore fuerant, ut color, lævor, mollities, durities: alia poſſint etiam deprehendi ſine ſcelere: itaque prudentem medicum & ſalutis humanæ præſidem æquum eſſe, non crudelitate cædem, ſed miſericordia ſanitatem moliri. Atque hi videntur quibusdam, haud abſurda omnino ſentire, neque enim (quod quidam putant) medicum dicunt conſilio ac judicio non egere, ſed latentium cauſarum conjecturas ad medicinam non pertinere.

Solutiones ad Empiricorum arg. Verum enimvero iſtiusmodi argumentationes facile eſt diſſolvere: Et ſuppoſitis iis, quæ ſuperius *ſecundo capite* diximus, & inferius etiam cap. 6. & 10. lib. 2. copioſe dicturi ſumus, ad primum reſpondemus, neminem poſſe ſcire, quomodo morbos curare conveniat, qui unde ij ſint, ignoret: eum vero rectè curaturum, quem prima origo cauſæ non fefellerit, quia ſi medicus neſciat, quomodo ſpiritus trahatur, & alimentum per corporis partes diſtribuatur, & quomodo arteriæ modô ſeſe

dò ſeſe ſubmittant, modò attollant, quæ ratio ſomni, quæ vigiliæ ſit, deniq; quomodo reliquæ actiones naturales & ipſa concoctio fiat, nunquam poterit occurrere morbis inter hæc naſcentibus: quin ſæpe in pectoris affectibus adſtringentia, in ventriculi verò & jecoris morbis ſimpliciter emollientia cum ſummo languentis diſcrimine adhibeat, unde etiam ad id quod tertium in ordine erat argumentum ſolutio patet. Nam ſecundum minoris eſt momenti, quam ut longa indigeat refutatione: neque enim natura loci mutat medicamentum aut curativam indicationem, ſed illam auget aut imminuit. Ad quartum quod attinet, veroſimile non eſt, veteres ſeu priſcos illos veritatis & operum naturæ indagatores maximos, quidlibet ægris inculcaſſe, ſed naturali diſcurſu cogitâſſe quid maxime conveniret, & id uſu exploraſſe, quod ante conjectura aliqua monſtraſſet, neque profecto intereſt, an initio pleraque explorata ſint, ſi à conſilio tamen cœperunt, ut poſtea citato capite luculentius planum fiet, ubi etiam ſumus oſtenſuri rationem & experientiam mutuas ſibi operas præſtare invicem in medicina, quo quintum corruit argumentum. Sextum, commentitium plane eſt & vanum, ac contentionis potius æſtu allatum ab Empiricæ ſectatoribus, quam quia ignorarint nova morborum genera indies incidere, in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit, ac propterea neceſſe eſſe animadvertere, unde ea cœperint, ſine quo nemo mortalium cur hoc quam illo utendum ſit medicamento, poterit unquam invenire, & procul dubio conſtat, tametſi rarius, aliquando tamen novos morbos invadere, cùm noſtrâ & patrum noſtrorum ætate ſudor Britannicus & Venerea lues majorem Europæ partem afflixerint, tum etiam Germaniæ oras maritimas ſcorbutus, Plica Poloniam, morbus Ungaricus utramque Pannoniam ſæpiſſime infeſtaverint, & adhuc infeſtent: ex quibus corruit ſeptimum etiam argumentum, quod quia longe lateque à veritate diſſidentia medicis rationalibus imponit, ſolutione magis indignum eſt quam firmum. Sed enim ultimum luxatis etiam inſiſtit pedamentis, quia cum in interioribus partibus dolores fiant & morbi, nemo his adhibere poterit remedia, quæ ipſas ignoret, neceſſarium ergo eſt incidere cadavera ſaltem brutorum hominibus ſimilima, eorumque viſcera & interiora ſcruta-

Empirica incommoda

Medicina quomodo inventa.

Novi morbi ſæpe invadunt.

Anatome quâ modo ratione utilis.

ſcrutari,atq; idcirco Herophilus & Eraſiſtratus nocentes homines, à principibus ex carcere acceptos,vivos inciderunt, ut conſiderarent, ſpiritu adhuc manente,ea quæ natura clauſiſſet, eorumq; poſituram, figuram,magnitudinem,ordinem & proceſſus ſingulorum. Neq; his crudele fuit hominum nocentium eorumq; paucorum ſuppliciis remedia populis omnibus innocentibus quæri. Nos vero ut vivorum hominum diſſectionem perhorreſcimus,ita cadaverum præſertimque brutorum neceſſariam eſſe cenſemus:neq; enim cum dolor intus accidit,ſcire poteſt quid doleat, qui interiora non cognoverit: aptiusq; extrinſecus imponuntur remedia, compertis internis ſedibus.

METHODICORVM SECTA PROPONITUR ATquè convellitur:

CAPUT. V.

SEd examinemus jam ſeu potius rideamus methodicorum ſectam,qui auctore Themiſone contendebant,nullius cauſæ occultæ,aut etiam evidentis, notitiam quidquam ad curationem conducere, neq; eius, qui morbo laboraret,temperamenti,ætatis,habitus,naturæ,conſuetudinis,reliquorumque omnium conſiderationem ad medicinam conferre: Et compendiaria quadam methodo artem concludentes, ſolisq; contenti communitatibus,ſatis eſſe dicebant, ſi neglectis cauſis omnibus tàm conjunctis quam procatarcticis quædam morborum communia intuerētur, atque duos duntaxat eſſe morbos,fluxum ſcilicet & clauſum, ſubinde duo remediorum genera,adſtringens & laxum: interdum etiam tertium mixtum,cùm altera parte parum,altera nimium excernunt ægrotantes,adſtrictos igitur affectus laxandos,fluidos ſiſtendos, à quacunq; illi cauſa proceſſiſſent; ſi verò mixtum vitium eſſet, vehementiori malo occurrendum: Horum obſervationem medicinam eſſe, quam propterea definiebant *contemplatricem methodum quandam eorum, quæ morbis communia ſunt*,ideoq; methodici nuncupabantur,ſcilicet,uti fieri ſolet, ſectæ pravitatem præclaro nomine obuelantes, & neque rationalibus, neq; Empiricis

Methodici duo duntaxat ponebāt morborum genera.

Medicinæ definitio ſecundum methodicos.

Digitized by Google

pirio's annumerari volebant, cùm ab illis diſſentirent eo, quod in conjecturâ rerum latentium medicinam eſſe non admittebant: ab his verò, quod parum artis eſſe in obſervatione experimentorum credebant, & quod in evidentibus Empirici obſervatione, ipſi vero indicatione uterentur. E quorum numero Theſſalus eo etiam temeritatis Romæ progreſſus eſt, ut ſex tantum menſium curriculo traditurum ſe totam artem medicam profiteretur, citra ullam aliarum diſciplinarum inſtitutionem. Horum tamen deliramenta potius quàm documenta eadem facilitate contemnere licet, quâ aſſeruntur: quia quos rabidus canis momordit, ſi ſtatim ulcus ad cicatricem ducatur, non adminiſtratis prius remediis, quæ ab ipſius cauſæ procatarcticæ indicatione ſumuntur, convulſos omnes animam exhalare videmus: ſervari autem eos, quibus juxta indicationem illius adhibita fuerint remedia, & ulcus dilatatum, unde cauſæ cognitionem neceſſariam eſſe convincitur. Deinde quia experientia monſtrat, nec ſenectute confectis, nec admodum pueris venam ſecandam eſſe, ac ſub Cane & ante Canem laborioſas cunctis hominibus eſſe purgationes, eaſdemque aut alias copioſas & confertas evacuationes non tolerare eos, qui Septentrioni ſubiacent, aut Ægyptum aut plagam meridionalem incolunt: qui veró inter hos ſunt medij, manifeſtam ex venæ ſectione utilitatem ſentire: Sed & oculum inflammatione obſeſſum diverſam curationem requirere ab ea, quam inflammata auris poſtulat, & ab iis omnibus diverſiſſimam gutturis inflammationem. At quorſum ego plures rationes accumulabo? cum unica iſtorum communitates convellere potis ſit, quod tum ſudores, tum urinæ, tum alvi dejectiones, atq; adeo ſanguinis fluxiones per nares, in morbis utiliter ſæpe oriantur, quas quidem evacuationes methodici cohibere conarentur, juxta eorum regulas, quæ ſemper vocant morbum in fluxu, ubi humores uberius excernuntur: Rationales vero haſce criticas excretiones meritò nullo modo ſupprimendas cenſent, quia per eas id, quod lædit, evacuatur. Et inſuper quia non ſolum ex rarefactione meatuum ſuperflua fit evacuatio, quod ipſi putabant, verùm etiam ex tenuitate ipſius contenti, aut copia aut impulſione internorum, aut externorum attractione, vel quolibet alio vehementi motu. Unde liquet tum in cauſis, tum in curatione morborum, tàm methodicos, quam Empiricos longiſſimè aberrâſſe, qui tamen à tempore Hippocratis fortiſſimi rationalis medicinæ ducis, per multa ſecula viguerunt, Serapione Themiſoneque auto-

Theſſali temeritas.

Rationes contra methodicos.

Cauſa procatarctica cognitio interdum neceſſaria.

Remedia differunt pro natura regionum.

Criticæ excretiones cohibendæ nõ ſunt.

Fluxio à quibus cauſis fiat.

Themiſons

Digitized by Google

Methodica ſecta autor. autoribus,qui haſce prauas ſectas in magnum generis humani præiudicium invexere: Et tantiſper graſſati ſunt,quoad tandem Galenus eorum acerrimus debellator, veteriſq; & Hippocraticæ medicinæ rationalis ſtrenuus propugnator harum ſectarum radices avulſit, & penitus exterminavit. Eas & Rationalem Auſonius tetigit,dum inquit:

—— Triplex quoquè forma medendi,
Quæ Logos,& Methodos,cuiquè Experientia nomen.

EXPLICATVR, ATQVE REJICITUR CHYMICORUM Secta:

CAPUT. VI.

Vti nunquam defuerunt,qui benè ordinatam rempublicam rerum novitatibus infeſtarent : ita in medicorum conventu, deletis iam, & repudiatis ſuperioribus ſectis noſtro hoc ſeculo quarta medicorum hæreſis pullulavit non Spagyrica illa, quæ artificioſa medicamentorum præparatione eam medicinæ partem auxit, quæ pharmaceutica nuncupatur, ſed Paracelſica,orta à Theophraſto Paracelſo,qui rejectis veterum rationibus, *Paracelſus monarchiā in med. affectavit.* principiis,& cauſis,nova principia & novas cauſas excogitavit,& ut in medicina monarchiam affectaret, novam ſectam conſtituit, diverſus per omnia ab Hippocratis & Galeni placitis, quorum philoſophiam & medicinam convellere,& pro iis novam quandam magno auſu ſubrogare conatus eſt : Tantumque rerum ſpecioſitas apud novitatis ſtudioſos valuit, ut brevi totam ferè Europam infectaverit, adeo, ut plerique mortalium rejectis ſalutaribus conſiliis, ejuſdem ignea medicamenta ſuo magno malo experirentur & experiantur indies. Ipſius verò ſequaces ex eo quod ignorant(variant enim omnes inter ſe,& pauci eorum artem uſpiam conſtare,aut ullis niti fundamentis affirmant.) non parum lucri faciunt,quia,ut ſunt,qui malunt nova dicere quàm *Nova placet ad tempus.* vera : ita non deſunt leuviora pleraque ingenia, quibus ad tempus ſaltem eadem ſunt jucunda,quæ tamen negligunt cum novitatis gratiam amittunt aut damnum experiuntur. Cæterum volunt hi chymici vocari â chymia arte,ſic nuncupata ἀπὸ τοῦ χεῖν quod *fundere* ſignificat,quaſi ſit ars fuſoria:vel certè ἀπὸ τοῦ χυμοῦ,quod eſt *ſuccus*,quãdoquidem ignis ope

ope metalla fundit, & in liquores transformat, & ut Mantuanus cecinit:

Eſt etiam cujus vecors induſtria vanas
Quærat opes, ubi nullus opes invenit ab ævo,
Æs lavat herbarum ſuccis, & vertere in aurum
Æſtimat.

Hanc verò artem ab Hermete Triſmegiſto Ægyptiis communicatam, Arabes ab iisdem ſuſceptam excoluiſſe cõminiſcuntur, & addito ſuæ linguæ articulo *al* Alchemiam cognominâſſe, ipſe vero Paracelſus *Spagyricam* dixit, quaſi congregatricem ἀπὸ τοῦ συναγείρειν quod *congregare* ſignificat, è cujus ſcholâ progreſſi ſunt, qui chymicorum ſepta transgreſſi, à regia medicinæ via in quosdam errores, ambages & ſomnia Paracelſi quaſi ipſius myſtagogi dilapſi ſunt. Hi in ipſa univerſitatis rerum principia turpiter impingunt, & poſthabitis, quæ per multa ſæcula magnorum virorum ſpeculationibus inventa, & quotidianis experimentis comprobata ſunt, ipſi ſuperbâ quâdam philautiâ nova fingere, & inaudita ac partim abſurda, partim quidem improbabilia arrogantiſſime præſumunt: Elementa rerum naturalium principia non eſſe: ſed matrices quasdam & nuda corporum receptacula, quæ non ex ipſis elementis conſtent, ſed ex hiſce tribus, Sale, Sulphure, & Mercurio, in quæ nimirum reſolvantur. *Tertiò*, ab his tribus omnia bona & mala, ſanitatem nimirum & morbos, ſuboriri, ſanitatem quidem, ſi in unum coeant, & conſentiant; morbum, ſi rupto fœdere diſſolvantur, aut diſſentiant. *Quartò*, medicum debere in omnibus corporibus eorum trium compoſitionem, ſtatum, & diſſolutionem cognoſcere, & primò in majori mundo probare arte ſpagyrica & igne, qui res occultas in lucem profert, deinde accommodare majoris mundi diſpoſitionem homini ſeu mundo minori, dicto microcoſmo, quia re ipſa, ſecundum ſpeciem, in ſe complectitur quæcunque in toto mundo ſuperiori continentur: Elementa videlicet, meteora, mineralia, metalla, vegetabilia omnia, ac demum ipſa ſydera: quemadmodum enim in ſuperiori mundo aſtra ſunt, ita in ipſa hominis ſphæra Sol etiam, Luna, Saturnus, Venus, Mercuriusque, ex quorum motionibus fructus ſanitatis, morborumque nuncij deducantur. Et quod in ſuperiori ſunt fulmina, Tonitrua, grandines, pluviæ,

Chymia unde orta fingatur.

Paracelſi error pri. mus.

2. *Matrices.*

3.

4.

Ignis res occultas in lucem profert.

Morbi meteoris correſpondere ex chymicis. Alios morbos ad metalla referunt.

pluviæ,calores,frigora,ſiccitates : in homine ſint febres , epilepſiæ , hydropos,catharri, paralyſes,apoplexiæ. Subinde,cor,cerebrum,pulmonem,hepar, Ventriculum ; ad auri,argenti,ferri,plumbi, familiam referunt. Lepram vero, elephantiaſin,halopeciam,ſcabiem,morphæam,cãcrum. vitrioli,aluminis,nitri,ſalis gemmæ,colchotaris,tartari. diſpenſationibus,adſcribunt,& ſic etiam de vegetabilium proſapia ſentiunt.

Spiritus mechanici chymici.

5. *Quintò*, generationes omnes,& mutationes à ſemine fieri, ope ſpirituũ mechanicorum,& tincturarum(uti vocant) quæ in ipſo continentur universæ anatomiæ ſuæ ſpeciei , qui tamen ſpiritus inter ſe contrarij ſint,& pugnas excitent.

Signatura.

6. *Sexto* , vires medicamentorum adſcribendas non eſſe qualitatibus evidentibus,quæ ſteriles ſignaturæ ſint,& accidentia,nec ullam habeant cum aſtris morborum confluentiam : ſed proprietatibus conſubſtantialibus,& arcanis viribus,in quibus prædeſtinatio(ut inquiunt)ſanationis vigeat.

7. *Septimò*, in omnibus corporibus venenum,&partes excrementitias contineri,quas natura ipſa caloris nativi virtute ſeparare contendat : ita verus medicus , & ſedulus imitator ipſius naturæ eodem artificio,hoc eſt, ignis ope , venenum omne,omneque inutile ab utili ſeparare debeat.

8. *Octavò* , ſimilia ſimilibus curari , non contrarijs,ut morbos mercuriales mercurio , ſulphureos ſulphure.

Anatomia morborum.

9. *Nonò*, ſingulas res ſuis formis,& imaginibus præditas eſſe, in quibus vera illa anatomia ſit ſita,quam ubi cognoverit medicus , ſciet etiam anatomiam morborum,& concordantias eorum,quæ cognata ſunt,&conjungi debent : nam quod prodeſt matrici, præditum eſſe matricis anatomia,& in hoc omnium morborum illius curationem contineri.

Medicinæ definitio ſecundum chymicos. Medici definitio ſecũdum chym. Naturam movere difficile.

Ita quidam definiunt artem hanc *cognitionem concordantiæ microcoſmi cum macrocoſmo.* Ex his concludunt,ſine chymiæ præſidio medicinam vel nullam eſſe,vel exilem,poſſidere majeſtatem : veram autem medendi artem illam eſſe,quæ abſolvitur *bene movendo naturam* philoſophum verò ſeu naturæ conſultum medicum definiunt *virum prudentem, movendi naturam peritum:* naturam eſſe concedunt morborum medicatricem,eandem vero movere omnium rerum difficilimum, & in quo totius medicinæ cardo potiſſimum vertatur. Sed enim magnificè gloriantur, naturæ conſultum medicum totius naturæ harmoniam indefeſſo ſtudio contemplari,in terris viventem cœli monimenta perrumpere ; & transplantationum leges (utar enim eorum vocabulis) naturam mundanam continentes ſedulò inquirere,quia ad bene movendam naturam , nil quicquã

Natura mundana.

ſtabile

ſtabile adhiberi poſſit, niſi probè omnia majoris mundi opera cum minori conferantur, & concatenata rerum in ſuperiori inferiorią; orbe inter ſe conſpirantium ſeries probe teneatur & ad ſcopum dirigatur. Denique verbotenus dogmaticos ſe eſſe affirmant, & ratione, ac experientia niti, cum tamen morbos, cauſas, & ſymptomata confundant, methodum medendi, & indicationes more Empiricorum rejiciant ac diætandi ordinem: immo medicinam experientiam eſſe dicant non quidem fortuitam, ſed certam, hoc eſt, arte chymica partam per ignem, quo inveniantur tres illæ primæ ſubſtantiæ, & quæ ſint naturæ proprietates, & conditiones per totum mundum & in omnibus creaturis.

Chymicorũ errores.

Ex hiſce ſplendidiſſimis vel potius obſcuriſſimis principiis egregiam ſuam ſapientiam conſtare affirmant, quam tamen barbaris, peregrinis, & ignotis vocabulis obvelant, ne indignis, ut ipſi dicunt, tam inſigne Dei donum à ſuperis revelatum communicetur, revera tamen ut vulgarem & vacillantem doctrinam in ijs, quæ minus intelliguntur, magnum aliquid ac reconditum incluſum habere hominibus perſuadeant. Nec his contenti variis etiam convitijs inſurgunt in Galenum, Avicennam, Platonem, & Ariſtotelem, ac reliquos Aſclepiadeos. Primo enim humores non dari ediſſerunt, quia nuſquam conſpiciantur. Secundò idonea quibusq; morbis remedia eos non noviſſe, nec etiam graviores affectus unquam ſanaſſe, ſed pro incurabilibus reliquiſſe: ſanioſam articulorum aquam in podagra eos latuiſſe, & oſſiculum triangulare quod in ſyncipite comitiali morbo inſaniàq; laborantium reperiatur; quod omnis generis affectus ex humoribus tanquam proximâ & continente cauſâ excitari affirment, contrariisq; curandos eſſe tradiderint; quod nulla fere propria ſingulorum morborum medicamenta habeant; quod eorum pharmaca tàm ſimplicia quàm compoſita inefficacia omnino ſint, aut certe abſurdè præparata, ſiquidem artis chymicæ fuerint imperiti, ſine qua nullum medicamentum ſalutare, ſed venenoſum potius & nocivum eſſe mordicus contendunt. Deniq; ab Ariſtotele multa impie dicta & à liberali diſciplina aliena, ætatem poſteriorem priori amplius laboraſſe, & dum ipſæ ſcientiæ cum ingeniis creſcunt, multos Ethnicorum turpiſſimos errores abſterſiſſe.

Chymici cur ſuam doct. obſcuris terminis tradant.

Chymicorũ arg. contra rationales med.

Non ſunt autem minus futilia argumenta, quibus ſuam conſtituunt ſectam, quantumlibet magnifice & ambitioſè, quàm inania illa & inutilia, quibus Aſclepiadeam evertere contendunt: humores enim

Solut. ſup. arg.

ſanguine miſſo ſingulos ſeparari videmus. Nec ipſi aliquid novi dicunt, dum Sal, Sulphur, Mercurium, & ſpiritum in rebus ponunt, ſed vocabulis perperam ludunt, eandem enim mixtionem & conſpirationem efficiūt ſanguis, pituita, bilis, & melancholia, ex quorum bonâ temperaturâ ſanitas, diſſidio morbus oriuntur. Elementa illa quatuor eſſe nequeunt, cùm ſimplicia non ſint, nec ex ipſis mixta corpora conſtituantur: Eſt enim elementum corpus ſimplex, ex quo quidquam primum coaleſcit, quodq; diſtrahendo compoſitum ultimum offenditur, & diviſioni minimum eſt, nec in diverſas ſpecies dividi poteſt, quod tamen nec ſali, nec ſulphuri, nec Mercurio poteſt convenire. Eorum verò, quæ diximus, medicus rationem conſiderat, & ſupernis lationibus ſubjecta eſſe non negat; nec generationes à ſemine fieri, & ab ſpiritu, qui in eo eſt, proportione reſpondente elemento ſtellarum; Vires medicamentorum plerumq; qualitatibus primis, interdùm etiam occultis proprietatibus tribuit, potiſſimum autem frigori & caliditati, quæ ſenſum tactus inprimis feriunt. Excrementitias partes in omnibus rebus reperiri apud Hippocraticos legimus; Venenum in omnibus reperiri nec legimus nec admittimus: Eſt enim venenum, quod diſſidio & inimicitia naturam noſtram depeculatur, atque depaſciturr, quod tàm longè abeſt à natura excrementi, ut pleraque ſint excrementitia, quæ familiaritate ſubſtantiæ corpus alant & in ipſa excrementi generatione perfectio rei ſita ſit, ut videre eſt in fœmina, & ſanguine in ipſa redundante, ex quo colore tantum mutato ſuaviſſimum fit puellulis nutrimentum; neque ex pane aut vino deſtillato Chymicus unquam efficiet adeo familiare ſalutareve hominibus edulium aut potum, ut panis ipſe & vinum, quantumcunque igne ſeparentur aut ſublimentur. Similia ſimilibus curare abſurdum plane, & ab omni philoſophia alienum eſt, nam quod plenitudo morbum efficiat nemo negat, quod autem evacuatio ſit ejus curatio quis compos mentis inficiabitur? pariterq; ſi morbus ex refrigeratione fiat, curationem per calefactionem eſſe: ſi ex calefactione, per refrigerationem. Annon ſi propter nimiam evacuationem morbus contingat, reficere protinus convenit? an verò largius effluente ſanguine per nares, aut ex utero muliebri, aut ex ulcere ulterius evacuabis aut ulteriori inedia excarnificabis patientem? Dari tamen medicamenta, quæ quadam facultate unicuique corporis particulæ, ſeu iuvandæ, ſeu lædendæ, addicta ſint, facile concedimus, ut ſalvia ce-

Sal. Sulphur & Merc. elementa eſſe nequeunt.

Elementum quid.

Vires medicamentorū unde.

Venenum quid.

Exementa quædam alunt.

Similia ſimilibus curari nō poſſunt.

Facultates tertiæ.

via cerebro, bugloſſum cordi, eupatorium jecori. Nec etiam, quod iſti affirmant, ignis ope venenum, & inutile ab utili ſemper ſeparatur, & ad benignitatem ſubſtantiæ reducitur: quin potius calidorum vim auget, & in igneam ac venenatam naturam convertit. Ariſtotelem pleraque ad pietatem parum concinnè ſcripſiſſe fatemur, quæ tamen ad hominis & rerum naturalium compoſitionem, quarum fuit ſcientiſſimus parum attineant; neque id mirum videri debet in homine divinarum ſcripturarum lumine deſtituto; ſed videant ij tàm egregij theologi, qui illa, quæ ad rem, de qua agimus, in ethnicis tantopere reprehendunt, quo autore quovè pudore poſſint illa adſtruere principia rerum, quorum nulla in divinis ſcripturis ſit mentio, præſertim ubi divinus Vates accuratam inferioris orbis creationē deſcribit; aut quâ ratione quâvè majori religione Paraceli[9] ſuus ab ſpiritibus malignis remedia morborū arte magicâ cōparari jubeat, quod facit in libro de morbo comitiali contra expreſſū Dei præceptum, quod viros prudentes ac pios non poteſt nō graviter offendere. Satius igitur fuiſſet & reipublicæ medicæ conſultius, ſi Paracelſus cum ſuis ſectatoribus intra chymicorum officiorum ſepta ſe continerēt, nec à verâ philoſophiâ, ex qua nata eſt medicina, in præſtigioſas ambages dilaberentur. Nec inficias imus, quorundam remediorum ritè præparandorum eam artem rationem nobis ſuppeditare, & qui hoc præſtat, hunc verum ac induſtrium Chymiſtam appellamus, & ut artis non infructuoſum miniſtrum amplectimur, qui ibi incipit, ubi deſinit phyſicus, & in concinnandis remedijs ſe exercet, ac remediorum formas ſua dexteritate artificioſè præparat, quo ſenſu jam parum diſtabit Chymicus, ab eo, quem vulgò medicamentarium ſeu pharmacopœum, ab aptandis diverſis remediorum formis in medendi ſcopum utiliſſimum requiſitis, appellare conſuevimus. Eos verò qui in ipſa univerſitatis rerum principia turpiter impegerunt, & novam ac ſuperſtitioſam medicinam ſecuti, ex natura rerum deprompta principia ſusq; deq; habent, perhorreſcimus, & eorum infauſtos ſucceſſus cum maximo mortalium detrimento indies videmus atq; dolemus. Verum nec hoſce eorum errores, nec ſuperiùs allata deliramenta nos hic perſequenda ſuſcepimus, quæ quidem detexiſſe & inculcaſſe, refutaſſe ſit, adeo per ſe vana ſunt & perniCioſa, voluimus tamen ſectam inculcare neſcientibus, maxime futuro medico perfecto, ut inter ſpinas calceatus incedat.

De Ariſt. judicium.

In ſacris lit. non inveniuntur principia rerum quæ à Chymicis ponuntur.

Paracelſus ab ſpirit. malignis remedia petit.

Verus chymiſta quis.

D 2 Adverſus

ADVERSVS EOS QVI NEC MEDICINAM NEC MEDICOS REIpublicæ neceſſarios eſſe contendunt.

CAPUT. VII.

HActenus cum internis hoſtibus nobis contentio fuit, qui quoniam aſſidui, importuniores ſemper cenſentur, & quia domeſtici, pernicioſiores, quippe qui melius norunt nocendi vias, & probabiliorem fucum faciunt: tales fuerunt Empirici, Dogmatici & Chymici, qui ſe legitimos eſſe medicos profitentur, cum tamen non ſint. Nunc ad evertendos eos orationem convertimus, qui aut idiotæ & imperiti, aut aliarum facultatum profeſſores, erga medicos tamen malè affecti, plus nimio ſuis affectibus indulgentes, ea condemnant, quæ ignorant, & in medicinam, ac medicos plurimis inſurgunt argumentis. *Primum* deſumunt ex ſectarum varietate, & quod ejuſdem ſectæ medici plerumque inter ſe diſſentiant, ex quo putant, eorum dogmata minime conſtare? atque inde ſuboriri tantam illam medicorum inter ſe pugnam, ut quod unus ſaluberrimum, id alter protinus pernicioſum eſſe contendat: Et hac ratione factum, ut jam Hippocratis tempore divinationi ars ipſa medica compararetur, ſiquidem augures eandem avem ad dextrâ fauſtam, ad ſiniſtrâ vero infelicẽ putant, & ſimiliter dum exta victimarum inſpectant, inter ſe diſſentiant. Sed non advertunt eſſe hominum ingenia varia, idcirco variare interdum medicos, citra patientis periculum, in mediis, non tamen in fine, quem omnes ſibi proponunt, ſanitatem, & ad eandem per varia media atque remedia pervenire poſſunt. Et certè ſi propterea medicina culpanda eſſet, eâdem operâ philoſophia ipſa, omnium bonorum inventrix altrixq;, damnanda inprimis foret, nuſquam enim alibi diſcordiarum tantum reperies atq; ſectarum, atqui eò tamen interim tendunt, ut, quoad fieri poteſt, à veritate non diſcedant. Ita rejectis iam atq; exploſis quibuſdam opinionibus, quibus priora ſecula fuerunt obfuſcata, planum iter labore ſuo ad philoſophiam nobis effecerunt Plato & Ariſtoteles, & quales ii duo in philoſophia extitere, tales in medicina Hippocrates

Primum arg. ex diſſenſione medicorum

Solutio.

Quales in philoſ. Plato

pocrates & Galenus, quos omnes benè ſentientes libenter ſequuntur. Ita factum, ut poſteaquam horum duorum principum medicina ratione inprimis ſtabiliter nixa, tum deinde experimento ſuffulta, totque deinceps ętatib° doctiſſimorum virorum judicio recepta, autoritate teſtata, concors ſit, & inter ſe minimè diſſona, niſi cum rerum incidunt difficultates, ſed ne tunc quidem, licet in rebus dubiis ambigentes, tandem inventa veritate diſſentimus. Idcirco qui veteres & orthodoxos medicos diſcordiæ, & ob diſcordiam inſcitiæ inſimulant, hi vel quæ ſit medicorum diſcordia ignorant, aut in medicos male affectos ſe eſſe, aut in arido illo magnis rebus obtrectandi argumento ingenij famam quærere fateantur neceſſe eſt. At dicunt, gentes aliquot inſtitutis ſuis medicinam aſpernantur, nec ante Hippocratem quicquam de re medica ſcriptum reperitur, quo tamen tempore homines diutius vivebant; nec Babylonij, ut Herodotus & Strabo ſcribunt, medicos habuerunt, ſed ægrotos in forum producebant, ut quiſque quod in illo morbo probatum haberet, gratis inculcaret, quod etiam Ægyptios, & in Hiſpania Luſitanos factitâſſe legimus. Sed quæ fuerunt gentes illæ? Scythæ, Sarmatæ, Babylonij, Ægyptij, Luſitani, quo tempore pulcherrima etiam inſtituta, mores, & leges, quæ apud alios vigent, imprudenter nondum admiſerant, ut neq; politiorem legum, morumq; inſtitutionem: atque hæ quidem gentes tametſi ſine medicis degant, non tamen ſine medicina. Verumenimverò in bene inſtituta civitate inter clariſſimas artes ſuus ſemper medicinæ locus fuit, & ſi quæ rudis adhuc & barbara natio odio habuit medicinam, eadem exutâ ruſticitate cum aliis præſtantiſſimis artibus recepit ſtatim medicinam, quæ potiſſima ſit artis medicæ laus, quam videmus agreſtium & ferocientium hominum conſortium reſpuere. Quo nomine quam maximè vituperatam cupiunt medicinam, laudanda magis venit; nec enim dedecori ipſi eſt, quod à barbaris civitatibus non intromittatur, quas ipſa volens ſemper fugitet, ab humanioribus honorificentiſſime habita, apud quas & prudentiores principes ſummos conſecuta fuerit honores, & propoſitis ubiq; præmiis ſuſtentata, ut infrà dicendum eſt. Strabo refert Indos olim nullas artes exquiſite diſcere ſolitos præter medicinam: & ex Germanis (quod alterum erat apud ipſos philoſophorum genus, cum alii Bracmanes dicerentur) medicos fuiſſe multos, & eos quidem poſt ſylvicolas honoratiſſimos, ut qui circa hominem philoſopharentur, cuncti illos hoſpitio libenter ſuſcipebant, & quilibet rogatus

& Ariſtotales in med. Hip. & Galenus.

2.' ex uſu gentium quarundã.

Solutio.

Gentes aliquot ſine medicis degunt; non tamen ſine medicina.

lib. 16.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

3. ex fallacia, & periculo experimenti. *Solut.*

neceſſaria gratis liberaliterquè erogabat. Tertium cudunt argumentũ ab experimẽti fallacia atq; periculo;qui tamen apertè cavillantur. Non enim Hippocrates artem fallacem periculoſamq; eſſe dixit, ſed experimentum,idq; propter humani corporis, circa quod verſatur, præſtantiam,quod evidens eſt nobiliſſimæ artis argumentum, quæ non ſine periculo adipiſcitur,quia non corium,lignum,lapides, aut vilem aliquam materiam tractat,in qua impunè liceat experiri.

4. Ex fiducia ægroti. *Solut.*

Argutantur ulterius,fiduciam plus poſſe quam in medico collocaverit æger,quàm artem ipſã; ſed hoc potius optimi medici indicium eſt, qui talem ſe præſtiterit, ut omnium maximè ei ægrotantes confidant, & futuræ ſalutis ſpem concipiant. Ut enim victus,aer,& medicamenta conferunt; ita etiam animi perturbationes nocent; animi compoſitio,hilaritas, & confidentia conducunt,ut poſtea clarius apparebit.

5. Ex noxâ quorundã Medicam. *Solut.* *Evidens fructus parva noxa preferendus.*

Nec majoris momenti eſt, quod effutiunt,rarò invenire medicamentum,quod aliqua ex parte non noceat; quod tantùm admonere medicum videtur, ut evidentem uſum parvæ noxæ præferat,aut majorem partem demat, quod debita præparatione mixtioneque fit, & plurima tamen ſunt, quorum rectè exhibitorum inſignis uſus ſit, citra manifeſtam noxam.

6. Ex fortuitis curat. *Solut.* *Fortuna & caſus plus habet virium in Empirica quã in rationali.*

Quod autem de caſu dicitur & fortunâ, quam plurimum valere in rebus medicis plerique exiſtimant; nos in Empiricâ,ut antea diximus,& in re militari magnam fortunæ vim cerni concedimus, minimum vero in medicina rationali, in qua ratio ſemper dominatrix & rectrix potiſſimas partes ſibi vendicat,

7. Ex artis inconſtantia.

His accumulant artis inconſtantiam, & de nihilo plerumque petitas ac vacillantes conjecturas, & diligenter quamvis præſtentur omnia à medico, ægritudinis ſæpenumerò contumaciam& aſſiſtentium negligentiam,tũ multa alia,quę fortuito intervenientia medicum quantumvis induſtrium&expertum fruſtrantur fine ſuo,quæ omnia artis incertitudinem apertiſſime arguunt & illam à legitimo artium conſortio abdicare videntur;Quibus reſpondemus,medicinam Mathematicis quidem certitudinibus non uti, quamvis plurimis evidentiis illis finitimis,ſed plerumq; conjecturis ijs, ex quibus diligenter collectis ſagax & acutum medici ingenium plurimum firmitudinis capere poſſit:

Artis inconſtantia unde.

Quidquid vero incertitudinis ei ineſt, non ex theorematis proprijs contingere,quæ ſtabilia ſunt,ſed ex finis fruſtratione, de cujus interdum poſſeſſione medicus dejiciatur; artium quarundum nobiliſſimarũ exemplo: nã neq; imperator victoriæ compos ſemper fit,

nec

Digitized by Google

nec civilis Magiſtratus pacatam reddere civitatem ſuã poteſt, ſunt enim res, quæ tractantur, vagæ & inconſtantes: at propoſitiones, quæ artem cõſtituunt, certæ ſunt, quæ certam ipſam reddunt. Violentius premit quod de artificum indignitate, & de malorum quorundam medicorum erratis, ac vitijs, deq; ipſorum impoſturis, jactantia, avaritia, præmiorum pactione, veneficijs, contentioſisq; diſputationibus in medium producunt, quę malorum ſunt omninò morum indicia eius, quem eſſe virum bonum oportere, jam antea diximus. Sed præterquã quòd artificis defect⁹ in artis indignitatem redundare non debet, urget illud quidem, ſed contrà hujus artis ſophiſtas duntaxat urget, qui talia perpetrant, & impoſtores potius quàm veræ medicinæ cultores appellandi ſunt. Eſt enim maximus eorum numerus qui artem alienam occupare nituntur. Ut enim aurum libentius adulteratur, quam vilius aliud metallum, ob inſignes dotes & ingentem ſpem lucri: ſic naturâ comparatum eſſe videmus, ut optimæ quæque artes à noxiis hominibus, qui inſignia mutant, crebriùs impetantur, crimine inprimis atroci & maxime puniendo, cum periculum inſit in nullo mendacio majus, quàm ſi medicum ſe eſſe profitenti ſtatim credatur. Non enim ubi quis pompoſâ mulâ, aut generoſo equo, digitis annulatis, complicatis chirothecis & holoſericatus incedit, medicus ſtatim is eſt, ſed qui emenſis philoſophiæ medicinæq; ſummo cum ſtudio & labore curriculis experimenta poſtea prudenter adhibuit: atq; idcirco diſquirendum ſemper, quæ certa appareant veri ac legitimi medici indicia qualem hîc delineamus: quæve adulterini notæ ſint, de quo infra cap. ult. lib. 3 quem adverſariorum telis confodiendum libenter tradimus, ut ignavum fucos pecus à præſepibus arceant, nimirum à legitimo optimorum medicorum conſortio. Quibus Plinii, Aponenſis, & aliorum multorum dicteria quadrant: hi enim ſunt, qui, ut ait Plinius, jurarunt inter ſe necare omnes medicinâ, & hoc ipſum mercede faciunt, ut eis major adhibeatur fides: hi ſunt terræ filij, qui ſe huc ex carceribus egeſtatis, aut ex fulloniâ, ut inquit Galenus, ſutoriâvè aut ſartoriâ emiſſi, tanquam ad aſylum quoddam egeſſerunt, ut ille medicinæ peſtis Theſſalus, de patris textrinâ prodiens, & quia non ingenuus & qui melius artem callet, ſed qui adulari aptius novit, apud quoſdam in pretio eſt: hinc garrulitatem medicorum accuſant quidam, alij contentioſas conſultationes: medicinam appellantes poſt bellum auxilium, & mor-

2. Ex artificum indignitate.

Solutio

Malorum medicorum magnus numerus.

Similitudo.

Ornatus medicum non facit.

Medicus legitimus qualis.

Plinij dicteria in quos medicos quadrent.

Medici mali cur crebriores.

Dicteria quorundã in medicinam.

Dicteria quorundam in medicinam. & mortuorum medelas, tarditatem remedij jocoſè cavillantes. Alius medico dixit, apium ſecum ferre ad coronandum mortui ſepulchrum: nec defuit, qui ſe medicorum turbâ perire exclamavit, quia evenit plerumq; ut deterior pars ſuffragiorum numero prævalens vincat. Alius cũ plures vidiſſet medicos cõferentes de genere morbi, nec bene inter ſe concordes, *tot*, inquit, *vultures ſuper unum cadaver* ? Ideo fati ſe ope evaſiſſe, non medici, quidam protulit: alius incolumem ad ſenectutem perveniſſe, quod medici nunquam opera uſus fuiſſet, mali nimirum & ineruditi. Et eſſet profecto non ſolum ægris, ſed totius artis exiſtimationi, ac famæ conducibilius, ut medici potius operâ reſpublica careat, quàm ut malos medicos adhibeat. Ex eodem enim hoc improbitatis fonte in artis ignominiam redundarunt multorum nequiſſimorum adulteria, & veneficia, infanticidiaq; ſceleratorum quorundam hominum, ſub quorum perſona carnifex potius damnari, quam commendari medicus potuiſſet. Quæ ſi hacquoque tempeſtate flagitia contingant, deteſtemur ea quidem & principes ac civitates eadem longiſſimè extrudant, retentis bonis & ingenuis medicis, ne meritò exploſâ malitiâ, inſcitiam non minus noxiam immeritò introducant.

Præſtat medicos non habere, quam malos habere.

Admonitio ad principes & civitates.

PLVRES ADVERSARIORUM RATIONES ADVERSVS MEDICINAM & medicos ulterius refelluntur:

CAPUT. VIII.

CUm ſuperioribus argumentis nihil ſe proficere animadvertant adverſarij, conglomeratis copijs in artem medicinam & medicos impetum faciunt. Hominum, inquiunt, malitia & avaritia ex medicina mercimonium & nundinationem quandam fecit, ac reconditam artem ex eâ re, quæ cõmunis omnibus eſſe debuiſſet. Priſcos illos antiquiores ſeipſos invicem curâſſe ſimplicibus medicamentis ſibi notis, non iſtis, uti ajunt, compoſitionibus deteſtandis, quas nec ipſi medici, nec patientes intelligant. Addunt pernicioſiſſimum eſſe medicos in republica habere, quia poſt eorum uſum homines ob majorem vivendi licentiam breviorem vitam vivere

1. arg.

2.

3.

Digitized by Google

vivere conſuevêre. Afferunt in exemplum principes ut plurimùm bre-
viſſimæ vitæ,quorum tamen menſis ſemper medici adſtare ſoleant : &
ruſticos longævos, quibus cum medicis nunquam omnino res fuerit :
Ac propterea Æſculapij templum fuiſſe extra urbem extructum,ut in-
telligeretur,eos neceſſitate , non voluntate medicinæ aliquid tribuere.
Romanos antè medicos non admiſiſſe, quàm omnium rerum luxum , 4.
cujus noxa operâ medicinæ depelleretur. Mortales tunc primùm ſui 5.
curam neglexiſſe,cum eandem medicis tradiderunt : qui quidem lucro
intenti ut artificium oſtentarent,ſalutaria , & notiſſima remedia negli-
gentes,inauditis mixtionibus hominum mentes præſtigiarint,ac fictioni-
bus dediti in omnibus à communi uſu receſſerint. Hinc mundarum 6.
immundarumq; rerum mixturæ, hinc deſtillationes, ſirupi , electuria,
pharmaca,quæ neq; antiqui uſurpaverint,nec ipſis in mentem unquam
venerint : hinc conſuetudo exhibendi aurum,lapillos,immo etiam,ut
ſtrutiocamelis,ferrum ipſum hominibus devorandum : hinc uſus theria-
cæ,mithridatij,quas compoſitiones ad minimum ingrediantur 54 ſim-
plicia,pleraq; etiam venenoſa , quorum rationem , concordantiam , &
temperamentum,naturam monſtraſſe non ſit veriſimile : nec debere
medicos gloriari ea inveniſſe,& ſimplicia quædam,ut rhabarbarum,caſ-
ſiam,ambram,Zibetum,moſcum & ſimilia, quorum illa corpori huma-
no,hæc animæ etiam nociva plerumq; ſint. Ac propterea inveniſſe 7.
medicos barbara & incognita vocabula, à græcis & latinis per omnia
diverſa, nova etiam ſigna,& novos characteres,quæ alijs hominibus ſint
omnino incognita,adeo negotium medicum, quod cunctis in propatulo
eſſe debuiſſet , obſcurare tentaverint. Adhæc homines non videri 8.
peioris eſſe conditionis quàm bruta ipſa,quorum tamen pleraq; medi-
camenta ſuis morbis utilia norint,utpote Cervus dictamnum,chelidoniã
hirundo,aper origanum & ſimilia. Plura itaque committi errata copiâ,
quàm committerentur penuriâ medicorum. Nec opus eſſe plures con-
trahere ægritudines in ſtudiis literarum & in perdiſcenda medicina,
quàm ipſa curare poſſit. Naturam eſſe morborum medicatricem, agri- 9.
colam,& nautam uſu fieri,non ſtudijs ; non igitur oportere paucorum
hominum & eorum quidem ambitioſorum arbitrio reliquos omnes eſſe
obnoxios,eorum pedibus ambulare, ad eorum nutum moveri , & ex eo-
rum appetitu cibos capere,neq; conſultum videri,ut ipſi ſint arbitri va-
letudinis vitæque humanæ. His adjungunt (ut nil nugarum deſit) 10.

Digitized by Google

mirum videri, ut cùm theologus aut jureconſultus & reliquarum facultatum profeſſores de ſua profeſſione interrogati tempus ad reſpondendum ſoleant plerumque poſtulare, ſoli medici ſubitò reſpondeant, etiamſi à mille patientib⁹ interrogentur, pluris, ut ipſi nugantur, facientes erroris confeſſionem, quam errores ipſos, quorum jam & malorum ſucceſſum, qui ab ijſdem originem trahunt, præmeditatam habeant excuſationem, inordinatam ſcilicet languentis vitam, morbi malitiam, aut novum humoris impetum.

11\. Denique quamplurimos viros inſignes medicos nunquam admiſiſſe, & nihilominus vitam ad ultimum perduxiſſe ſenium: ſolà diætà Aſclepiadem Pruſienſem curaſſe ſummâ cum laude, quæ ad hanc ſpectant medicinæ partem, hominibus eſſe à natura quaſi indita, & uſu comprobata, quilibet enim novit quibus edulijs ſit utendum, quando & in quà quantitate, hoc probè ab hominibus obſervari, ijs exceptis, qui ultrò inordinatè vivere conſueverunt. Cum igitur in hac, quæ eſt præcipua, medicinæ parte ſine valetudinis pædagogis homines vivant, nihil obſtare, quò minus id ipſum in alijs fieret, & invicem inter ſe ſinguli inculcarent, quæ ſalutaria eſſe noverint.

Aſclepiades Pruſienſis ſolà diæta curabat.

Hæc etſi abſurda ſint & à communi ſenſu abhorreant, tamen ſuos habent applauſores, quia non deſunt naturæ aliquæ adeo monſtroſæ atque diſtortæ, ut admirentur peregrinas opiniones, vel quia glorioſum putant alijs contradicere, vel quia novitatis ſtudio falſa & abſurda quæque propugnare decreverunt, quantumcunq; ſtolide, ac ſophiſticè errent, quod fortaſſis eſſet ferendum, niſi ſeriò ſe non errare contenderẽt. Nam ut miſſam faciamus Catonis procacitatem & garrulitatem Plinij, non defuerunt patrum noſtrorum memoriâ qui, eorum grammaticalem inſcitiam renovarent, ex quorum numero Ferdinandus Nonius humanarum literarum in academia Salmanticenſi publicus olim magna cum laude profeſſor, qui edito in lucem ſcripto, in hunc finem, & medicinam, & medicos omnes perdere, aut procul ultra Thulen orbiſq; fines ablegare conatus eſt. Iis verò, qui veritatem amplectuntur, & in eà acquieſcũt, perfacile erit illorum ruſticam pertinaciam caſtigare, & vanitatibus reſpondere, quæ ad duo potiſſimum capita reduci poſſunt: primum, experientiam ſatis eſſe ad morbos profligandos & hoc nos jam ſuperius adverſus Empiricos plurimis & validiſſimis rationibus abunde confutavimus: ſecundum, medicinam non eſſe tanquam artem aliquam

Ferdinandus Nonius græcus commentator.

Reſponſio ad ſuperiores argumentationes.

Digitized by Google

quam conſtituendam, nec medicos in benè ordinatâ republicâ neceſſarios, ſatiusque videri, ſi quilibet ſui corporis ac valetudinis habeat rationem. Verum hæc omnia commenta perfectus medicus exſibilare potuiſſet hoc uno verbo: falſa ſunt; Et riſu magis explodenda quam verbis: & vereor, ne ſi ad ſingula reſpondere tentavero, videar in ſupervacaneis collocare diligentiam: perſtringam tamen quàm breviſſimè quædam, ne pernitioſum ac peſtiferum dogma ulterius ſerpat, aut aliquando revireſcat, & rudioribus ſaltem lapis ſit in via.

Et quidem, ut ſuperius diximus, ſi gentes quædam & Romani medicinam non habuerunt, interim dum barbari fuerunt, & inculti, poſteaquam ipſis innotuerunt aliæ diſciplinæ, medicinam etiam amplexi ſunt, & fuit maxima Dei providentia, ut cum luxu introduceretur, nempe cum noxâ medela. Et tantum abeſt, ut medici à bene ordinata repub. expulſi unquam fuerint, ut quidam nugantur, quin potius, ut ſcribit Svetonius, Cæſar medicos civitate donaverit, ut libentius urbem incolerent, & in magna quadam ſterilitate peregrinos omnes urbe expulerit præter medicos. Neque verò medici intemperantiæ auctores ſunt, ſed remedij ejuſdem latores. Nec propterea reprehendendi videntur, quia ſui laboris honorarium accipiant, ſiquidem ex lege divina & humana mercenario merces ſua debetur, & vult Deus, ut non obturetur os bovis triturantis. Mirum autem & planè delirum eſt, quòd volunt, homines nullis præceptis, nullàvè arte ad medicinam duci, cum conſtet, quàm ſit experimentum ratione deſtitutum periculoſum: mutantur enim omnia ætate, temperamento, tempore, & multis alijs rebus, quas medicus cognoſcat neceſſe eſt, earumque cauſas tàm occultas quàm manifeſtas, quibus accuratè cognitis, poſt philoſophiæ notitiam, oportet inſuper ut probe calleat naturas & proprietates herbarum, arborum, fructuum, lapidum, animalium; & cæterarum rerum quæ, in uſum medicinæ trahi poſſunt, ut in applicatione nullum committat errorem. Hæc autem fieri non poſſunt ſine diſciplina & regulis, quarum comprehenſio ars ipſa eſt, alias omnia confunderentur: neq; enim omnes experiri omnia poſſunt, nec experta à ſe ipſis recordari. Immo & ipſe nauta & agricola, quos in exemplum adduxerant, ſuas habent regulas, & ſuos canones, quos ſequuntur, quæ omnia etſi medicum non efficerent præſtantiorem tamen facerent, profectò prudentiorem promptioremque. Et propterea eſt ars medica, quia naturam conſiderat

Merces mercenario debetur.

Experimentum ratione deſtitutum periculoſum.

Diſciplinæ & regulæ medicinæ ſunt omninò neceſſariæ.

Medicina cur ars ſit.

Digitized by Google

derat patientis, medicamenti, & morbi, quorum omnium rationem reddere poteſt, neq; id ad morbos duntaxat profligandos, verumetiam ad valetudinem conſervandam. Eſt igitur ars medica neceſſaria, quæ ratione & experientiâ conſtet, fuitque ſanè non malitiæ aut avaritiæ, ſed Dei inventum, ad conſervandam & inſtaurandam hominis, quem fecerat, valetudinem: neque hoc latuit pleroſq; mortalium qui medicinæ inventionem ad ſuos Deos retulerunt. Porro iniquum prorſus eſt quod de remediorum compoſitionibus obtrudunt, quarum inventio potius laudanda & pro maximo Dei beneficio habenda erit, qui complicatis graſſantibus morbis componendi etiam medicamenta hominibus communicavit rationem, quam ſi antiqui non adeo uſurpârunt, in eo ipſis ſumus ſuperiores; nec quia nova contemnenda, nec etiam quia ſimplicia utilia, propterea compoſita utiliora eſſe deſinunt, quorum ingredientia ſe invicem adjuvant, & qualitates intenduntur aut contemperantur pro medici intentione. Vino aquam miſcemus, ut ſalubrius fiat, oleo acetum: & quod in cibis condimentum, in medicamentis mixtio eſt. Illud autem omnem ſuperat malignitatem, quod dicunt, medicos de induſtriâ vocabula inveniſſe peregrina, ut artem obfuſcarent, quod potius faciunt, quia non ſuppetunt interdum alia notiora, ſæpè etiam ut ſervent proprietatem & originem ipſius vocabuli. Nec minus ridiculum eſt, quod de characteribus blaterant, quippè quod vitandi laboris & compendij gratia fit, & habent ſingulæ artes ſuos terminos, ac peculiaria vocabula & ſcribendi notas, ut animadvertere licet in juriſprudentia & aſtronomia, præſertimq; in Theologorum figuris Notariacis, uti vocant, tàm literatis, quàm illiteratis, utpote Aſteriſco, Obelo, Ceraunio, Limniſco, Apile, Gehennon, & multis alijs, de quibus Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta copioſiſſime diſputavit. Quod autem effutiunt, nec medicinam eſſe perdiſcendam, nec diſciplinas ad eandem neceſſarias, noſtrâ non indiget confutatione, quia (ut verbis Alfonſi Aragoniæ regis utar) *vox eſt bovis potius quam hominis, nec magis convincit, quàm ſi quis virtutes omittendas dixerit, quia labore parantur.* Nihil etiam mirum, ſi Aſclepiades orandi magiſter, nec ſatis in ea arte quæſtuoſus, ut Plinius refert, ad medicinam propterea ſe convertens meditata oratione omnia abdicaverit, ut neceſſe erat homini, qui nec id antea addidicerat, nec remedia noverat ratione uſuque præcepta, totamq; propterea medicinam ad facilima revocare ſtuduerit, abſtinentiam cibi, exercitium moderatum,

Medica ars neceſſaria.

Compoſitiones medicamentorum utiles.

Quod in cibis cõdimẽtum in medicamentis mixtio eſt.

Medici cur interdum utantur peregrinis vocabulis.

Characteres medici cuius ſint uſus.

Singulæ artes ſuos habent terminos.

Notariaca figura.

Sixtus Senenſis.

Alfonſi dictum egregium.

Aſclepiadis aſtus.

eum,& frictiones, quæ cùm unuſquisque ſibimetipſi præſtare poſſe intelligeret,faventibus cunctis, ut eſſent vera quæ facilima erant,univerſum prope humanum genus circumegit in ſe, ut ſolent,qui libertatem in alijs promittunt: trahebat enim mentes artificio mirabili,multaque blandimenta excogitavit,aliaq; multa jactabat,dictu grata atque jucunda: atque ita leges ſalutis humano generi ad placitum dedit,quas tamen poſtea abrogavere multi,ita ut penè perierint cum autore.

MEDICINAM A DEO ESSE, EXPLICATUR LOcus Eccleſiaſtici.

CAPUT. IX.

IAm verò eorum, qui medicinæ detrahunt, quidam ipſas medicamentorum facultates negant: quidam eſſe quidem, ſed homines earum certam ſcientiam non habere: alij tẽporis diuturnitate defeciſſe cavillantur, neq; eſſe medicamentorum vires,quales olim fuerant,ſed languiſſe omnes. *Obiectiones aliquot diluuntur.* Sed hi facile coguntur manꝰ dare,ſiquidem in propatulo eſt,admotione rerum quarundam homines lædi,putà impenſè refrigerantium aut calefacientium,quod ſi lædere hæc poſſunt, poſſunt utiq; prodeſſe,contrarias affectibus qualitates inducendo,ideoq; quibus alia nocent, alia utilia erunt: &rurſus ſi talia ſunt,quorſum illa fecit Deus, niſi,ut eorum cognitio ad homines perveniret? dedit igitur Deus in ipſo mundi exordio facultatum earundem ſcientiam,quam, quia exoleſcebat, conceſſit poſtea Salomoni,quem de omnibus ſcripſiſſe ſacræ teſtantur literæ ab Hyſſopo uſq; adCedrum,ex cujus ſcriptis pleraq; ſunt derivata adGræcos, Arabes,&Latinos:Quod etiã teſtatur Eccleſiaſticꝰ dicens: *Ad agnitionem hominum virtus illorum: & dedit eorum ſcientiam hominibus altiſſimus.* Elanguiſſe verò earum vires,commentitium eſt atq; profanũ:neq; enim elanguit tota terra, etiamſi concedamus,per viciſſitudines longâ culturâ,ſeminatione,aut defectu ejuſdem, vel aliâ quâpiam ratione,alias terræ partes debilitari,alijs fœcundioribus redditis,neq; enim una particula langueſcit ita atq; ſeneſcit,ut non poſſit vires reſumere & rejuveneſcere, ſiquidem circulo quodam abeunt &redeunt omnia: ita fit ut quæ *Omnia in circulum redeunt.*

 ex uno

ex uno loco antiquitus deportabantur, jam ex alio potiora aſportentur, & contrà, dummodo ea producere poſſit: *non* enim *omnis fert omnia tellus.* Quodſi adhuc minoris virtutis eſſe vegetabilia contendant, mortalium robur etiam imminutum eſſe fateantur neceſſe eſt, atque adeo eandem nunc ſervari virium proportionem, quæ tunc erat.

Medicamenta hodie æquè valida atq; olim.

Aliorum arg.

His & alijs quamplurimis de ponte dejecti medicomaſtiges, cùm in humanis præſidia non inveniant, ad aras confugiunt, & ſtultâ quâdam religione affirmant, medicinæ opera neceſſaria non eſſe, eò quòd ſanitas & morbus, vita & mors penes Dei volutatem ſint: immo contraria divinis inſtitutionibus medicinæ præcepta eſſe, ſiquidem à jejunio revocant, lucubrare non ſinunt, & à meditatione homines abducunt: hujus rei perſpicuum videri documentum, quod in litteris ſacris nulla fiat medicorum alicujus nominis mentio. Immo Aſa Rex reprehenditur & peccâſſe dicitur, quòd vexatus dolore pedum vehementiſſimo, in infirmitate ſuâ non quæſiverit Dominum, ſed magis in medicorum arte fiduciam poſuerit. Verùm hæc omnia nullo negotio refutabimus, ſi ab eo quod ultimum eſt, initium capiamus. Nec enim propterea reprehenditur pius Rex, quod medicum adhibuerit, ſed quoniam majorem in arte medicâ quàm in Deo confidentiam collocaverit, ubi obiter notandum, artem ibi medicinam appellari, quod ad inſtitutum noſtrum nō parum momenti affert, eò autem humana cæcitas interdum pervenit, ut ipſis ſcripturæ ſanctæ locis adverſus veritatem abuti non vereatur. Medicorum ibi crebram fieri mentionem, in ſacris elogiis verſatis compertum eſt. Nam Joſephus mandavit ſervis ſuis medicis, ut corpus patris ſui Jacob defuncti aromatibus condirent: & inter leges, quas Deus populo dedit, hæc etiam extat, ut ſi quis percuſſerit proximum ſuum, operas ejus, & impenſas in medicos reſtituat: ex quo liquidò conſtat, medici ſalarium juſtum eſſe & antiquiſſimum. Et Ezechiel propheta enumerans commoditates ligni pomiferi terræ ſanctæ, *erunt* inquit, *fructus eius in cibum & folia eius ad medicinam.* Quod ſi medici per ea tempora non adeo fuerunt celebres, raritati id tribuendum ægrotantium, quorum frequentia ad medicorum celebritatem non parum facit: ideo in Græciâ olim præſtantiſſimi, & hodie etiam in Hiſpaniâ, Galliâ, & Italiâ, ubi pleraq; morborum agmina, præſtantiores, quàm in alijs locis, in quibus ſalubrius vivitur ob ſoli ſalubritatem, & cœli clementiam. At enim ut pleraq; alia ſcripturæ loca omittam,

2. Paralip. 16.

Reſponſio ad arg.

Medicorū mentio in ſacris literis.

Gen 50.

Exod. 21.

Ezech. 47.

tam,

tam, in quibus medicorum mentio fit, unus ille celeberrimus eſt, in quo *ECCLESIASTICUS* omnia ſuperiora argumenta, quaſi jam tum temporis vulgaria eſſent, ſolüere & apertiſſimè refutare videtur, dicens: *Altiſsimus creavit medicinam de terra & vir pruden non ahorrebit illam, nonne à ligno dulcorata eſt aqua amara? ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiam altiſsimus, honorari in mirabilibus ſuis. In his curans mitigabit dolorem & unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis. Pax enim Dei ſuper faciem terræ. Fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Averte à delicto & dirige manus & ab omni delicto munda cor tuum. Da ſuavitatem & memoriam ſimul egenis, & impingua oblationem, & da locum medico. Etenim illum Dominus creavit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria.* *Eccl. 38.*

Ut igitur contrarijs argumentis reſpondeamus pauca quædam præmittenda: Primum, medicamenta non niſi eis prodeſſe, quibus Deus ſalutem operatur, qui ſine illis, quibus virtutem dedit, mederi poteſt, cum ſine ipſo illa non poſſint.. Deinde, morborum cauſas interdum eſſe in peccatis, ut ex *ECCLESIASTICO* colligitur, dicente; *Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit illum, incidet in manus medici*; & ut propheta inquit: *Non eſt in civitate malum quod non fecerit Dominus.* Ad hæc morbos ut plurimum cauſas habere naturales, cùm enim Deus vulnerat aut ſanat, morbos infert aut ſalutem, cauſis utitur ſecundis, niſi quando miraculo ſè operatur, quod raro accidit. Tādem morborum alios eſſe adeò faciles, ut ſolvi ſine medicamento poſſit: alios adeo difficiles, ut nec à naturâ, nec à medicamento vinci poſſint: medios alios difficiliores, quorum alij à naturà non niſi medicamento adiutà ſuperari queant, alij quidem poſſint ſed difficulter.

Medicamēta non proſunt niſi quibus Deus vult.

Morborum cauſa ſunt interdum peccata.

Miracula raro fiunt.

Morborum diviſio in faciles & difficiles.

His breviter appunctis, reſpondeo, in morbis optimum eſſe, Deum priùs placare, deindè etiam utile & neceſſarium medicamentis uti. Si enim duplex eſt morborum ortus, divinus unus, alter naturalis, duplicem eſſe medelam omninò oportet. Et hoc eſt quod ſuperius dicebat *ECCLESIASTICUS*: *Fili, in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum*, id eſt, non negligas tui curam, aut deſperando de recuperanda valetudine, aut de eà nimià ſecuritate præſumendo. *Sed ora Deum &c.* ac ſi diceret, precibus ad Deum confuge, declarans, te ei maximè fidere eumque primum eſſe autorem recuperandæ ſanitatis, immo vitæ tuæ deinde *recede à delicto*, nam etſi propter peccata populi dat DEUS & morbos

Propoſitio.

Locus Eccl. explicatur.

morbos & malos medicos, tamen, ut habetur apud *EZECHIELEM*, *impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die converſus fuerit ab impietate ſua*: tunc deinceps *impingua oblationem* eleemoſynas pauperibus elargiendo, juxta illud Pſ: *Beatus, qui intendit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus*: hoc eſt in ipſa infirmitate & periculo tàm corporis quàm animæ; nam medela à Deo eſt, non ſolùm quia ab eo ſunt vires herbarum, per quas curatio fit, ſed etiam quia effectus & operatio medicorum auxiliorum à Deo pendet, quem ſemper, medici præſertim, rogare debent, ut dirigat eorum actiones, & eaſdem in ſalutis portum deducat. Ex quo convincitur eorum tumida arrogantia, qui ſe hunc aut illum curâſſe ſolent jactare Homo enim plantat, homo rigat, homo viſitat languentes, & remedia adhibet: Deus verò dat incrementum, Deus curat & ſanitatem largitur Potius ergo dicant medici, hunc aut illum viſitâſſe, & remedia adhibuiſſe, datorem vero ſalutis Deum per manus eorundam curâſſe patientes. Quod etiam Ethnicus *VIRGILIUS* inſinuare monereq; videtur, dum medicum Japim poſt reſtitutum ſanitati Æneam ita loquentem introducit:

Ezech. 18.

12. Æneid.

> *Non hæc humanis opibus, non arte magiſtrâ*
> *Proveniunt: neque te, Ænea, mea dextera ſervat,*
> *Major agit Deus: atque opera ad maiora remiſit.*

Et Meſues lib. de Medicinis part. ſic incipit: *Sanat ſolus languores Deus & de ſingalitate ſolij producit in largitate ſua medicinam.*

2. pars prop.

Sequitur ſecunda propoſitionis noſtræ pars, utile etiam eſſe & neceſſarium medicamentis uti, cui *ECCLESIASTICUS* ipſe adſtipulatur, dicens: *deinde da locum medico &c.* Nam ſi Deus illum creavit, procul dubio neceſſaria ſunt opera ipſius, & inſuper, ſi uti diximus, morbi alij curari omnino nequeunt, alij ſunt adeo faciles, ut non indigeant curatione: medijs ſive difficilimis neceſſaria ſunt medicamenta, ut pote quibus natura ſola impar ſit, à medicamento tamen adiuta ſuperior evadat: facilioribus vero utilia: nam etſi vinci à naturâ ſola poſſint utilis tamen medicina eſt, ut ipſa natura minus laboret, & noxa inpoſterum non relinquatur. Non enim de facilimis, ſed de ijs loquor, qui in genere difficilium morborum faciliores ſunt, de quibus prodiderat Galenus, eos duntaxat externo indigere auxilio, quos natura præ magnitudine vincere non poteſt. Meritò ergò dixerat *ECCLESIASTICUS*, medicum eſſe honorandum, honoribus nimirum ei debitis: debetur

2. de loc. 3.

tur autem medico inprimis, ut in republica in precio habeatur ; deindè, ut ex publico honeſtum habeat ſtipendium, ut pauperibus prodeſſe, & arti ſuæ commodius vacare poſſit,ne unquam ut mercenarij medici vivant,ſed eos tanquam vitæ parentes cuncti venerentur : eisdemque obedientiam præſtent patientes, propter neceſſitatem ipſorum, quibus utilia ſunt medicorum conſilia,ut obiter ægroti officij ſui moneantur, & agnoſcant ſuarum eſſe partium medicis obtemperare. Ex dictis clare jam conſtare arbitror utrumq; eſſe neceſſarium, Deum orare, recedere à delicto,offerre oblationem : & deinde medico locum dare, quia opera ejus ſunt neceſſaria. Et conſtat quidem *niſi Dominus cuſtodierit civitatem,fruſtra vigilare,qui eam cuſtodiunt*,fruſtra tamen Deum ignavos invocare,cùm vigilantibus,& bene conſulentibus,ac laborioſis libentius adſit,ac ijs proſperè omnia cedant. Sic Jacob timens fratrem offenſum ad ſe venientem cum quadringentis viris,precibus prius ad Deum fuſis pro liberatione à tanto periculo,tum demum miſit nuncios cum donis, quibus eum placaret : quo actu monemur, fiduciam quidem in Deo eſſe collocandam,ab eoq; inprimis auxilium implorandum, facienda tamen, quæ fieri decet in præſidium ſalutis,ne ea prætermittentes,Deum tentare videamur. Quamvis enim Dei auxilio potiſſimum nos confidere,ac niti conveniat,nihilominus tamen humano conſilio,induſtria ac diligentiâ faciendum nobis eſt,quidquid fieri poteſt,ad declinanda mala,&pericula imminentia,et ad ſuperandas res arduas atq; difficiles. Nec enim expectanda ſunt Dei miracula,ubi ſuppetit humana ratio, &facultas evadendi ex periculis. Sic gubernator videns inſurgere tempeſtatem, Dei auxilium implorat, nihilo ſegnius interim clavum moderans & antennam detrahens.

Honor qualis medico debeatur.

Medici boni publicis ſtipendijs ſunt alendi.

Ægrotantium munus.

Auxilium à Deo implorandũ : & præſidia humana non omittenda.

F MEDI-

Digitized by Google

MEDICI SCIENTIAM NOBILEM ESSE, ET QUEM IN ſcientiarum ordine locum teneat:

CAPUT. X.

UT proprium eſt divinitatis, ex malis bona elicere: ita humanæ malitiæ peculiare, nodum ſemper in ſcirpo quærere, & bona in deteriorem partem interpretari. Sic quia *ECCLESIASTICUS* dixit, medici opera eſſe neceſſaria, & medicum honorandum propter neceſſitatem, arguunt pleriq;, artem medicam ignobilem eſſe, ut quæ non niſi propter neceſſitatem ſit honorãda. Quibus favere videtur *ARISTOTELES*, qui de prima philoſophia diſſerens, inquit, cæteras ſcientias magis eâ neceſſarias eſſe, nullã verò meliorem; ſi igitur artium omnium ea eſt melior, quæ minimè neceſſaria, ſequitur, ut ipſi argutantur, eam eſſe ignobiliſſimam, ac minimo honore dignam, quæ maximè fuerit neceſſaria. Solutio tamen eſt, honorem aut ignobilitatem artium non ex neceſſitate eſſe metiendam: nam ſunt actiones naturales in corpore humano, & artes quædam mechanicæ in civitate neceſſariæ: eſt & actio Solis in mundo, & principis in republica perneceſſaria, ſed hæ nobiliſſimæ ſũt, illæ admodum viles. Et rurſus philoſophia prima, & artes aliæ mechanicæ, utpote quæ ad ornatum vel fucum faciunt, minimè neceſſariæ; illa tamen optima, hæ inutiles & abjectæ, ſæpe etiam pernitioſæ; neceſſitas igitur ſola nobilitatem non valet efficere, niſi alia accedant, virtus præſertim, cui, quia eſt boni ſemper effectiva, laus debetur, ut *ARISTOTELI* placet: ad laudẽ verò ſequitur honor ut poſterius quiddã atq; præſtantius: itaq; propriè laus virtutis eſt, quæ boni cuiuſpiam ſemper eſt effectiva, honor verò ej⁹ dignitatis, quã virtus peperit. Quia igitur medicus laudari debet, quoniã medicina virtute comparatur & exercetur, eſtq; magni boni effectiva; idcircò etiam in honore haberi debet, ac tantò majori, quãtò majorẽ dignitatem conciliat. Naſcitur vero dignitas artis ex nobilitate ſubjecti & finis, ſubjectũ vero medicinæ eſt corpus humanũ, omnium ſubſtantiarũ corporearũ præſtãtiſſima: finis ſanitas, ſummũ bonorum omnium, q̃ ad corpus ſpectant. Ideò *ARISTOTELES* recenſens honoris cauſas primo loco ponit facultatẽ benefaciẽdi in ijs, q̃ pertinẽt ad ſalutẽ vitãq; tuendã; quis igitur niſi infeliciter natus honorẽ laceſſeret ejus, qui ſalutis artifex in eo Deũ imitatur, & vices ejus agit, ſiquidẽ ſalutẽ, quã ille, ut princeps & Dominus, donat, hic ut œconomus & miniſter procurat atq; diſpẽſat

Honor artium & ignobilitas artium unde.

Medicus cur honorandus.

Dignitas artis unde.

1. Rhet. 5.

Non ergò quia non neceſſaria ꝓpterea dicit *ARIST.* primam philoſop. eſſe cæteris ſcientijs meliorem, ſed ꝓpter ſubjectū ipſius, nimirū ſubſtātias ſeparatas & rerum divinarum cognitionē, de quibus agit: neq; *ECCLES.* vult eò nobiliorem artem eſſe, quò magis neceſſaria, ſed medicinam honorabilem, quia prẹter cæteras ſui dotes neceſſaria etiam eſt, neceſſitas enim, quà neceſſitas, nō minuit ſed potius auget honorē. Nec deſunt, qui hunc locū ſeparatè legant, ac ſi diceret: honora medicū ꝓpter virtutes, beneficentiā, & artem, quā callet: deinde ꝓpter neceſſitatē creavit eū altiſſimus, hoc eſt, ſciētiā ipſius & ſalutares herbarū virtutes, quibꝰ utitur. Neq; etiā ꝙ medicinæ oſores ulteriùs objiciunt, indignū quidpiā videri debet, ꝙ vilia quæq; & immunda, utpote fẹces, lotiū, purulenta carcinomata, tetri bubones, menſtrua, ſputa, ſudores ſub medicinæ tractationem cadāt, q̄ dedecent, ut ipſi putant, virū philoſ. & ingenuum. Nam hæc & ſimilia non tàm ſorditiei & ignobilitati artis medicæ ſunt tribuēda, quàm virtuti, ac ſubjecti præſtantiæ. Ut enim Sol nullā amittit dignitatē, quia radios ſuos ſuper lutū aliaq; obſcœna mittit, ut illuminet terram: ita nec medicus, ſi hæc adſpiciat, ut introducat precioſiſſimam ſanitatē, & poteſt ingenuus medicus ea, quæ videri cuipiam ſordidiora poſſent, mācipijs ſuis obeunda cōmittere: Idcirco nunquā obſtitêre, quo minus nitidiſſimis ſemper principum, Regū, Imperatorumq; menſis, medici inſpectores adhibiti ornamento ipſis fuerint, quos intimos ſēper habeāt, non ut ſatellites, qui latus tueantur, ſed ut vitæ ſuæ moderatores, ad quorum nutum vivant, quiq; ſoli meritò ſoleant Imperatoribus imperare.

Metaph. reliquis ſcientiis præſt.

Altera lectio loci Eccleſiaſt.

Reſp.

Simile.

Medici Imperatoribus imperant.

At dicet aliquis, quisnā honor ineſſe poteſt meræ arti & illiberali, utpote uni ex ijs, quẹ opus conſtituūt &c. ꝙ magis mirabere, nō novū quiddā & de integro formatū opus, in quo nobilitas quædam ſpectaretur? Nam ſunt qui vile tātum reſarciēdi & collapſa inſtaurādi officium medicinæ tribuunt, ut reſarciēdorum calceamētorum ſeu veſtium munus. Quibus ſuffragari videtur Galenꝰ, qui in lib. *de con. art. med.* poſteaquā dixit duplices eſſe factivas artes, quasdā quẹ res ipſas conficiant; alias q̄ labefactatas inſtaurēt, medicinā in earum numero potius collocavit, q̄ rē jam factam reficiunt, quā quæ aliquid ꝙ prius nō eſſet edunt. Reſ. hallucinari eos, qui nomē artis nō niſi vilioribꝰ tribui arbitrātur, artēq; opere, ſciētiā cōtemplatione definiunt, quò fit ut neq; artis neq; ſcientiæ rationem intelligāt: cōtēplatio enim nō ſcientiæ, ſed theor. ſciētiæ rationē cōſtituit, ut opꝰ practicæ, teſte *Ariſt.* qui 2. Met. ſcientiā dividit in theor. cujꝰ finis ſit ſola contemplatio ac veritatis cognitio; & practicam, cujus finis opus ſit.

Obiectio alia.

Galeni locus.

Reſponſ.

Artis ſcientiæq; ratio in quo ſita.

Cap. 1.

Digitized by Google

Scientiæ nomen multipliciter ſumitur Porro ſcientiæ nomen multipliciter accipitur: primo modo, quo ſciri quidquam poſſit in univerſum, quo quidem pacto viliſſima quæque ars, aut noxia, aut ſophiſtica ipſa, ut coquendi, ut adulandi, ut lenonia, & pleræq; aliæ ſcientiæ vocari ſolent, ſive bono, ſive malo cedant. Secundo modo ſcientia ſumitur, ut artem quandam, atq; ſcientiam denotat, utilẽ & proficuam, & tunc definitur *ſcientia ſive ars multarum de una re comprehenſionum ſeu habituũ collectio, ad finem aliquem utilem vitæ*: qua quidem ratione dubium non eſt, medicinam artium omnium eſſe pulcherrimam, ac præſtantiſſimam. Sunt tamen qui tertio modo ſcientiam conſtituunt, in rerum cognoſcendarum inveſtigatione: artem verò in applicatione ejuſdem cognitionis ad materiam, ut ſi Geometriæ & Arithmeticæ naturam in contemplatione conſtituas, ſcientiam dicunt: ſi verò jam caſtra agroſq; metiaris, aut accepti & expenſi rationem ſubducas, ad materiam deſcendendo, artem: Ita tamen ut priores illas artium nomine interdum appellare liceat, poſteriores ſcientiæ: vel potius eas artes ſciendi, has faciendi ſcientias: quique illas callent, utroſque Geometras & Arithmeticos: non aliter quam phyſicos hodie vocant, tàm qui medicam artem exercent, quàm qui de rerum natura philoſophantur. Quarto modo preſſius ſumitur ſcientiæ nomen pro habitu, qui demonſtratione gignitur: & hac etiam ratione medicina ſcientia eſt, utpote in qua multæ fiunt demonſtrationes: nimirum, quod contraria contrarijs curentur: quod homo ob id doleat, quia unum non eſt, ſed ex contrarijs compoſitum: & quod, qui creſcant, plurimo egeant alimento. Præterea quia illa eſt verè ſcientia, quæ in certo aliquo ſubjecto verſatur, de quo proprias affectiones per propria principia demonſtrat, quæ omnia medicinæ conveniunt. Adhæc quia artes ſive ſcientiæ dividi ſolent in ſuperiores, ſcilicet phyſicam, metaphyſicam, ac tres agentes ethicam, œconomicam, & politicam: & inferiores, quæ liberales & ſerviles comprehendunt, quarum illæ dicuntur quatuor mathematicæ, & tres ſermocinales, ſerviles ſeptem efficientes, hoc diſticho comprehenſæ.

1. *2.* *Scientiæ definitio. Scientia & ars ut differant.* *3.* *Artes ſciẽdi, & ſciẽtiæ faciendi* *4.* *Scientia preſſe ſumpta definitio. Medicina ſcientia eſt* *Artium ſive ſcient. diviſio.*

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra:
Rus, nemus, arma, ratis, vulnera, lana, faber.

Nemini autem dubium eſſe debet, quin ut theologia ad metaphyſicam, Juriſprudentia ad politicam; ita medicina ad phyſicam reduci debeat, qua ratione non ſcientia duntaxat, ſed ſuperioris ordinis ſcien-

ſcientia dicenda eſt. Quod ſi contendas, in medicina inutilia eſſe, quæcunq; ad curationem non diriguntur, quantumvis pro ſola contemplatione accipiatur; atque ita practicam eſſe, quia noſtra intentio rerum naturas non immutat: Huic ego lubens aſſentior, ſed id nulla medicinæ iniuriâ fieri cenſeo. Non enim præferri debent ſcientiæ, quæ nudam contemplationem ſpectant, ijs, quæ unà cum ipſa ſpeculatione ad opus utile deſcendunt. Scire, inquit philoſophus, eſt propter ipſum operari, & qui praxin theoriæ conjungit, perinde eſt ac ſi fructus ex arbore colligit: quid autem utilius ac fructuoſius ipſa corporis ſanitate & valetudinis conſervatione? *Obiectio.* *Solutio.*

Neq; verò tàm vile miniſterium tractat medicina, ut qui diductos calceos reſuit, aut laceras veſtes reſarcire conatur, quod fuerat in contumeliam allatum. Eſt enim præſtantius quidpiam corporis ſanitatem inſtaurare, quàm integram etſi precioſiſſimam veſtem de novo conficere: ut ſi quis collapſam cœli partem reſarcire potuiſſet, nō vilis is artifex eſſet, ſed egregius, & qui divinitatem quandam præ ſe ferret. Sed enim medicina potius naturę ipſius ſocia ac miniſtratrix, una reficiendis conſervandisq; operibus ejus præeſt, & plerumque quæ natura ipſa efficere non poteſt, perficiunda ſibi proponit, ut ſextum digitum ſecare, & quidquid ſuperadditum corpori eſt. Tum ſi quæ aliæ artes opera reſarciunt, aut non ſolùm lucri cauſa ſervatum non cupiunt, aut interiri ſtatim exoptant: contrà quam medicus non ſolum labefactatam ulla ex parte valetudinem inſtaurare, ſed eandem efficere & conſervare conatur, ita ut non in ſanitate morbum, ſed in morbo ſanitatem procuret, & ut illa homo diutiſſimè fruatur, ac à morbis quâvis ratione præſervetur. Nihil enim moror, quod contrarium faciant mali quidam medici, qui plus iuſto faciundæ ſemper medicinæ intenti, undiq; conquiſitos ægros ſibi occurrere cupiunt, & ad aucupium ſuum trahunt, popularem quandam auram hac utique ratione ſibi captantes, ſeq; ægrorum frequentiâ interdum etiam ementitâ venditantes apud omnes, nec unquam ſe pro medicis gerentes, niſi res ſibi ſit cum morbis, qui ſi prorſus nulli ſint in corporibus ſanorum, quocunq; tandem pacto accerſere non dubitent, ne non ſemper aliquid agere videantur, cum potius in aſſequenda ſanitate, quâ in ſummâ quiete homines fruantur, laborare debuiſſent, boni ducis ac politici exemplo, qui in bello non aliud quærit, quàm pacem, in pace verò cavet diligēter, ne quid moveatur, quo amitti pax ipſa poſſit. *Medicina interdum facit, quæ natura non poteſt.* *Mali medici popularem auram ut captent.* *Boni med. ut boni politici officium.*

MEDICA ARS CVM MILITARI CONFERTUR, ET CUM agricultura.

CAPUT. XI.

Tria reip. membra.

Tres præcipuæ diſciplinæ.

AGe vero & ſiquidem medico honorem in republicâ deberi abſolutè prodidimus, quem inter reliquas diſciplinas locum reſpectivè habere debeat, accuratè diſſertemus: à quâ diſquiſitione facilè me explicabo, ſi præmiſero, tria eſſe reipublicæ membra principalia, rem litterariam, militiam, & agriculturam: deinde verò rem litterariam tres præcipuas diſciplinas comprehendere, Theologiam, Juriſperitiam, ac medicinam: quibus aliæ inferioris notæ miniſtrant, & quaſi ſubalternæ ſunt; tres nimirum ſermocinales grammatica, rhetorica, & dialectica, ac utraq; philoſophia naturalis atq; moralis.

Medica ars militari præſtantior.

Quia vero, ut poſtea palàm fiet, ars bellica iraſcibili noſtri corporis facultati, litteraria agnoſcitivę ſeu rationali correſpondēt: luce meridianâ clarius eſt, rem litterariam ſubindeq; medicinam, quæ una ex præcipuis partibus ſapientiæ eſt, tantò militię anteferendam, quantò ipſa cognoſcendi ratiocinandiq; vis iraſcibili cenſetur præſtantior.

Agricultura laus.

Gen. 3.

Eccleſ. 7.

Poſt quas agriculturæ honor debeatur antiquitatis & naturæ, ea enim fuit prima mundi ars, & maximè naturalis: inſtituit enim eam Deus in ipſo mundi exordio: nam ſcriptum legimus: *Emiſit Dominus Adam de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Et paulo antè poſuerat eum in paradiſo voluptatis, *ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Itaq; hæc prima omnium & in ſtatu innocentiæ homini injūcta eſt, & poſt peccatum ſola ei indicta: naturali enim ordine prima occurrit agricultura parando victui degendęq; vitæ neceſſaria. Idcirco Sapiens: *Non oderis*, inquit, *laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab altiſſimo:* & *ARIST.* agriculturam dixit omnium artium eſſe juſtiſſimam, ut quæ citra cujuſquā injuriam & ingenti cum utilitate omnium exerceatur, non enim ab hominibus aut volentibus, ut cauponaria & aliæ mercenariæ artes: aut ab invitis, ut ars bellica, commodum ſuum & lucrum quærit; & eſt earum rerum, quæ ſunt ſecundum naturam; nam ſecundum naturam eſt educatio omnium à matre, quare etiam hominibus eſt à terra: contrà vero

merca.

mercatura mercium præter naturam: fœneratio verò etiam contra naturam, quia facit, ut pecunia pecuniam pariat, quæ tamen natura ſua ſterilis eſt: & ideo uſuræ prohibitæ, ne homines intenti avaritiæ deſerãt actus honeſtos & induſtrioſos, & ne deſerantur culturæ agrorum. His adde, quòd cultura terræ mirabiliter animum noſtrum excitat ad obſervationem & admirationem divinæ providentiæ, paſtoralis verò, quæ altera agriculturæ pars eſt, maxime honeſta & quieta fuit ſemper habita, & à multis magniſq; vitijs remota. Ideo commendatur in Patriarchis ſanctis, qui pecorum nutritores erant à pueritia ſua, & ipſi & parentes eorum: & merito quidem. Nam in ea procul dubio exprimitur juſta ſervitus, & juſta dominatio, cum pecora homini ſerviunt & homo pecoribus dominatur. Eſt autem maxime ſecundum naturam, ut rationalis creatura dominetur irrationali; ſervum autem hominem homini vel iniquitas fecit, vel adverſitas. Et exprimit inſuper paſtoralis vita certum quoddam gubernandi genus: idcirco puto divinum virum *MOSEN*, & priores populi Iſraelitici ductores, atq; etiam reges, Gedeonem, Saulem, & ipſum prophetam ſimul atq; regem Davidem à Deo conſtitutos, ut prius eſſent paſtores & gubernatores pecorum, quò tantò ſuavius atq; prudentius poſſent populos gubernare: & proceres illos Romanæ nobilitatis & antiquitatis viros ex agris ad imperia & regna accerſiri mos fuit. Xenophon dixit, nil ſibi tàm regale videri, quàm ſtudium agri colendi. Cyrus Perſarum rex ingenio præſtans & gloriâ tanti imperij clariſſimus, agrum ipſe ſibi conſerebat, arboreſq; ſua manu ſatas in ordinẽ diſponebat. Longum eſſet alios recenſere principes viros, qui manibus triumphalibus agros colere conſueverunt, & tranquillitatem rei ruſticæ cognoſcentes, depoſitis imperijs & imperatoria purpura ad illam ſe cõtulerunt. Merito igitur *VIRGILIUS* in laudes honeſtiſſimæ hujus ac pacatiſſimæ vitæ ſic exclamat: 2. Georg.

Mercatura. *Vſura cur prohibita.* *Agricult. ad pietatẽ facit.* *In paſtorali vita juſta ſervitus & dominatus repreſentatur.* *Paſtores plerique reges.* *Cyrus agriculturæ deditus.*

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

Et HORAT. *Beatus ille qui procul negotiis,*
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis &c.

CLAUDIAN. vero *Hic radiant flores, & prati viva voluptas.* 2. Carm. Ad Ruffin:
Ingenio variata ſuo: fulgentibus illic

Surgunt

Digitized by Google

Surgunt ſtrata toris: hic mollis frangitur herba,
Sollicitum curis non abruptura ſoporem:
Turba ſalutantum latas ibi perſtrepit ædes,
Hic avium cantus, labentis murmura rivi.

Et vero ſcitu dignum eſt, quod *primo de re ruſtica CATO* refert, priſcos olim laudare ſolitos bonũ queq;, bonum agricolam, bonũ colonũ, & qui ita laudabatur, ampliſſimè laudari exiſtimabatur. Sed redeo ad militarẽ diſciplinam, & certè bello nihil magis ferinũ eſſet, niſi compararetur ad tuendã pacẽ, quâ homines vacare poſſint ſapientiæ boniq; ac veri contemplationi, & ipſius Dei vero cultui. Sed enim propter quod unumquodq; tale, illud magis tale, ſi igitur bellum eſt laudandum propter ſapientiam & intelligentiam, hæc ipſa profectò præſtantior honorabiliorq; erit ipſo bello: neq; tamen omnes litterarias artes bellicis omnibus anteponimus, ut grammaticam imperatoriæ, ſed præcipuas præcipuis, mediocres mediocribus, & infimas infimis. Habet enim utraq; reipublicæ pars bellica nempe & litteraria partes multas dignitate diſpares. Quod ſi interdum militaris cunctis litterarijs artibus ſe præfert, id quidem propriâ ſuâ & conſuetâ vi facit, dum manibus arma geſtat, inter quæ ſilent leges & rationes. Facilis tamen nobis hic victoria erit, quia rationibus potiùs, quàm armis contendimus.

Imperatoria militaris cum medica arte ſimilitudo.

Neque tamen diffitemur, maximam eſſe Imperatoriæ militaris cum arte medica ſimilitudinem: ut enim Imperator ſuos habet chiliarchas, centuriones, manipularios, & decuriones: ita medicus perfectus chirurgos habet, pharmacopœos, vulnerarios, & miniſtros alios, quorũ etiam artes callet easq; exercet, ſi quando neceſſitas urget. Quâ etiam ratione norunt Imperatores arcu uti, jacula vibrare, cominus gladio aut haſtâ pugnare, verùm non ut imperatores aut reges hæc omnia præſtant, ſed per alias artes Imperatoriæ ac Regiæ miniſtras. Et ut in militari finis, pax ipſa eſt, aut certe victoria, quam pax ſtatim ſequatur, & dux optimus ijsdem artibus victoriam ex hoſtibus reportabit, & partam tuebitur pacem, aut præſentem firmabit, aliquid ſemper faciendo pacis cauſa: ſic quidquid à medico, quà medicus eſt, quocunque tempore, & quacunque artis parte fit, id ſanitatis ſemper cauſa fit & ut corporis totius functionem juſtam atq; æquam, veluti corporis pacem quandam, obtineat. Et ut dux in parandâ victoriâ inſtrumentis utitur bellicis, haſtis nimirum, jaculis, gladijs, ac bellicis tormentis: ita medicus pharmacis

Ducis optimi munus.
Medici boni munus.

macis,uſtionibus,ac ſectionibus. In pace ne quidquam, quo amitti pax ipſa poſſit, invehatur, diligenter cavet bonus imperator, ſeditionum ſemina tollit,inteſtinis diſcordiis multo ante prævişis, inchoantibus, nedum erumpentibus occurrit: eâdem ratione ſanitatis defenſor medicus, ne quid, à quo amitti ſanitas poſſit, cõmittatur,ſedulò præcavebit,& affectionum cauſis ante viſis,inchoantibus morbis, antequam erumpant, ſeſe opponit. Porro ſi quid timendum ab externo hoſte ſit,hoc non ignorabit prudens imperator, & aut pacem tempeſtivè componet, aut fines tuebitur ſuos,arces muniet,longiſſimeq; venienti hoſti ſeſe opponet: ſic externis morborum cauſis perſpectis,providus medicus diætam præſcribet,nociva omnia vitabit,corporis arces, hoc eſt, partes principes roborabit. Conjunctæ inter ſe admodum ſunt artes gerendi belli, & conſervandę pacis,ita ut illi potiſſimum commendentur,qui domi foriſque re bene geſtâ,& belli & pacis artibus floruerunt, partâq; bello victoriâ & firmatâ pace ad hujus ſtudia ſe converterunt: ita profectò conjunctiſſimæ ſunt artes profligandi morbos, & valetudinis conſervandæ,ut ille potiſſimum medicus commendetur,qui tam curatricem, quàm conſervatricem artis partem callet, partâq; corporis ſanitate & firmatis ipſius functionibus ad eas conſervandas ſemper intentus eſt. Econverſo,qui bello tantum clari duces pacis artes neglexêre, aut neſcivêre,quivè non in bello pacem,ſed in pace bellum quæſiverunt,inter politicos referri minimè poſſunt, aut debent. Audiant hi Æneam ſic loquentem apud Maphæum:

Nunquam acies,nunquam arma libens in prælia movi,
Sed veſtris actus furiis defendere toto
Optavi, & licuit Troianas robore partes.

Sed ut illi potius bellorum ſtudio ſanguinarij pacis otio neglecto, & interturbatâ quiete, in quâ deſides & inglorij vivere ſuſpicantur, ut habeant quo ſpiritus ſuos alant turbulentos, frementis armatique Martis tumultum ubiq; quærunt: ita pro medicis prudentibus aut politicis habendi non ſunt,qui nunquam ſe tales exiſtimant, niſi res ſibi ſemper ſit cum morbis. Denique in eo ars medica & militaris ſimiles videntur, quod pari penſu ratio plus poſſe in utraq; videatur quàm fortuna. *Ratio fortunâ plus poteſt.* Ut enim militaturi licet non ignoremus, quàm fortuna in bello dominetur, fortem tamen ac militari virtute præditum Imperatorem deligimus potius quàm fortunatum: ita profectò etiam, ſi

Digitized by Google

caſu ſæpè ac fortunâ quâdam contingat ſanitas, ſive ea temere, ſiue ab inexperto aliquo introducatur; medicos ſemper tamen prudentes viri eligunt potius ſcientiſſimos quoſq; ac expertiſſimos, quam temerarios, & fortunatos,quiq; caſus etiã plerumq; inſuetos ex adverſo occurentes, & morbos antea non viſos, neq; auditos ratione ducti ſuperare noverint: non ſi quæ alia ars,medicina ſane omnium maximè ratione nititur potiſſimum,experientiâ ſtabilitâ,ſine quâ manca futura ſemper ſit; ex quibus ut ratio temeritatem reſpuit,ſic experientia caſum,quem inexperientiæ filium eſſe novimus.

Medici qui eligendi.

IVRIS PRVDENTIÆ ET MEDICINÆ COMPARAtio:

CAPUT. XII.

Iurecõſult. arg.

ILlud porrò perdifficile nobis videtur, ac minimè tutum, jureconſultos in certamen vocare, quibus neq; arma deſunt,brachium nimirum ſeculare,nec rationum momenta,ex authoramentis præſertim deducta. Tentabo tamen eâ,qua potuero,modeſtiâ acerrimam illam&agitatiſſimã inter medicos & jureconſultos de priori in repub.loco controverſiam ventilare,ac citra invidiã dirimere:propoſitis priùs rationibus illorum, quibus principatum in republica ſibi deberi inſtantiſſimè contendunt.
1. *Primò*, inquiunt,juriſprudentia verſatur circa adminiſtrationẽ juſtitiæ, quæ maxima eſt omnium virtutum,Heſpero & Lucifero formoſior:ſũtque juriſperiti juſtitiæ ſacerdotes,boni & æqui profitentur notitiã,æquũ ab iniquo,licitum ab illicito ſeparant,bonos non ſolùm metu pœnæ,verùm etiam pręmij exhortatione efficere homines cupiunt,ideo *domus juriſconſulti oraculum dicitur totius civitatis*,ſine quo rectè feliciterq; habitari nõ poteſt civitas,neq; hominũ vita incolumis,quieta beataq; eſſe. *Deindè*,quia medicina ſanitatem ſolam ſpectat vel conſervandã vel recupe-
2. randam·legalis vero ſciẽtia ad publicum bonum ſit comparata, publica verò utilitas privatæ ſemper præferenda ſit. & propterea medicis jureconſultos,qui non ſingulorum hominum,ſed totius reipublicę vitam ac
3. ſanitatem,hoc eſt,juſtitiam tueantur. *Inſuper*,quia, ut in prooemio Digeſtorum ſcriptum eſt,omnes aliæ artes viliſſimæ ſunt reſpectu ſcientię legalis,

Iuriſconſulti domus oraculum civit.

galis. *His* addunt ipſius ſcientiæ à quibusdam allatam definitionem, nẽpe *Iurisprudentia eſt rerum divinarum & humanarum notitia, iuſti atq; iniuſti ſcientia,*& quod vitæ ac necis poteſtatem habere videantur. Ex quibus concludere nituntur,ſe circa animam,medicos vero circa corpus verſari,ideoq; à ſubjecti nobilitate nobiliores eſſe.*Sed* enim argumẽta c.7.&8 ſuperiùs contra medicinam allata,repetunt,quibus accumulant medicorum diſſenſiones,laborem corporalem in viſendis ægrotis,manualem operam in chirurgiâ,quæ tertia eſt medicinæ pars: & quod operæ ſuæ mercedem accipiant; & medicina de terra ſit,juſtitia vero de cælo proſpexerit,ut illud interim omittam, quod à quibusdam ſatyricè in eorum ſubſidium affertur,pronunciatum olim fuiſſe, ut præcederent fures & carnifices ſequerentur. *His* adjungit Tiraquellus,quod in eodem loco legislator medicorum & artificum mentionem fecerit, & alibi liberalem artem à medicina ſeparaverit,& quòd medicorum unà cum ſervis mentio fiat:Ita Ioſephus mandaverit ſervis ſuis medicis,ut corpus Iacobi cõdirent.Imo.ſi Deo placet,neq; obſtetricibus digniores eſſe medicos, vult Tiraquellus,quia in Decretis dictum ſit; *ſi duobus vel tribus vel pluribus relicta fuerit optio notarii æſtimentur 20. ſolidis, medici ac obſtetrices 60.* & alibi: *audiat præſes provinciæ obſtetrices, quæ utiquè medicinam exhibere videntur.* Sed & *Lege* placet,*parabolanos petere non poſſe*,ſcribitur,ubi Accurſius&Tiraquellus per *parabolanos* medicos intelligunt. His atq; ſimilibus argumentis jureconſulti litẽ hanc jamdudũ ſibi adjudicatã eſſe credũt.

5.

Tiraquelli alia arg. 6.

Verumenimverò medici ad ea minimè muti,ſuas etiam opponunt rationes,& eas quidem validiſſimas: medicinam dicunt facultatem eſſe liberam,ac libere agere,cùm ratio dictat, non tamen exlegem, ſed quæ rationibus leges ſuas accommodet, non rationes legibus: Econverſo juriſprudentiam duram ſervire ſervitutem, legibus addictam, ad aliorum quorundam,eorumque diverſorum, ſæpè etiam inter ſe pugnantium nutum conditis,quas negligere aut præterire piaculum ſit & capitale. Deinde quia præterquam quidquid ſunt, id totum ex alterius arbitrio pendet,hærent etiam,in ſcripto, in voculis, in litteris,remipſam nunquam ſpectantes: teſtium autorumq; tantummodò multitudine decertant: & autorum ſuorum voluntatem aut juſſa, contra omnem omnium rationem,ad extremum usque, per æqua, per iniqua, mordicus tuẽtur,quos cum medicis ex commentario cõferre liceat,quos apud ſolide doctos nullo in loco eſſe õnes norũt.*Itaq;* medicos per cauſas & ra-

Medicorũ rationes.

Medicina facultas libera eſt.

Iureconſulti dictis aliorum inſiſtunt. 8.

& rationes res ſuas tractare: jureconſultos aliorum dictis inſiſtere, un-
2. de illud apud ipſos ſolenne eſt: *Erubeſcimus cum ſine lege loquimur.* **Secundo**
quia difficilius ſubindeq; honorabilius ſit, de multis agere & præſtantiſ-
ſimis rebus, quàm de paucis & minus præſtantibus: agit verò medicus
Iura tria duntaxat reſpiciunt. de cœlo, de elementis, de anima, de homine, deque cæteris omnibus, quæ
in mundo reperiuntur: cum tamen jura omnia tria duntaxat reſpi-
ciant, vitæ honeſtatem, alterius læſionem, & tribuere unicuiq; quod ſuũ
eſt, quæ cum accidentia ſint corporum, de quibus medicus tractat, acci-
dens verò ſemper ignobilius ſubjecto, cui inhæret, propter inſtabilitatẽ;
conſequens eſt medicinam ſubjecto nobiliorẽ eſſe juriſprudentiâ. *Tertiò*,
3. quia ſanitatem ſibi finẽ proponit, quæ teſte Plutarcho, ac nemine refra-
gante, eſt maximè divinum, longeq; blandiſſimum vitę condimentũ, non
enim de fidejuſſione, ſtipulatione, aut jure hæreditario, quæ ſolùm perti-
nent ad tuendam rem familiarem, medicina agit: ſed de propulſandis
morbis, tuenda valetudine, & ſervanda vita, qua nihil eſt mortalibus pre-
4. *Med. ſubjecto præſtantior iuriſprudentia.* cioſius. *Quartò*, quia medicina ſecretiores cauſas inveſtigat, id-
circo ad ejus conſequutionem logicâ & philoſophiâ omnino opus eſt,
cùm tamen ſola grammaticæ cognitio ad juriſprudentiam ſit ſatis, ideo-
que dicebat Cicero adeo difficilem rem non eſſe, quoniam perpaucis ac
Ciceronis locus pro Murana. minimè obſcuris litteris contineretur: atque adeo triduo ſe juriſconſul-
tum profiteri poſſe. *Quintò*, quia ſcientia una nobilior eſt alterâ, vel pro-
pter ſubjecti nobilitatem, vel propter demonſtrationis certitudinem,
5. vel propter utrumq; ſimul: atqui corpus humanum præſtantiſſima haud
dubiè eſt corporearum omnium ſubſtantiarum, & reliquæ ſubſtantiæ,
de quibus medicus tractat, accidentibus præferuntur: idemq; per cauſas
& rationes inveſtigat, quæ certiſſima eſt cognoſcendi ratio, è contra
6. Ethic. cap. 5. vero jurecoſultus logicâ & philoſophiâ deſtitutus, ob idque *ARIST.* juris-
prudentiam neq; artem eſſe dicebat neque ſcientiam, quilibet enim pru-
Prudens quis eſſe poteſt. etſi indoctus non tamen ſciẽs. dens eſſe poteſt, etſi indoctus, non tamen ſciens. Plato vero indicium ma-
le conſtitutæ reipublicæ eſſe affirmat, ſi multi in eâ juriſconſulti inve-
niantur, & pleraq; ſunt regna atq; imperia, quæ ipſis utiliter careant,
Pleraq; regna carent jureconſultis. ut Orientalium fere omnium, ad quorum imitationem eos etiam ex u-
niverſa Pannonia Mathias Corvinus expulerit. *Sextò*, jureconſultos de
anima non agere dicunt neq; de ipſius virtutibus, cum illius tractatio ad
philoſophiam naturalem pertineat, hæc ad moralem: conducere qui-
6. dem admittunt reipublicæ moderatoribus cognitionem virtutum ac vi-
tiorum

tiorum ad benè gubernandam rempublicam, hanc tamen reliquos jureconſultos non habere ſicuti habuêre legislatores. Neq; tamen concedunt juriſprudentiam eſſe rerum humanarum divinarumq; notitiam, niſi quatenus inter homines externis ritibus exercentur, potiusq; definiendam boni & æqui notitiam, licitum ab illicito diſcernentem, idq; auctoritate Budæi *in annotat. ad Pandect.* & Celſi *in libro digeſt.* unde ejus finis propriè ad operationem tendit, non ad ſpeculationem, eſt enim philoſophiæ activæ pars; ſed nec ſemper juſti & æqui patrocinium ſuſcipere ajunt, cum ſæpius alter affirmativam, alter negativam partem rei judicandæ defendant, unde fit, ut eorum unus injuſtũ ſemper tueatur, prout pars hunc aut illum convenerit prius, idq; per plures dies, menſes, & annos, lites interdum data opera protrahentes, quo ad miſerorum nummi penitus exhauriantur ac eloculentur, tantum abeſt ut bona publica & privata defendant.

Definitio juriſprud. ex Budæo.

Ad ea vero quæ in medicorum contumeliam ulterius afferebantur, reſpondent medici: ſuas controverſias in unum ſemper finem tendere, nimirùm ſanitatem, quã diverſis remediis utpote ſanguinis miſſione, vel purgatione, ſic aut ſic factâ, cõſequi poſſint, neq; unum morbi, alterum naturæ cauſam unquam tutari: easq; diſſenſiones unâ die, ſæpe etiam unâ horâ componi. Multo minus laborem corporalem medico præjudicium afferre, quia non niſi ex accidẽte illum ſuſcipiant, quoniam ægri ob debilitatem ad ipſos venire nequeunt: non aliter ac cathedræ moderator docere non poteſt, niſi quotidiè abeat in Lyceum, cujus tamen officium docere ſit, non abire: nobilitatem verò artis non ſpectari ab eo, quod per accidens, ſed quod per ſe facit, aut patitur artifex. Porro elegantiorem medicinæ partem, à quâ chirurgia & pharmaceutica ſeparantur, victus ratione, & ex ſyngrapha pharmacis, aut conſulendo jubendóque, quod ſine omni ſorditie fit, exerceri. Quid? quod neque quod ſuæ operæ mercedem accipiant, nobilitati detrahit: nam & milites merent & duces, & ipſi imperatores, neq; ad nobilitatem intereſt, mercedẽ recipias an non, ſed ex quâ arte recipias: nec medicus lucratur, quâ medicus, ſed quâ paterfamilias victum familiæ quærit, ex arte honeſtâ & nobili. Immo propter utilitatem finis, quem ſibi proponit, & nobilitatem artis, quam tractat, magna ſemper à magnis principibus illis fuerunt aſſignata ſtipendia, ut viri alioqui mediocris fortunæ artem nobiliſſimam decenter exercerent. Nec merces illa dicitur, ſed honorarium, & quia

Ad argumenta contra medicos reſp.

Labor corporalis non præiudicat medici nobilitati.

Nihil intereſt, an mercedem accipiat artifex ſed ex qua arte.

Digitized by Google

quantum quisq; dederit, non poterit exæquare beneficium medicinæ, propterea medicus munere illo honoratur & gratitudinis ſigno. Quæcunq; vero à Tiraquello adducuntur argumenta, elevatæ videntur autoritatis, quia nemini licet ſibi jus dicere & judicis ac partis vicem gerere. *L. generali. C. nequis.* Ne tamen ejus contumeliæ dicteriaq; in medicos gratis illata videantur, ad *primum* reſpondent, in legibus nullum ſpectari ordinem, ut ex ipſis conſtat: *L. nec enim ordo. ff. de solut. & libert.* *Deinde*, ſi, quia in eodem textu artificum & medicorum mentio fit, ſequeretur, medicos eſſe mechanicos, idem de valetudinarijs dicendum eſſet, quorum etiam ibidem mentio facta eſt. Concedit priceps aulicis omnibus privilegium, ut abſque lumine per civitatem cum armis poſſint diſcurrere, nec propterea aulici omnes ſunt dignitate æquales, & converſo. Quod autem liberalem artem ſeparaverit jureconſultus à medicinâ, factum aut quia medicina altioris ordinis ſit, ut ſuperiori capite diximus: aut ſi inferiorem eſſe intelligat, de Empiricâ plane à Theoricâ ſeparatâ, intelligatur: qua etiam ratione procuratores viles ab eodem jureconſulto nuncupantur. Neque ullum præjudicium medicis afferre poteſt, quod in eadem lege cum ſervis nominentur, nec ſervos aliquando fuiſſe, principum nimirum, quorum etiam viri nobiliſſimi & ipſi jureconſulti ſervi ſunt; vel ſi aliàs medici in numero ſervorum collocentur, quia fortaſſè bello capti, coacti ſerviebant, eodem jure principes etiam, nedum nobiles & medici ipſi, ſervire coguntur. Id vero, quod gloſſator ait, medicos non eſſe majoris precij quàm obſtetrices, omnino repugnat verbis ipſius decreti, quæ ſunt majoris auctoritatis, ubi medici nobiliores fuerant declarati, quàm jureconſulti, quam nobilitatem gloſſator ipſe, inſertis illis verbis, voluit attenuare: *In lege verò*, ſi duobus vel tribus, *medici non æſtimantur ut obſtetrices, ſed favore quodam obſtetricibus cōceditur eadem portio, quæ medicis*, quod potius in honorem medicorum, quam in eorundem ignominiam cedit, ſiquidem etiam mulierculis, quia medicinam exercere videntur, eadem portio attribuitur, quæ medicis fuerat conceſſa, & idem jus cum profeſſoribus artium liberalium, quæ omnia ad medici dignitatem pertinent: quippe qui non ſolum ſint honorandi, verum etiam eorundem miniſtri atque miniſtræ obſtetrices, qua ratione principum ſervis domini privilegia communicantur. Immò, inquiunt medici, ſi ab adverſariis deſumptis telis liceat pugnare, quæ propterea erunt majoris efficaciæ, medi-

Nemo poteſt eſſe & pars & judex.

In legibus ordo non ſpectatur.

Iuris loca de medicis explicātur.

Med. altioris ordinis eſt quam artes liberales.

medicos jureconſultis digniores eſſe cõſtat ex ipſo Decreto, ubi ſic ſcriptum legitur; *nec medico pleriq; reddere volunt honorem ſuum, nec operario mercedem*: & paulo poſt: *advocatus autem vendit inſtum patrocinium, iureconſultus verum conſilium*, ubi de medicis mentio fit, tanquam de viris honorandis, de jureconſultis, uti de mercenarijs. *& l. 4. § ſed obſtetrices, medicorum*, inquit, *eadem eſt cauſa, qua profeſſorum, niſi quod iuſtior, cum iſti ſalutis hominum, illi ſtudiorum cura incumbant; ideo medicis ipſis extra ordinem ius dici debet*: ubi per medicos Ulpianus eos intelligit, qui vià naturali medentur, non Empiricos, qui de genere medicorum non ſunt tenendi. Et paulò pòſt inquit imperator: *audiant præſides provinciæ obſtetrices, quæ utiquè medicinam exhibere videntur*; vides tanti fieri medicinam, ut obſtetricibus, etiamſi vile exerceant munus, quia tamen eam quodammodo imitari videntur, idem jus concedatur, quod artium profeſſoribus. Sed enim ex conſtitutione Imperatoris *CONSTANTINI* ſic ſcriptum legimus: *Medicos, grammaticos, & profeſſores alios litterarum, & doctores legum unà cum uxoribus, & filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus poſſident, ab omni functione, ab omnibus oneribus, vel civilibus, vel publicis, immunes eſſe præcipimus; & neque in provinciis hoſpites recipere, neque ullo fungi munere, neque ad iudicium deduci, neque eximi, vel exhiberi, vel iniuriam pati: ut ſi quis eos vexaverit, pœna arbitrio iudicis plectatur: mercedes etiam & ſalaria eis reddi iubemus, quò facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant. Et L. 6. C. de comitibus & Arch.* medici principum, dignitate æquales ducibus & vicarijs conſtituuntur ſub his verbis: *Archiatri intra palatium militantes, ſi comitivæ primi ordinis nobilitaverint gradus, intra vicarios taxari præcipimus.*

c. non ſanè.

Medicis extra ord. ius dicendum.

10. Cod. Lex celebris imperatoris Conſtantini de medicis & doc. legum.

Archiatri æquales ducibus, & principum vicariis.

Sic utrinque inſtructas armataſq; medicorum & jureconſultorum acies, eorundemque hinc atrociter provocantium, illinc paribus armis iniuriam propulſantium proritatos exacerbatoſque animos componere pro virili tentabimus, minimè curantes aut livorem Tiraquelli aut Hippolyti Obitij aliorumque parum modeſtam vehementiam, quod ut accuratius fiat, præmittamus, juriſperitiam duplicem eſſe, alteram Architectonicen illam quidem, quæ ipſa leges ſtatutaque condit, eſtque quædam omnium noſtrum imperatrix, quæ reſpublicas adminiſtrat, civitatumque multarum ac nationum ſtatus legibus ſuis firmat, aut in melius commutat: Quam quidem profeſſi ſunt Solon, Lycurgus, Draco, Plato, Ariſtoteles, Paullus, Scævola, Ulpia-

Iuriſprudentia duplex.

Legiſlatores.

Digitized by Google

Ulpianus,& pleriq; alij receptiſſimæ,autoritatis clariſſimi viri, quorum ingens extitit numerus,philoſophi illi ac verè politici ſcientiæq; politicæ ſcientiſſimi, qui nutricem habuerunt philoſophiam, quos medici tanquam majores ſuos perinde atque alios philoſophos ſuſpiciunt, colunt,ac venerantur:quippe qui ſcientiâ nixi, & habitu conſtabilito ratione ducti ſcripſerunt: Alteram litigioſam illam,quæ in agendis cauſis verſatur.Similiter etiam Architectonicen eſſe medicinam quandam, & imperatricem,non ſolum quòd multos dicto obœdientes habeat, verum etiam ac longè quidem magis,quod Architecti,regisq; atque imperatoris optimi more rectam ſecum rerum ſuarum validamque, atq; inconcuſſam rationem conſtituens,menteq; eam atq; intellectu ſtabiliter firmans,leges ipſa ſibi medicas dicit,eaſdemq; ad regionum, locorum, ætatum,ſexuum,habituum, conſuetudinum, conditionum omnium diverſitatem moderetur; quandoquidem ea artium inprimis dos ſit,vel omnium nobiliſſima,ut ratione nitentes & ſtabili intellectus habitu firmatæ,dare ſe in uſum omnem queant,quidquid tandem obveniat novum, inſolitum,diſſuetum.Ita anteceſſores noſtri Hippocrates, Galenus, Avicenna ad exemplar artis medicæ,quam mente animoque puram atque exactam ſervabant,leges medicas,quas hodiè habemus, litteris mandarunt,à nobis ad peculiares rerum occurrentium uſus accommodandas.Et quemadmodum illi jureconſultos deinde habuerunt, qui nihil aliud quam edicta ſua ſequerentur,& nihil novare auderent, nec liceret quidem: ſic noſtri nacti ſunt medicos ſuos de ſcripto, qui ſatisfeciſſe arbitrentur,ſi ad occurrentem morbum ad hunc aut illum auctorem ſe conferant,quem perfunctoriè perluſtrent, & inde tranſſcriptam compoſitionem adaptatam admoveant. Et quod apud jureconſultos leguleì &cauſidici ſunt,litium quàm litterarum peritiores,id apud medicos circumforanei,Chirurgi,& Empirici. Diſtant tamen medici rationales ac docti,à doctis jurecõſultis hodiernis,quia medici univerſam artis ideam, methodum, ac rationẽ peculiaribus quibuſq; caſibus indies occurrẽtib⁹ prout ipſis viſum ſit, ex artis ratione accõmodare liceat; illis nõ liceat: in quo potiſſimum artium ſcientiarumq; omnium cardo ac ratio vertitur. Exempli gratiâ: Lex eſt,qui extra ordinem in hoſtem pugnaverit, capite mulctetur,provocatus pugnavit,victoriam reportavit,capite tamen luat eſt neceſſe,legis tamen conditor, ſi viveret, præmio afficeret victorem. Deinde lex jubet, ut quem duo aut tres teſtes condemnaverint,

Medicina Architectonica.

Artium dos præcipua.

Medici de ſcripto qui.

Differentia inter medicos & juris peritos.

Digitized by Google

rint,damnetur,judex aliud novit,quàm teſtes deponunt,eorũ tamen depoſitioni ſtet oportet. Ediverſo Hippocratis eſt præceptum, inediam ad ſeptimum uſque diem quibusdam in caſibus protrahendam, nunc nõ facimus,nam nec Hipp. ipſe,ſi viveret,his moribus, his regionibus,faceret, quia vires non ferunt.

Quorundã ratio componendi hanc cõtroverſiam.

His ita expoſitis ac benè perceptis,quidam,ut dirimant hanc cõtroverſiam,dicunt,partem eam juris peritiæ,quæ verſatur in gubernandâ republicâ, haud dubiè medicinæ eſſe præferendam, ac de eâ dictum ARISTOTELIS eſſe intelligendum,cùm 2. Ethic. inquit: *Facultatem civilem honorabiliorem eſſe, ac præſtantiorem medicina*: cauſam aſſignãt,quia hæc de ſervandâ corporis valetudine agit,&ſi quando de temperantiâ,ac de cohibendis animi affectibus,id quidem refert in corporis ſanitatem: civilis vero ſcientia de formandis moribus, & continendis hominibus in officio,quod præſtantius ſit quàm bene valere: atq; hanc partem conſules profiteri &principum conſiliarios. Alteram vero jurisprudentiæ partem contentioſam illam quidem ac litigioſam immeritò ab hominũ ambitione&ignorantia medicinæ præferri,quia hæc non,ut civilis,agit de reip. ſtatu ac bonis moribus,ſed de ſingulorũ jure:eorum verò quæ lite poſſunt detrahi aut tribui,nil eſſe cum vitâ conferendum; de eripiendis enim aut concedendis animi bonis(quæ ſola vitæ præferuntur)nunquam fuit inter homines diſputatio orta; præſtabilior eſt igitur ea ars,quæ curat,ne homo ante fatale tempus intereat,quàm quæ, ne illi quippiam ſuorum bonorum injuria detrahatur, quod ſolum profitentur cauſarum patroni verbis aut ſcriptis, & omnium infimi procuratores. Qui tamen reſpondendi modus non videtur totam difficultatem exhaurire,nec penitus ſedare controverſiam, quia de publicis profeſſoribus harum facultatum nihil determinat, quorum jureconſulti nec conſules ſunt nec regum conſiliarij,multò minus cauſidici aut procuratores: medici vero non ex commentario, neque Empirici. Itaque ibi potiſſimum licet rem cum re conferre,ſcientiam cum ſcientiâ, non autem cum ſcientiâ miniſterium. Quoniam verò ut plurimùm ibi medici ſaltem in ſpeculatione doctiores ſunt,eo quidem nomine, & quia magis à praxi recedunt, quam Tiraquellus aliquam medicinæ inurere maculam putabat, ipſis jureconſultis nobiliores cenſendi videntur; tunc deindè, quia in rebus ſuis illi plerumque à medicis conſilia petunt,

Reprobatur ſuperior reſpondendi ratio.

Medicina hodie diligentor exculta.

tunt,medici verò ab illis ad rem ſuam prorſus nulla,quod propterea accidit,quia parentem utriusque philoſophiam medici calleant, non jureconſulti,ideoq; artificioſiſſima ſit& fuerit ſemper habita medicina, nunc verò ab optimis auctoribus adeo eleganti methodo conſtituta & exculta,ut nulla artium videatur cum illa poſſe methodo & conſtitutione contendere, nam ut jurisperitiæ plurimum in alijs largiamur, certe methodo longo ſpacio à medicinâ relinquitur. Adhæc quia medico bene ſemper facere ſit propoſitum, neminem verò unquã lædere,ſi quidem intra artis ſuæ rationem conſiſtendum ſibi decreverit, ut enim Celſus ſcribit,*ſcientia ſanandi non nocendi eſt medicina*: Et Hipp. ad hæc,inquit,duo te exerceas,morbis ut proſis, vel ſaltem non noceas, non quemadmodum artifices alij,potiſſimum jureconſulti, qui ut etiam diligentiſſimè finem ſuum cõſequantur, neq; quicquam ab officio diſcedant: tamen diverſæ partis hominibus adverſantur, dum ſuis favent.

Medico neminem lædere eſt propoſitum. Celſ. in Epiſt. ad Caſſium Hipp. 1. Epid.

Quod ſi uſu receptum eſt,ut in academijs digniorem jureconſulti occupent locum,id conſuetudini tribuendum,natæ,uti reor,ex eorum faſtu, qui numero & poteſtate ſuperiores,ad clavum ſedentes,ſibi ſuperiorem locum vendicàrunt, & partes ipſi ac judices litem ſibi facile adjudicàrunt: Nam & Rectores & Gymnaſiarchas plerumque ibi agunt,medicis interim ſua contentis profeſſione, parumq; ſolicitis de inani gloriâ,quam ut minus ſeculares ipſorum habitum & diſciplinam dedecere arbitrantur; quæ tamen conſuetudo, lite pendente, vi potius quàm latâ ſententiâ introducta,medicis præſentibus aut futuris ullum præjudicium afferre minimè debet,quia anteceſſores noſtri,qui eam coniventiâ quadam permiſerunt, ſimplices fuerunt poſſeſſores, & bonâ fidei commiſſo neutiquam obnoxia erant,quin potius à divinis elogijs à legislatoribus ipſis & imperatoribus aſſignata præcedentia medicis ſit, ut ex ſuperius allegatis abundantiſſimè liquet; idquè ob artis præſtantiam,nullâ ignobilitatis aut ignominiæ notâ unquàm commaculatam, naturę comitem,& operum ipſius naturæ inſtauratricem,quæ nihil quã ingenuitatem,ac beneficentiam quandam ex ſe ſpiret, & nunquam labores pro alijs ſubire vereatur: ipſa ſibi ſæpe damnoſa,fructuoſiſſima verò humano generi, quæque alienæ calamitatis miſerta, multis maximisque difficultatibus ſe opponat, ut collapſos oppreſſosque mortales allevet,& minimè corporis miniſterio, ſed mentis habitu, qui imperare ſciat, conſtet.

Cur uſu receptum, ut jureconſulti medicis digniores habeantur.

Præcedentia medicorum. Medicinæ dotes.

Non

Valeſii lapſus.

Non tamen ad id moveor Valeſij argumento, majori fortaſſe in medicam profeſſionem affectu, quàm circumſpectione adducto: exiſtimat enim, medicos olim eſſe oportuiſſe prius eos, qui ad Regiam dignitatem veherentur, quod deducere nititur ex verbis Eſa. 3. ubi ſic ſcriptum legitur: *Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui, & dicet, veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua. Reſpondebitq; in die illa, dicens, non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neq; veſtimẽtum, nolite me conſtituere principẽ populi*: ubi in Ebræo cõtextu pro voce *medicus* eſt קָצִין quę vox *curatorem* ſignificat, ſeu reip. gubernatorem, nõ autem medicum phyſicum, quem Ebrei dicũt רופא. Valeſius verò ex ignorantia linguæ pro medico phyſicum intellexit, cùm potius curatorem intelligere debuiſſet: & verbũ תהיה ibi poſitum de futuro eſt, nõ de præſenti; atq; ita totus ſenſus erit: *non ſum medicus ſive curator*, hoc eſt, nõ novi has cala mitates curare, quia remp. gubernare non ſum aſſuetus: *& in domo mea non eſt panis, nec veſtimentum*, id eſt, non ſum opulentus & potens, quæ tria ad regiam dignitatem requiruntur: non igitur ero gubernator veſter. Nec aliter Pagninus & cum eo Arias Montanus, uterq; Hebraicæ linguæ ſcientiſſimus, & pleriq; alij vocem illam vertunt. Neque legimus populi Iſraelitici reges, præter unum Salomonem, medicos fuiſſe: & plerique eorum admodum pueri ſceptrum obtinuerunt. Atenim certum procul dubio eſt, plures aliarum nationum principes, animadvertentes ſcientiæ dignitatem, Medicinam fuiſſe profeſſos, Saporem nimirum, & Gygem Medorum reges, Habidum Arabum, Mithridatem Ponti: Meſuem etiam medicinæ autorem celebrem Regis Damaſci nepotem fuiſſe, Avicennam Cordubæ principem pleraque Medicinę opera ſcripſiſſe, & Iſacum regis Perſiæ filium adoptivum; & ex pontificibus Romanis Nicolaum quintum, & Joannem 22. ſuis ſcriptis eandem medicinam illuſtraſſe.

Eſaiæ locus explicatur.

Reges & principes medici plerique.

Reliquum eſt, ut ſcrupulum diluamus, quem Tiraquellus, & Accurſius de Parabolanis ingeſſerunt, quos medicos eſſe cenſent, ſic dictos, quia multis utantur parabolis, hoc eſt, multa loquantur & garriant: Cum potius ita nominentur hoſpitalium famuli, qui infirmis aſſiſtere ſolent, à medicis omnino diverſi, ut ex eadem lege apertè colligitur, cujus hæc ſunt verba: *ſexcenti parabolani ad hujuſmodi ſolicitudinem eligantur, exceptis honoratis & curialibus*; ubi gloſſa per *honoratos* medicos intelligit; & Alciatus eidem ſententiæ ſubſcribens,

Parabolani non erant medici.

Parabolani qui. *Parabolanos* plebeos quoſdam homines eſſe dicit, qui ſervituti eccleſiarum & hoſpitalium deputati erant, quales hodiè per univerſam Hiſpaniam fraterculi quidam viſuntur diverſorum ordinum, ineruditi illi quidem, ſed qui hoſpitalium curam utiliter inprimis profitentur, uti Romæ ægrotantium aſſiſtentes. *Aſſiſtentes Romæ.* Quod ſi in lege, *ſi duas:* medici agyrtæ & circulatores vocantur, Empirici illi quidem & circumforanei ſunt, qui cœtu hominum circumdati fabulis ipſos oblectant & temerè medici ibi appellantur, cùm nihil minus quàm medici ſint, quo nomine generoſos ac ſapientes intelligimus, & eorum elogium extat in ſacra pagina ſub his verbis, *Scientia medici extollet caput eius: coram principibus in admirationem habebitur.* *Medici elogium.* De ijsdem dixit Hipp. oportere medicum animum habere modeſtum, non ſolùm quoad taciturnitatem, ſed etiam circa reliquam vitam probè compoſitum, & vultum meditabundum, tantum abeſt, ut garruli & loquaces dici debeant: *Medicus modeſtus & meditabundus.* cui *VIRGILIUS* ſubſcribens de Iapi medico, cujus ſuperius quoque meminimus, ait:

Ille ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, uſumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Ubi artificioſiſſimus poeta medicinam *artem* vocavit *mutam*, quia in eo laborandum magis, ut fideliter curemus, quàm ut ſubtiliter differamus, ſiquidem morbi, ut Celſus ſcribit, *non eloquentiâ, ſed remediis curantur*, & non vocibus, ſed rerũ eſſentijs & viribus expelluntur. In quem ſenſum dixit *DAMASCENUS*, *convenire medicum efficacem eſſe in opere, non loquacem.* *Et certè ut inania vaſa maxime tinniunt: ita, quibus minimum ineſt ſcientiæ, hi ſunt loquaciſſimi: Et e converſo ut egregius jaculandi artifex ſtatim ſcopum petit: ita ſapit, qui pauca loquitur, ſed ad rem. *In multiloquio non aberit peccatum*, inquit ſapientiſſimus Rex, ideoque labi pedibus, quàm linguâ ſecurius ſemper fuit medico præſertim quem gravis, ſed minimè moroſa taciturnitas decet. Perperam igitur grammatici quidam locum hunc de artis ignobilitate interpretantur, quaſi *muta*, id eſt, ingloria ſit, cum *muta* à Virgilio nuncupetur, quod tota ejus vis in remedijs potius, quàm in facundiâ collocetur: Dixit autem illũ prætuliſſe reliquis donis ab Apolline ſibi oblatis augurio, citharæ, & ſagittandi peritiæ artem medicam, elegiſſeq; eam, inglorium exercere, innuens infelicitatem illius temporis, quo jacebat præclariſſima ars: De qua re Galenus etiam, qui poſt illum claruit, ſæpiſſi-

piſſimè conqueritur,& quod nemo propè eâ tempeſtate huic perſimili veritatis inquiſitioni eſſet deditus : ſed pecuniam &civilem potentiam ac inexplebiles voluptatum delicias omnes eò uſque ſuſpicerent , ut ſi quis ſapientiæ quodvis ſtudium ſectaretur, eum pro inſano haberent : nempe hæc veſanorum conditio eſt , ut malè faciendo velint bene feciſſe videri, &ſapientes ijs ſtulti videantur, quia ipſi ſtultiſſimi ſunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS.

DE DISCIPLINIS MEDICO NECESSARIIS.

CAPUT. I.

DEMOCRATES ſapientiæ cognitionem dicebat medicinę ſororem eſſe,quia ut ſapientia animam ab affectibus liberat, ita medicina morbos à corporibus aufert : & verò primus omniũ Hippocrates haſce duas facultates disjunxit , eò quòd in alterâ rerum tantummodò contemplatio ſpectetur,quæ finis illi ſit : altera ſe operi peragendo accingat,interea tamẽ minimè alteri alterius uſum interdicendo,quod&ille aſſiduè præſtitit,medica philoſophicis conjungendo : Et patrum noſtrorum memoria plerique etiam præſtiterũt,quos ſummos theologos unà, &conſummatiſſimos medicos fuiſſe accepimus. Quoniam verò ſapientia *rerum divinarum,humanarũq; ſcientia eſt*,& medicinæ contubernalis, propterea multa optimo medico, & vero Hippocratis imitatori ſunt neceſſaria , & pleriq; quidem Coſmographiam & Aſtrologiam exigi arbitrantur, ut noſcat medicus ex

Medicinæ ſapientia coniunctio.

Sapientia definitio.

Coſmographia.

Digitized by Google

Arithmetica. locis & temporibus indicationes deſumere: Arithmeticam etiam, quia ſæpe proportionibus utitur ac inſuper ad ineundam dierum criticorum rationem, horumq; ſubducendum rectè numerum: nec deſunt, qui ad *Muſica, & geometria.* cognoſcendos accuratè rhythmos in arteriis muſicam exoptēt: ex Geometria illud etiam deduci dicunt, in rotundum acta vulnera difficili' curari. Quæ tamen omnia mihi minus neceſſaria medico eſſe vidētur, quia quæ inde ad medicam artem deſumuntur, cōmuni quadam notione ſcire ſatis ſit: nam vel puer rectum dierum numerum inire poterit, & idiota vulnera ea, in quibus major carnis deperditio eſt, longiori tempore ut repleantur poſtulare cognovit: Et ſine muſices mentione partium motus quietisq; rationes deprehendi, atq; hæc omnia citra id, quod artium harum fundamenta teneamus. *Linguarum peritia medico neceſſaria.* Verumenimvero linguarum peritia omnino opus eſt: nam ſermone latino non poteſt medicus carere ſine magnâ turpitudine, græco nec ſine turpitudine, nec ſine artis diſpendio: non enim habemus materna lingua medicorum monumenta, ſed græcè, latinè, & pleraq; Arabicè; at enim noſtra hac ætate linguarum etiam vulgarium notitia utilis, ut diverſarum nationum & gentium ægrotos poſſit medicus viſitare atq; unumquemque ſuâ linguâ alloqui. *Rhetorica.* Rhetorica inſuper, quæ mœſtos ægrotantes ſolari, timentes erigere, iratos placare, furentes coercere poſſit: Quia etiam in arte medica uſus perſuadendi inſignis ſit, ut contra voluntatem quamvis, non tamen citra utilitatem ſuam ægri perſuaſi, ac ipſa dicendi vi coacti multa faciant, quæ facta eſſe expedit, ſitq; ideo ad ſanitatis recuperationem plurimum valitura dicendi facultas. *Simile.* Ut enim machinas & inſtrumenta bellica ad expugnandas urbes ſolemus uſurpare: ſic rationes ad ejiciendos de ſententia ſua ægros, ſtantes plerumq; à morbis contra medicos. Immo ſententiolâ unâ appoſitè dictâ hoc ipſum ſæpius aſſequimur, ſi præterea accedant illa, quæ ad perſuadendū maximè faciunt, virtus ipſius medici, prudentia, benevolentia, & auctoritas. *Dialectica.* Eſt inſuper maximus uſus dialecticæ, quæ ad rationem definiendi, dividendi, & argumentandi viam aperiat, ob idque ingentem de ſe medico largitur utilitatem, ubicunq; ratiocinādi vis aliqua occurrerit; occurrit autem ſæpius tum in quotidianis conſultationibus, tum in lectione auctorum artificioſè ſcribentium, præſertim *Hip. & Gal. natura & arte dialectici.* Hipp. & Gal in quorum libris expreſſam hujus artis formulam ac regulas animadvertere licet: neq; id ingenij tantummodo beneficio, ut quidam putant, ſed arte potius & ratiocinandi inſtrumento adjuncta ingenij per-

perſpicuitate, non tamen omiſſo ſtudio ac diligentia, ita ut quod illi dicunt de ingenij bonitate, verum omnino ſit, falſum autem quod artis expertem faciunt. Eſt itaq; legitimo futuro medico neceſſaria dialectica, ut quæcunq; dixerit, ſcienter dicat, non contentus opinione quadam, quãquam rectâ quâ opinari quidam poteſt, rerum tamen medicarum ſciens eſſe nõ poteſt. Tum deinde Anatomes & oculorum inſpectio medico perneceſſaria eſt, ut quæ ſola loca malè affecta indicare valeat, & admirabilem hominis fabricam naturamq; ante oculos ponere : quemadmodum enim qui res geſtas in regno, provincia, aut civitate narrare vel cognoſcere velit, ipſius loci ſitum, montes, flumina, ac demum Geographiam omnem tenere accuratiſſime oportet, à quâ propulſandum longe lateque bellum & introducenda conſervandaque pax ſit: ita nulla alia nobis parata via, per quam ingredi in rem medicam expeditius poſſimus, quam per Anatomen, & uſum partium corporis humani : quantumvis homini parcendum eſſe concedamus, & in ſimilibus brutorum cadaveribus laborandum. Cum enim maxima anatomes exercendæ cauſa ſit functionum, quæ in uſum aliquem tendant, cognitio, eas hoc pacto inveſtigare optimè licet, cùm nullas eſſe in homine actiones, quæ non eædem ab aliquo uno reliquorum animantiũ edantur, præter eas, quæ ad ratiocinationem ſpectant. Adhæc quia ſicut ex lapidibus, lignis, lateribus, cœmento domus: ita ex partibus humani corporis conſtructa & compoſita cõſtare ſanitas ſolet. Ut igitur architectus ignoratis partibus, quib⁹ ſubſiſtere domus poſſit, nil unquam promoturus in arte ſua ſit: ſic nec medicus in corpore humano quidpiam præſtare poteſt, niſi omnium ejus partium anatomen probe cognitam perſpectamq; habeat. Huic proxima eſt ſimplicium medicamentorum cognitio, quippè quæ materiam & inſtrumẽta artifici ſubgerit ad operandum; idcirco ſimplicium nomina & notas tenere, & in illarum cognitione exerceri perutile eſt, ut ſine quibus medicina eſſet penitus inutilis. Quâ in re licet futurus nunquã finis ſit, ſi inveſtigare omnia velimus, locis plerumq; ac regionibus longè diſſita, præſtat tamen aliquid à puero ſtatim cum animi relaxatione, quaſi per luſum, cognoſcere, ut ſemper ſummæ aliquid accedat radicum, herbarum, metallorum, catharticorumque, & quidquid hujuſmodi eſt, ut materiam rerum harum, cum uſus venerit, diu ante ſibi viſam cognoſcat. Ulteriorem vero de his inveſtigationem ſequentibus annis reſervamus, quibus maximum ſimplicium nume-

Anatomes utilitas.

Anatomes & geographiæ ſimilitudo.

Similitudo ſtructuræ humani corp. cum ædificijs

Herbariæ & ſimplicium cognitio.

Digitized by Google

numerum,eorundemq; vires addiſcat, herbarijs præceptoribusque in hanc rem operam undiq; conferentibus. Requiritur præterea philoſophia naturalis, quæ medicinæ principia de ſuo largitur, hæc enim docet corporis naturam & morborum generationem, in qua potiſſimum vellem medicum multum profici,ſemper enim,uti initio diximus, conjuncta fuerant utriusq; ſtudia,& tametſi paulò pòſt in diverſa diſtracti,quaſi partiti laborem,quidam medici,alij philoſophi dicti ſunt, videmus nihilominus apud plerasque nationes phyſicos vocari,tàm medicos quàm philoſophos. In hac igitur tantisper medico immorandum quoad familiaris jam factus, & ad medicinæ adyta intromiſſus reconditiſſimæ ſimul ac fructuoſiſſimæ artis præcepta capere poſſit: non enim unquam rectè tractandum corpus ſuſcipiemus,niſi illius naturam antea noverimus. Admodum etiam conducit altera philoſophia, quam Ethicam vocant,ſive moralem,hæc utiq; animi perturbationes ſedat,quæ ſunt corrumpendæ valetudinis causæ infeſtiſſimæ,humores & ſpiritus conturbando,corpus alterando,ac vires dejiciendo, ſiquidem tales perturbationes morborum ſymptomata ſunt,interdum etiam cauſæ,quæ& morbos & ſymptomata augent: quippe anima & corpus ſuos morbos in ſe mutuò transfundunt, ideoque Galenus librum edidit, cui titulum fecit: *Quod animi mores corporis temperaturam ſequantur*, & alterum *De cognoſcendis curandisq́ animi affectibus*, cujus præceptum illud potiſſimum eſſe arbitror, ut qui corporis ſalubritate frui velit, animum primum componat, deindè corpus & animum ſimul moveat, quod præceptum ut omnibus perutile eſt,ita litterarum cultoribus, qui profundis contemplationibus ſæpe detinentur,perneceſſarium. Ut enim neque oculos ſine capitis curatione,neq; verò ſine corporis curâ caput unquã rectè ſanandum aggredimur: ita neq; corporis curationem abſque animæ curatione ritè moliemur: & vero ut bonum corporis temperamentum probitatem morum largitur,ita compoſiti mores corpori ſemper temperamenti bonitatem conciliant,quorum alterum philoſophiæ moralis,medicinæ alterum proprium eſt munus. Frequentius tamen experimur,affici corpus ob animi affectus, quàm corporis vitia in animum penitus redundare. Videmus enim quàm citò irati animi ſigna, aut mœrentis,aut exultantis in corpore appareant,pallor,& ſubtriſtis vultus,& cum hilaritate interdum riſus ac ſimilia: At non dederit tam repente de ſe argumentum animus in affecti corporis commercium tractus. Sicuti igi-

Philoſophia naturalis uſus in medicina.

Phyſici tam medici quã philoſophi dicuntur.

Philoſophia moralis.

Anima & corpus ſuos morbos invicem communicant.

Optimum præceptum.

Simile.

Corporis curatio non benè fit abſquè animæ curatione.

Corpus facilius alteratur quã animus.

ut igitur ex duobus malis, quæ in unum conveniunt, peſſimum ſemper aliquid conſtituitur:ita ex duobus his bonis ſtudio nimirum philoſophiæ moralis,qua animo conſulitur,& medicinæ,quâ corpori, optimum aliquid conſtituatur neceſſe eſt;totius nimirum compoſiti optima valetudo & morum animi pulcherrima harmonia.

ASTROLOGIA AN UTILIS ET medico neceſſaria.

CAPUT. II.

facta quidem eſſe aſtra in ſigna, & tempora, non quaſi ſignificationem præbeant hominibus imminentium caſuum, ſed quia Solis præcipuè & Lunæ motu tempora definiuntur, ut antea diximus, agitur enim ibi de ſignis denotantibus diverſitates tempeſtatum, anni, diei, ac noctis. Stellas manentes in ordine & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaviſſe, ſic Joſephus enarrat, quod hujus conflictus tẽpore magna procella exorta fuerit, tantumq; aquæ oculis Cananæorum effuſum, ut bellica inſtrumenta uſui eſſe non poſſent, quod auxilium cum cœlitus fuerit miſſum, de cœlo dimicatum eſſe dixit; miſſus autem fuit per Angelos, defenſores populi Iſraelitici, quorum princeps eſt Michael, ut habetur in lib. Joſuæ & Danielis, & ij dicuntur & ordine & curſu ſuo mãſiſſe, hoc eſt, in ſua Hierarchia: firmamentum autem annunciare opera manuum Dei, idem eſt ac pulchritudinem hujus viſibilis fabricæ indicare excellentiam inviſibilium operum ipſius & mundi ſupercœleſtis. Quæ verò ex Ariſt. & Galeno allata fuerant, nihil contra noſtram concluſionem faciunt, nec inde ſubſidium aliquod Aſtrologis accedit, quia de motibus & illuſtrationibus planetarum tantummodo agunt, non verò de judicijs, ex quibus judiciaria quoslibet effectus, etiam contingentes, ex cauſis remotiſſimis prædicere contendit ſine formidine contrarij, quam cunctis mortalibus nedum medicis illicitam eſſe prodidimus.

Secunda concluſio.

Sit igitur *ſecunda* concluſio, ea Aſtrologiæ pars, quæ cœli revolutiones & Aſtrorum contemplatur ac inde prædicit aeris ſalubritatem, temporum viciſſitudines, animantium morbos, & annonæ caritatẽ, reliquis hominibus non prohibitã, medicis verò ſi non neceſſariam, ſaltem exercẽdis ingenijs aptã, & ad ipſorum ornamentum utilẽ eſſe. Attamẽ locum inter perfectos medicos ijs etiam eſſe ſinimus, qui intra medicinæ limites verſati omniaq; ipſius artis diligenter rimati fuerint, eidẽ tantummodo intenti, in qua utilitas ſpectatur maxima, tametſi nõ magnopere curent ea, quæ propemodum ſupervacanea ſunt, niſi quis vigore ingenij tãtum valeat, ut hujuſcemodi rebus intentus eſſe poſſit, citra minimum diſpendium ſtudij medicinæ: ne non neceſſarijs deditus, ea relinquat, ſine quibus ad juſtam medicinæ metam pervenire non licet.

Tertia concluſio Prædictio non ex ſidere ſed ex motu humoris facienda.

Tertia concluſio, ad prædicendum de diebus criticis, ſanguinem minuẽdum, potionemve exhibendam, non tàm ex aſpectu ſiderum indicatio ſumenda eſt, quæ cauſa fuiſſet remotiſſima, quàm ex continente & conjuncta, hoc eſt, ex ipſa humoris in corpore tunc ſævientis naturã, & ex ipſius naturæ inſultu contra humores, quorum alij

facta quidem eſſe aſtra in ſigna, & tempora, non quaſi ſignificationem præbeant hominibus imminentium caſuum, ſed quia Solis præcipuè & Lunæ motu tempora definiuntur, ut antea diximus, agitur enim ibi de ſignis denotantibus diverſitates tempeſtatum, anni, diei ac noctis. Stellas manentes in ordine & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaviſſe, ſic Joſephus enarrat, quod hujus conflictus tẽpore magna procella exorta fuerit, tantumq; aquæ oculis Cananæorum effuſum, ut bellica inſtrumenta uſui eſſe non poſſent, quod auxilium cum cœlitus fuerit miſſum, de cœlo dimicatum eſſe dixit; miſſus autem fuit per Angelos, defenſores populi Iſraelitici, quorum princeps eſt Michael, ut habetur in lib. Joſuæ & Danielis, & ij dicuntur & ordine & curſu ſuo mãſiſſe, hoc eſt, in ſua Hierarchia: firmamentum autem annunciare opera manuum Dei, idem eſt ac pulchritudinem hujus viſibilis fabricæ indicare excellentiam inviſibilium operum ipſius & mundi ſupercœleſtis. Quæ verò ex Ariſt. & Galeno allata fuerant, nihil contra noſtram concluſionem faciunt, nec inde ſubſidium aliquod Aſtrologis accedit, quia de motibus & illuſtrationibus planetarum tantummodo agunt, non verò de judicijs, ex quibus judiciaria quoslibet effectus, etiam contingentes, ex cauſis remotiſſimis prædicere contendit ſine formidine contrarij, quam cunctis mortalibus nedum medicis illicitam eſſe prodidimus. *ſacr. lit. pro aſtrolo-gis allata.*

Sit igitur *ſecunda* concluſio, ea Aſtrologiæ pars, quæ cœli revolutiones & Aſtrorum contemplatur ac inde prædicit aeris ſalubritatem, temporum viciſſitudines, animantium morbos, & annonæ caritatẽ, reliquis hominibus non prohibitã, medicis verò ſi non neceſſariam, ſaltem exercẽdis ingenijs aptã, & ad ipſorum ornamentum utilẽ eſſe. Attamẽ locum inter perfectos medicos ijs etiam eſſe ſinimus, qui intra medicinæ limites verſati omniaq; ipſius artis diligenter rimati fuerint, eidẽ tantummodo intenti, in qua utilitas ſpectatur maxima, tametſi nõ magnopere curent ea, quæ propemodum ſupervacanea ſunt, niſi quis vigore ingenij tãtum valeat, ut hujuſcemodi rebus intentus eſſe poſſit, citra minimum diſpendium ſtudij medicinæ: ne non neceſſarijs deditus, ea relinquat, ſine quibus ad juſtam medicinæ metam pervenire non licet. *Secunda concluſio.*

Tertia concluſio, ad prædicendum de diebus criticis, ſanguinem minuẽdum, potionemvè exhibendam, non tàm ex aſpectu ſiderum indicatio ſumenda eſt, quæ cauſa fuiſſet remotiſſima, quàm ex continente & conjuncta, hoc eſt, ex ipſa humoris in corpore tunc ſævientis naturâ, & ex ipſius naturæ inſultu contra humores, quorum alij *Tertia concluſio Prædictio non ex ſidere ſed ex motu humoris facienda eſt.*

Digitized by Google

ſecundo die; alij tertio, quidam etiam quarto, & interdum per tardiores acceſſiones recurrunt, ex quarum vi, ſi cum ægri facultate rite conferatur, totius curationis prædictionisq; ſumma conſiſtit. Rectè igitur & ſibi & ægris medici conſulent, ſi quoties vacuandum videtur, lotium potius quam aſtrum inſpiciant: & arteriarum pulſationem magis quam ſtellarum configurationem obſervent. Quod ſi plus credatur Ptolomeo, docenti cœlum inſpiciendum, quàm Hipp. præcipienti pharmaca eodem die in valdè acutis morbis exhibenda, dum turgēt, vitam multi priùs finient, quàm cœlum conjunctionem. Sunt itaque ſuperſtitioſi & noxij infirmis medici illi, qui relictâ pulcherrimâ hac curandi prædicendique ratione, de morbis judicare præſumunt, ſecundum Lunæ & aliorum planetarum in ſignis Zodiaci ſtationes: nec nō Chirurgi, qui in vulneribus idem obſervant, hoc eſt, ſtellas eis præſidentes, & inde prænunciant vulnus ſanari poſſe, aut contrà. Ubi etiam notandi veniunt Aſtroatri illi, qui ſingulis annis ex hac aſtromantia, quaſi in tabellâ, ex quâ deſcripti dies peti poſſint, quib⁹ cū ægris agere liceat, nobis præſcribere volunt, qua die pharmaco, phlebotomia aut cucurbitulis utendum ſit. Aſtrorum enim, uti diximus, non tanta vis eſt in hæc inferiora, quin aliarum cauſarum concurſu plerumq; impediatur, nimirùm à materiæ diſpoſitione, & concoctione humorum, ex quibus dierum criticorum obſervationes longe magis dependent, & ex morbi ſtatis temporibus, ac ſymptomatibus, quàm ex aſtris, ut videre eſt per multa Hipp. Gal. & Avicen. loca, quibus paſſim idipſum confirmatur. Vocant hanc medicinæ partem veteres σημειωτικὴν, quam recentiores doctores multis commētarijs illuſtrarunt, ex quibus conſtat, quædam, quæ ſalubria dicuntur ſigna, valetudinem atteſtari integram: alia degenerantem jam & affectam, quæ neutra nuncupantur: alia ſuccumbentem & evictam, quæ inſalubria: & quælibet aut commemorativa ſunt, aut demonſtrativa, aut prænunciativa, ſive prognoſtica. Non igitur de ijs medicis, qui hæc exactè norunt, & in doctrina Hipp. apprime verſati ſunt, ac plerumq; vera prædicunt, ſed de illis alijs Aſtromanticis & temerarijs, qui nihil minus ſciunt, quàm quod profitentur, verum eſſe veterem illum ſermonem exiſtimo; *præſtare à ſexaginta medicis, quàm à ſex iureconſultis damnari.*

Medicorum quorundam error.

Chirurgorum abuſus.

Aſtroatri notantur.

Hip. paſſim Gal. 2. de dieb. crit. Avic. f. 2. 4. tr. 2. c. 1.

Signorum differentia.

Medi-

MEDICUM CHIRURGUM ESſe oportere.

CAPUT. III.

A Medicinâ, quæ propter languentes inventa eſt, medicus denominatur, ut Hippocrati placet, libro *de veteri medicina*, nam artifex ab arte, quam profitetur, deflexum ſortitur nomen, Galeno auctore. Nomen autem medici non ſolum medicos phyſicos, ſed & Chirurgos complectitur: ſic Hipp. eos, qui fractis, luxatis, atq; adeo vulneratis manu medentur, medicos appellat. Quidam preſſius ſumunt nomen medici pro eo, qui victus ratione & medicamentis duntaxat curat: In quo ſenſu Hipp. *in ſuo iureiurando* dixit: *Neq; verò calculo laborantes ſecabo, ſed viris Chirurgiæ operariis eius rei faciendæ locum dabo:* quibus verbis medicum à Chirurgo apertè diſtinxiſſe videtur: & Avenzoar: *non eſt*, inquit, *medici honorati manibus operari, ſed ſuis miniſtris officio relicto medicinâ & cibo ægrotantibus auxilio eſſe debet.* Quæ ut penitius intelligantur præfari oportet, Chirurgiam tertiam partem eſſe therapevticæ, quæ morbos, qui in ſolutione continui, aut in partium externarum moderatione conſiſtunt, tollit ſectione, uſtione, reſtitutione in naturalem ſitum, & medicamentis extrinſecus admotis. Quibus in rebus tria potiſſimum ſibi proponit, ut breviter, ut citra dolorem, id eſt, jucunde, ut maxime tutò curet. Tutò autem curabit, primò, ſi abſolutionem operis conſequatur; ſecundò, ſi cubantem non lædat, *morbis*, inquit Hipp. *vel proſis, vel ſaltem non noceas:* Tertiò, ſi vitium non facile revertatur.

Medicina prior medico. *1. de ſanit. tuend 8.* *Medici duplex ſignificatum.* *2. theis. tract. 6. c. 2* *Chirurgia 3 med. pars.*

Deindè, medici olim aut à loco denominabantur, & ita quidam Gnidij, alij Rhodij, alij Itali dicebantur, ut Gal. refert: hodie vero græci, latini, & Arabes: Aut à ſectâ, & ſic Empirici, methodici, aut rationales dicti fuerunt, clinici vel diætarij, ut refert Mercurialis *3. var. lect. 22.* hodie dogmatici, & Chymici: & ab autore ipſius ſectæ alij Hippocratici, ſeu Galenici, ſeu Aſclepiadæi: alij Eraſiſtratæi, nunc Galenici & Theophraſtici. Aut certè à parte corporis: fuit enim in Ægypto, & in aliis locis uſitatum, ut ſinguli ſingulos morbos curarent, & ita alij ocularij, alij auriculares, vel dentales dicebantur, quod Empiricis duntaxat conveniebat.

1. meth. 1.

Romæ etiam Galeni tempore artem medicam in membra innumera reſecabant, ita ut alios ocularios, alios auriculares vocarēt: & ſic peculiari ſuo nomine medicos reliquarū partiū ſeu morborum, totq; in ſumma medicos faciebant, quot ſunt humani corporis particulæ, neque Galeno à ratione alienum videtur, ſi ea ars, quæ omnium maxima ſit, tot in ſe admittat ſectiones, ſi modo in maxima civitate, utpote Romæ vel Alexandriæ pro unaquaq; harum affectionum aliquis reperiatur, qui inde dicatur medicus. In oppido tamen exiguo non poſſe quemquam victum ſibi parare, qui tantum ſuffuſiones pūgeret oculorum, aut hernias incideret, unde hujuſcemodi medici urbes Græciæ tum temporis mutare cogebantur, quod hodie eoſdem Empiricos factitare videmus.

Chirurgiæ effectus evidens.

Chirurgia antiquiſſima medicinæ pars. 2. Iliados.

1 de uſu par. 7. de dig. ex puls. 1.

Chirurgia Hip. exercuit.

Meges Chirurgus.

Chirurgia libri ab Hipp.

Hippocratis candor.

Chirurgiā Galenus exercuit in juventute.

Porro autem Chirurgiæ effectus inter omnes medicinæ partes evidentiſſimus eſt, ſiquidem in morbis internis poteſt plerumq; dubitari, ſecunda valetudo medicinæ an naturæ beneficio contigerit. deinde per medicamenta, quibus in internis utimur, quamvis ſaluberrima ſunt, ſanitas interdum fruſtra quæritur, & ſine his non raro conſequitur: at in ea parte, quæ manu curat, evidens plane utilitas eſt: immo hanc conſtituunt plerią; vetuſtiſſimam, quando priores illi viri Homerico carmine laudati Podalirius & Machaon Æſculapij filij, Agamēnonis caſtra ſecuti, ſolis vulneribus medebantur: & Chiron Centaurus multò ante Chirurgiā illuſtraverat, ab eoq; Chirurgiæ nomen ſubortum eſſe quidam referunt: tametſi potius à χεῖρ quod eſt, *manus*, & ἔργον hoc eſt, *opus*, nomen tractum eſſe videatur: quaſi dixeris, operationem manualem, & largè ſumpto vocabulo quodcunq; manuale opus ſignificat: ſtrictè vero etiam recepto modo pro opere medici manu peracto. Plus tamen ab ipſo parente totius medicinæ Hipp. quam à prioribus illis exculta eſt, ac deindè profeſſores ſuos habere cœpit, quorum eruditiſſimus MEGES fuiſſe dicitur. Enimvero huic arti propriam admoviſſe manum Hipp. legimus, nec Chirurgi nomen dedignatum: juvenem etiam capite vulneratum curaſſe, ac libros ſcripſiſſe *de capitis vulneribus, de ulceribus, de officina Chirurgica, ac de articulis*: & à ſuturis capitis ſe deceptum interdum, ingenuè fatetur, more magnorum virorum, & magnarum rerum fiduciam habentium. Sed enim Galenus eoſdem Hipp. libros Chirurgicos diligenter interpretatus eſt, & eam artem proprijs exercuiſſe manibus conſtat, nam ſibi vigeſimum annum agenti gladiatorum curam Romæ feliciter demandatam eſſe ſcribit, tametſi poſtea anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo

cundo ab opere manuali deſtitit,ut ipſemet prodidit, munus hoc Chirurgis committendo. Ex quibus locis contendunt plerique noſtri ævi,indecorum eſſe,medicum phyſicum Chirurgiam exercere: Deinde, quia unus medicus ſolus in pluribus medicinæ partibus non poſſit excellere. Ad hæc quia videntur differre maximè medicus & Chirurgus, nam is,ut monet Celſus,adoleſcens eſſe debet, aut certe adoleſcentiæ propior,manu ſtrenua,ſtabili, nec unquam intremiſcente, eâque non minus ſiniſtrâ quàm dexterâ promptus, acie oculorum acri claraque, animo intrepidus, immiſericors, ſic ut ſanare velit eum,quem accipit, non ut clamore ejus motus magis, quàm res deſiderat, properet,vel minus,quàm neceſſe eſt,ceſſet. Econverſo medicus mitis,benevolus,& ætate provectus,reliquis anteponendus,cùm ad artem ipſam perdiſcendam de brevitate vitæ humanæ conqueſtus fuerit Hipp. & medicum ſenem, qui multa obſervaverit, expetat, & qui ſapientiam ac philoſophiam utramque cum medicina conjunxerit,& illam ad medicinam, ſubindeque medicinam ad ſapientiam transferre noverit,deniq; talis eſſe debeat, qualem Hippocrat. ipſe depinxit in libro *de decenti ornatu* & nos poſtea accuratè delineabimus.

Chirurgum medicum eſſe non decere quibus rationibus quidam perſuadent. Differentia inter medicum & Chirurgum.

Quibus tamen non obſtantibus, medicus perfectus, de quo agimus, Chirurgus ſit omninò oportet, aut certè ipſam artem Chirurgiæ exactiſſimè calleat, tametſi eam manibus non exerceat: nam callere artem perfectè non poteſt, qui tertiâ ipſius parte ſit deſtitutus ac non omnes,tanquam ſibi pediſſequas, conciliaverit. Et quidem conſtat ex Plinio,unum eundemq; antiquitus fuiſſe medicum & Chirurgum. Quod ſi poſtea Romæ medici Clinici (ſic enim phyſici à Plinio dicuntur) à Chirurgis ſejuncti fuerunt,id quidem non aliter fiebat, quam quà oculárij nuncupantur,qui oculis tantummodò medentur:non tamen quia empiricus hanc aut illam partem corporis tractat, medicus eandem tractare non novit. Fuit & altera Romani inſtituti ratio,quia operoſum erat pro quocunque ulcuſculo medicum conſulere, procedente tamen tempore quæcunque manus operâ perficiuntur, aggredi cœperunt. Chirurgia tamen primùm Medicinæ pars eſt habita; & ambæ ſub ijsdem natæ ſunt autoribus,nec Chirurgiæ alia, quàm medicinæ præcepta, nec aliæ demonſtrandi ſunt leges.Poſtea vero ut unius Medicinæ dignitas ſplendidior evaderet,rationis facultatem liberalem aſſumentes medici,quicquid manuum operâ geri ſolet, ad Chir. ac Pharm.

Concluſio.

Lib.29. c.1. Clinici medici. Cel.et Gal. 6 meth 2. decomp. ſecundum locos.

artis

artis miniſtros tranſtulerunt. His prima cura fuit luxata oſſa reponere, fracta dirigere, & in ſuam ſedem compellere: ferramentis quoq; aperire, ſecare, urere: tunc deinde vulnerum ulcerumq;, ac ſuppurantium tumorum curatio illis eſt relicta: omnium tamen origo ferè ex interiori cauſâ trahitur, cujus obſervatio, atque curatio planè eſt medica, imò omnium, quæ foris exiſtunt, atque geruntur, rationem medicus tenet, qui Chirurgi opus dirigit, Chirurgus vero ipſe manuum uſum, & exercitationem præſtat. Utramq; conſuetudinem diverſis in locis adhuc hodie ſervari videmus: nam maximo abuſu per totam ferè Germaniam barbitonſoribus præſtantiſſimam hanc medicinæ partem concreditam cernimus, idq; ferè in Luſitaniâ obſervatur: E converſo vero in Hiſpaniâ, Galliâ, & Italiâ medici Chirurgi inveniuntur, qui omnia ac ſingula artis præcepta, tùm ad manus operam, tùm ad victus rationem rectè inſtituẽdam, tùm ad corpus pro neceſſitate evacuandum, ſufficienter callent. Et tametſi pleriq; eorum medici ſint phyſici, Chirurgiam potius exercent, quando unus ſolus in pluribus excellere omnino nequeat: idcirco laudabili quidem inſtituto in celeberrima Salmanticenſi Academiâ Chirurgiæ cathedra ampliſſimo aſſignato annuo ſalario fuit conſtituta, in qua meo tempore profeſſor erat peritiſſimus *ANDREAS VALCACER* præceptor meus exercitatiſſimus, quo nemo melius ſcripſit de vulneribus capitis & pectoris: quiq; (quod citra invidiam dictum ſit) me præter cæteros honorificè excipiebat, quoties ejus auditorium ingrediebar, quod tenentur frequentare ſaltem per biennium omnes ac ſinguli futuri medici, aut doctorat⁹ inſignia conſecuturi: ex quibus poſtea, quorum animus magis ad Chirurgiam inclinat, Chirurgi vocantur: qui verò à manus operatione & horrido ulcerum aſpectu abhorrent, ut mihi accidit, medici appellantur, tametſi ſubinde calleant Chirurgiam: ex horum numero protomedicus eligitur in aula, protochirurgus vero tàm ex horum, quàm ex illorum ordine, receptâ iam conſuetudine, eligi ſolet.

Circa Chirurgiam diverſis in locis diverſa conſuetudo.

Germaniæ & Luſitaniæ conſuetudo.

Hiſpaniæ, Galliæ & Italiæ mos.

Chirurgiæ Cathedra in Salmanticenſi academia.

Andreas Valcacer Chirurgiæ profeſſor.

Ex dictis deprehenditur eorum medicorum error, qui hanc medicinæ partem callere dedignantur, aut quia contemnunt, aut quia medico non conferre, atq; adeo indecoram eſſe exiſtimant: delicatuli illi quidem, qui eam medicinæ partem exercere dedecoroſum putant, quam tamen magnum Hipp. & ſapientiſſimum graviſſimumq; Galenum, nec non Podalirium & Machaonem Æſculapij filios non ſolum calluiſſe, ſed etiam

Error quorundam medicorum detegitur.

etiam ſummo cum honore exercuiſſe conſtat; injuſti verò, qui eam artem callere prædicant, cujus tertiam partem omnino ignorant, & cum doctoris nomine glorientur, ea tamen quæ ipſorum miniſtri exercent, ipſi penitus non norint. Neque enim quia medicus phyſicus victum aut pharmacum præſcribere novit, aut Chirurgiæ operationes, ſtatim aut coquus aut pharmacopœus, aut miniſter dicendus erit. Nam ſi aliquis doctoris officium præſtet, & nihilominus phlebotomo ſcitè utatur, & manum operi Chirurgico admoveat: perinde id fuerit ac ſi navis rector remigare noverit & malum ſcandere: aut ſi belli dux militis officio interdum fungatur. Non enim ſimpliciter, ut ſervo dominus, qui ſatis habeat imperare, ipſe eorum, quæ juſſerit, inexpertus, ſed ut imperator militi, qui quæcunq; præceperit, ea exacte calleat, & ſi opus ſit, exequenda aggrediatur: omnia tamen propriè feciſſe dicatur, ſicuti recte ab architecto factam fuiſſe domum dicimus, non ab operarijs, & confeciſſe imperatorem bellum non milites.

INDECENS ESSE, MEDICUM SEplaſiarij munus exercere.

CAP. IIII.

NUnquam tamen admitterem, ut medicus ſeplaſiarij officium exequatur, cum hujus munus longius, quam Chirurgi à medici officio diſtet (ſiquidem propius curationem ipſam attingunt Chirurgi operationes, quam pharmacopœi.) Sic enim ſiet, ut medicus nil aliud quàm medicus ſit: miniſtri vero id, quod ſunt miniſtri: quam enim proportionem architectus ad alios fabricatores fabroſq;, quibus ipſe præeſt, eandem habet medicus ad ſuos miniſtros. Hi autem ſex potiſſimum ſunt, Galeno autore, pharmacopœus, ad quem herbarij, unguentarij, cataplaſmatumq; confectores, fomenta miniſtrantes: coqui, qui cliſteres infundunt: qui venas incidunt, ad quos reducuntur ij, qui cucurbitulas affigunt & ſcarificant cutem: aſſiſtentes reliqui & obſtetrices. Sic medica ars medicis ipſis dignior eſt, medicus verò artibus miniſtrantibus: illæ miniſtris.

Pharmacopœi munus à medico diſtat longius quàm Chirurgi.

Similitudo

6. Epid. 5. 2.

Medici miniſtri ſex.

Ars medica medicis dignior.

Quod ſi antiquitus Demetrius Antonini Cæſaris Archiater propria manu Theriacam præparaſſe legitur apud Galenum, qui & ipſe mortuo Demetrio ſeplaſiariam in aulà exercuerit, & multorum medi-

Galenus ſeplaſiariam exercuit.

Digitized by Google

mentorum compoſitiones concinnaverit, ibi certè duo in homine uno officia videre licuit, ſeplaſiarij ac medici, hoc eſt, imperantis & miniſtri. Noſtro autem medico ſatis fuerit, ſi ſua inſtrumenta exactè noverit, nō ex libris ſolum, verùm etiam oculari inſpectione, eorundemq; vires & graduationes, ut pharmacopœum ſuarum partium admonere poſſit, & *Pharmacopœi partes.* ejusdem errores deprehendere, ſi fortè contingant. Sunt autem pharmacopœi partes, cognitio materiæ medicæ, electio, collectio, repoſitio, conſervatio, trituratio, coctio, & compoſitio: quibus accedunt deſtillatio, ſublimatio, exaltatio, & calcinatio, in quibus interdum errores committunt non ſine maximo languentium diſpendio atq; pernicie. *Errores in cognitione.* In cognitione quidem, quia emunt ab herbularijs aut mulierculis ſimplicia, quæ *In Electione.* non agnoſcunt, atq; ita alia pro alijs plerumq; ſumunt, prter medici inſtitutum. In electione inſuper errare cōtingit, dum viliora aut adulterina emunt, & in compoſitionibus uſurpant, ideoq; mirum non eſt, ſi aut inutilia ſæpe evadant, aut etiam nociva: nam ex uno pravo ingrediente ne- *lib. de Antid. de theriaca de comp. per. gen.* dum ex multis totum compoſitum depravatur, ut Galenus ſæpius monet. *In collectione.* In collectione vero, quia intempeſtivè colliguntur, atq; adeo vel ante tempus putreſcunt, vel corrumpuntur, vel nondum ſuas vires habent, aut etiam amiſerunt, ut Dioſcorides annotavit *in proœmio ſui operis*. *In repoſitione.* In repoſitione etiam ſæpius errare ſolent, quia vel non tantam copiam ſervant, ut ad omnes compoſitiones inpoſterum ſufficiant, atque ita coguntur ſæpe alia pro alijs ſubſtituere maximo periculo, unde ortum proverbium fuit, *cave à quid pro quo pharmacopœi:* aut coguntur ob defectū quædam omittere in compoſitionibus, ideoq; fine fruſtrantur. Et verò neque ante integram inſolationem ſucci & aquæ reponi debent, aut ſirupi ante debitam concoctionem ab igne removeri, &, quod primum omnium *Medicamenta ſuas habet ætates.* eſt, nulla debent medicamenta ultra debitum tempus in officina aſſervari, contra artis documenta, quæ ſingulis medicamentis tàm ſimplicibus quàm compoſitis ſuas præſcribunt ætates, ultra quas aut vires amit- *Errores in trituratione.* tunt, aut nociva fiunt, & ideo penitus rejicienda ſunt. In trituratione etiam monendi ſunt, ne feſtinanter ſimul triturent, quæ ſeorſim trituranda fuerant, & aut craſſius aut tenuius, quàm regulæ præſcribunt, præſertim *In decoctione.* in compoſitionibus. In decoctione verò ne ſimul injiciant, quæ celerius & tardiùs concoqui ſolent, quorumvè vires facilius evaneſcant, & ideo *In compoſitione.* ad fidem adhiberi debent. In compoſitione errari facilimè ac perniciosè poteſt, cum citra pondus & menſuram ſimplicia permiſcentur, aut

dete-

deteriora propter ſumptus ſeliguntur. Deniq; in deſtillatione, calcinatione, ſublimatione, digeſtione, fermentatione, circulatione, exaltatione, & reliquis Chymicis operationibus cavendum ſemper, ne aut cruda maneant ſimplicia, plerumq; venenoſa, aut igneam omnino contrahant naturam, & humanis corporibus plane deleteriam.

Sit inſuper pharmacopœus diligens & artis ſuæ obſervantiſſimus, & neque candelis, vino, facibus & mercibus alijs officinam oppleat, quibus à veris artis operibus diſtrahatur. Saltem mediocriter dives ſit, & ab avaritiâ ſordibusvè planè alienus, ut & commodas ædes, & hortum habere poſſit, & optima medicamenta coemere. Miniſtros inſuper habeat vigilantes, peritos, & probos, & qui latinè optimè calleant; & ex probatis diſpenſatoribus norint medicamenta componere: nec temere conficiant receptas, non intellectas: in conficiendis vero opiatis, theriaca, aut nobilibus alijs medicamentis medicum adhibeat aut medicos, & unum atque alterum virum doctum ſenatorij ordinis, ut ſint ſuæ ſedulitatis & induſtriæ teſtes: medicamenta non vendat abſque medici recepta, cui nihil addat aut demat: præſertim verò narcotica aut venenoſa vulgaribus neutiquam concedat. Praxin medicam non exerceat, ſed conſulentes ad medicum dirigat: taxationem verò communem vel à Magiſtratu ordinatam fideliter ſervet. Non ſit aleæ aut ſimilibus luſibus deditus, neque compotationibus aut venereis rebus implicatus, ne veneficia ab ipſo extorqueri queant, ideo cœlibi ſemper præferrem maritum, & cui cum conjuge recte conveniat: demum ſit mundiciei ſtudioſiſſimus, pius, humanus, placidus, & erga pauperes liberalis, & arithmeticæ peritus, ut pondera ſimplicium, ac proportiones computare queat, quando videlicet antidoti alicujus pars aliqua requiritur, ut quantum ſit accipiendum uniuſcujusque calculare queat.

Quem

QUEM LOCUM IN MEDICINA SINGULÆ prædictarum diſciplinarum obtinere debeant.

CAPUT. V.

VIdeor mihi medico neceſſarias diſciplinas percurriſſe, quæ tamen non ad omnes medicinæ partes pari neceſſitate deſiderantur: nam philoſophia naturalis, Logica, Rhetorica, & Anatome ad theoriam ſpectant: herbaria ad praxin: Chirurgia ipſius medicinæ integrans pars eſt: moralis philoſophia, præſertimq; prudentia, ad Therapeuticam & curandi rationem potiſſimum confert. Nil enim magis expetendum medico eſt, quàm cum probitate naturali conjuncta prudentia. ſiquidem qui corpus curare vult, animum componat neceſſe eſt, & ſummâ non ſolum in faciendâ medicinâ, ſed in humanis actionibus utatur circumſpectione. In his igitur medicum omnino verſatum eſſe oportet: in alijs verò quantum ſat fuerit, ad ipſius medicinæ ornamentum, pro uniuscujusq; ingenij dexteritate. Verumenimvero condolendum profectò eſt, quo pacto hæc omnia quidam hodierni medici præſtent: quippe philoſophiam naturalē plerique ignorant, anatomes & herbarum notitiam iniqua partitione à medicina ſeparant, illam Chirurgis, hanc pharmacopœis relinquentes: linguarum peritiam ſimulant, verborum quæ memoriter didicerunt ex latino aut græco autore rapidâ prolatione: Pro eloquentia lividam rependunt mordacitatem; Ethicam Philoſophiam nec verbis nec operibus complent, ſiquidem neq; quo pacto componendus ſit animus ſermone proferre, neq; morum exemplo commonſtrare norunt. Unde fit, ut non immeritò audito medici nomine, avari, invidentiſſimi, & gloriabundi hominis nomen pleriq; mortalium audire affirment: usq; adeo quorundam culpa ad omnes medicos in omnium opinione translata eſt, & à pravis artificibus in univerſam artem vitium transfuſum, ut probus quiſq; vir, & ingenuus ac peritus medicus unumquemq; cupiat officii ſui eſſe memorem, aut ſeſe ex medicorum numero deleri. Quæ omnia medicinæ opprobria ex duobus fontibus ſcaturiunt, invidiâ cum avaritiâ, & cum ſuperbia conjunctâ ignorantiâ: de primo *libro tertio*, diſputabimus, de ſecundo non immeritò dixit Galenus, indelebile vitium eſſe vehe-

Medicorū quorundā abuſus.

Ignominia cur medicinæ illata.

Boni medici votum. Fontes ignominiæ med. Avaritia, invidia & ſuperbia.

Digitized by Google

vehementem ignorantiam, præſertim ſi cum ſuperbiâ conjungatur & tunc à Græcis Philautia dicitur: quibus tamen ingenium cum maturo judicio, animi candor, veritatis ſtudium, indefeſſusq; labor opponuntur, & quemadmodum, quibus hæ ſunt cordi, nihil ad ipſam veritatem comparandam grave ſit: ita homines rudiores protervè vituperare nunquã deſinunt, quæ deſperant ſe poſſe conſequi, & ingenioſiores arcuato vulnere proſcindere, nec tamen dimittentes clanculum quæ condemnant, ſed invidiâ quâdam in propatulo arguendo, quæ bona eſſe vident, eademque poſtea uſurpando, ut ingratitudine quadam inde lucrum faciant, quo omnes ſuas actiones metiuntur. Ita maledicâ linguâ famam doctioribus rapere nituntur, & ea ſuffurari, quæ dare non poſſunt, ſed ipſi egent. Precor illis bonam mentem, ſolidiorem doctrinam, & probos mores, ut depoſito odio, & invidia, & contempta inani gloria ac vili lucro, deſinant alijs maledicere, & veritati incumbant, nihil diſſimulantes quod ſciant: aut vituperantes, quod ignorent. Sed his omiſſis, quæ cognoſcere potius, quàm emendare licet, ad penſum redeuntes, concludimus, quaſdam ex prædictis artibus eſſe, per quas eundum omnino ſit in medicinam, ut Rhetorica, Dialectica, & utraq; Philoſophia, in quibus tamen non inhærendum, ſed quæ poſtea futuræ ſemper ſint medicinæ pediſſequæ: aliæ vero ſunt, quæ ipſam artem conſtituunt, anatome, Chirurgia, herbaria & quinque medicinæ partes; phyſiologica, quæ agit de rebus naturalibus; ὑγιεινή quæ de rebus non naturalibus; pathologica, quæ de rebus præter naturam; ſymiotica ſive pronunciativa, quæ de ſignis; & Therapeutica, quæ ſalutarium remediorum uſu morbos expugnat. Reliquæ artes liberales, aut quæcunq; aliæ, quæ rationalem medicinam propius non attingunt, non niſi ornamentum illi afferunt. Ut in ædium ædificatione tectum, parietes, & fundamenta requiruntur ad uſum, ſuperficies non neceſſariò depingitur aut adornatur; & pocula deaurantur interdum, quod & ſi non fiat, non minus utiliter aut commodè uti illis ad bibendum poſſimus. In primis tamen & ipſam conſtituunt, & ejuſdem ornamenta dici merentur, quæcunq; decoram & favorabilem faciunt: atque hæc ſunt, quæ nos pertractanda ſuſcepimus, & ad philoſophiam moralem potiſſimum pertinent, nimirum ut comiter eam medicus exerceat, liberalis artificij ſui largitor, bonorum ſuorum non parcus, affabilis, urbanus, non contumelioſus, beneficus in omnes, pauperum & divitum eandem habens rationem, quibus accedant

Boni medici candor.

Rudiorum medicorum mores.

Artes ad med. pediſſequa.

Artes medicinam conſtituẽtes

Medicina quinque partes integrantes.

Artes med. ornantes.

Similitudo

OEconomia artem conſtituit & ornat.

Digitized by Google

decens habitus corporisq; totius mundities. Reliqua namq; ut Geometria, Aſtronomia, Geographia, rerum & animalium hiſtoria, & quæcunq; hujuscemodi ſunt, tametſi ad ornatum faciant, extra artis pomæria poſſunt hoſpitari, ut reliqua, quæ ſupra artem fuerint, aut incomprehenſibilia, aut eius naturæ, ut cadere in artis rationem non poſſint. Eſt enim ars medica ſuis limitibus contenta, & medicus perfectus ille, cui nihil deſit ad rei medicę ſummam. Idcirco errant illi, qui medicinæ adjungunt non neceſſaria, relictis illis, ſine quibus ad juſtam medicinæ metã pervenire non licet. Etſi enim maxime commendatos habeam eos, qui, cum poſſint, ſupra artem addiderint ea, quæ ad artis ornamentum faciunt, ſua tamen laus relinquitur ijs, qui intra medicinæ limites laudabiliter verſantur.

Alter quorundam medicorum error.

DE ORIGINE ET PROGRESſu artis medicæ.

CAPUT. VI.

CONcepit medicinam neceſſitas, ſolertia peperit, aluit ratio, promovit uſus, longaq; demum experientia conſummavit, atq; abſolutam perfecit. Ex quibus quidam ſibi perſuadent, neq; prius fuiſſe medicos, quam ægros, neq; hos unquam ſine illis: Triaq; fuiſſe principia medicinæ, unum, inventionis neceſſitatem & experientiam: alterum, conſtitutionis, hoc eſt, redigendi in artis formã, experientiam ſimul ac rationem: tertiũ interpretationis vel traditionis rationem ipſam, & naturalem ſpeculationẽ. De tempore autem, quo primum medicina incepit, non adeo conſtat: dicunt Apim Ægyptium indigenam, priusquam Io veniret in Ægyptum, artem medicam inveniſſe. Clemens Alexandrinus eam poſtea Æſculapium amplificãſſe ſcribit, & Podalirio ac Machaoni tradidiſſe: quoad tandem poſtea magnus Hipp. eam præceptis comprehendit: quæ vero ab Hipp. totius medicinæ parẽte inventa ſunt, qui utiq; unus inſtar mille auctorum nobis eſſe debet, ea poſtea Galenus, ipſius artis vaſtiſſimum pelagus, explanationibus ſuis illuſtravit, ita ut nulla ſit medicinæ pars, quam ille non invenerit; nulla quam hic ad ſummum non excoluerit. Itaq; primus Dux & auſpex totius medicinæ ac philoſophiæ græcæ Hip. exſtitit. Chronologiæ ſcriptores præſertimq; Euſebius affirmant, natum fuiſſe Hipp. anno mundi 4760, quo tempore Eſras propheta viguit, natus in inſulã Coo inprimis clarã: vixit annos 104: duos habuit filios Theſſalum & Draconem quorum,

Principia medicinæ tria.

Initium medicinæ quando.

Hip. quando vixerit.

rum uterq; filium nomine Hipp. ſuſcepit, ut Galenus ſæpius refert. Tam igitur Theſſalus quam uterq; nepos Hippocrates in arte medicâ multa ſcripſerunt, quæ in operibus magni Hippocrat. inſerta circumferuntur: eum tamen, de quo loquimur, nemo ante Galenum exactè intellexit: ejusque libri, tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrantur, idemque per univerſa Galeni opera varijs nominibus commendatur. Verax enim ab ipſo appellatur, probus, magnus, omnium philoſophorum & medicorum princeps, Magiſter, diligentiſſimus, nobiliſſimus, dux & auctor omnium diſciplinarum, maxime admirandus, divinus, ſenex venerandus, vir qui nihil fruſtra unquam dixit aut ſcripſit. Plato vero in Protagora illum vocat Æſculapij ſucceſſorem: Macrobius in ſomnio Scipiõ. Virũ appellat, qui tàm fallere quàm falli neſciverit. Hujus ergo opera præcipua ſuis commentariis illuſtravit Galenus, vir etiam in minimis diligentiſſimus, ac nunquam ſatis pro dignitate commendatus. Siquidem verò neceſſitas medicinam invenit, morbos prius quam medicinam fuiſſe crediderim, quod innuere Plato videtur, dum Promethea fabulatur ob ingruentia malorum noſtrorum agmina, ut alicunde rebus humanis opem ferret, furtim de cœlo unà cum igne ſubductas artes detuliſſe. Non enim aſſentior Horatio dicenti:

Hipp. Encomia.

Galeni laudes.

Morbi an medicina prius fuerint.

Poſt ignem atherea domo ſubductum
Macies & nova febrium terris incubuit cohors.

Illud tamen exiſtimant, medicinam experientiâ prius inventam, tum deindè ratione ſuffultam, poſtquam primum in lucem prodire cœpit, doctiſſimorum virorum autoritate teſtatam coaluiſſe. Alij (quibus libẽtius ſubſcribo) tantæ excellentiæ facultatem altiorem originem habuiſſe putant, & fieri non potuiſſe, ut homo abditas ſtirpium naturas, facultatesq; inveſtigare potuerit, niſi prius à maximo omnium rerum opifice fuiſſet edoctus. Quod Hipp. in libro *de veteri medicina* teſtatur, dicens: *primi inventores indicaverunt artem dignam, quæ Deo adſcriberetur, quemadmodum etiam eſt receptum.* Idem ſentire videtur Galenus *in medica introductione*, cum artium inventiones vel Deorum filijs, vel quibusdam eorum propinquis, quibus dij primum artes omnes communicârunt, acceptas refert. Rejectis igitur Ethnicorum figmentis, omnium creatorem Deum optimum maximum plantarum & cæterarum rerum omnium facultates Adæ primo protoplaſto indicaſſe, eiq; illarum cognitionem infudiſſe arbitramur, quod conſonat cum verbis *ECCLE-*

Medicina initium antiquiſſimũ

Digitized by Google

Salomonis liber naturalium.

Græci medicinã unde hauſerunt.

Ars medica quomodo inventa.

SIASTICI dicentis: ***medicinam à Deo eſſe creatam, quam vir prudens non aborrebit.*** Ita ferunt Salomonem edidiſſe naturalium diſputationum opus ingens, admirabili rerum omnium ſapientia refertum, cuius fit mẽtio libro tertio Regum ſub his verbis: ***Et diſputavit Salomon ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano uſq; ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus***, hoc eſt, ut expoſitores ibi declarant, de vi, naturis, & moribus illorum, & quo tempore naſcantur, & cur non omnia in unaquâq; terrâ proveniant, quod opus in Hieroſolymitano incendio, facto per Nabuſaradan conflagravit. Georgius Cedrenus in compendio hiſtor. narrat, Græcos Iatroſophiſtas ſuffuratos eſſe materiam & argumenta artis medicæ ex hoc opere, quod quidem Ezechias Rex de medio ſubſtulit, offenſus, ut idem auctor ſcribit, negligentiâ populi Hebræi, qui morborum remedia ex his ſcriptis petens, ſanationem eorum à Deo flagitare negligeret. Fuit itaque ab Adamo propagata rei medicæ noticia, ac ſubinde hominum induſtriâ adaucta, quod cũ poſtea animadvertiſſent ſapientes, noviſſentq; maximam hujus facultatis præſtantiam, & utilitatem, noſcentes herbarum vires morborumque naturas, diſquirere rationes cœperunt, quænam earum quibus morbis, ſumptâ à naturâ uniuscujusq; indicatione, prodeſſe poſſent, & ad cætera, de quibus ars medica tractat, inveſtiganda ſtudium applicuerunt. Quo tempore accenſo inflammatoq; animo ad gloriam, ut multiplex erat generoſiſſimæ cujusq; ac ſapientiſſimæ mentis impetus & intentio, utq; varia erant ea, quorum ſtudio capiebantur, quamplurima diſciplinarum genera perpolita ſunt, partim ſtudio cognoſcendi, ut naturalis philoſophia, quæ ortus cauſasq; operum naturæ ſcrutatur: & Theologia, quæ animi ſublimioris impulſu in res divinas acerrimè intenta eſt, ac illas ſempiternas, immutabiles, ſeparatas ſubſtantias, nulloque ſenſu comprehenſas, quoad fert humana fragilitas, contemplatur: mathematica illuſtris illa quidem & demonſtrandi ſubtilitate certiſſima, partim neceſſitate, ut medica facultas ad propulſandos infeſtiſſimos humani generis hoſtes morbos, & adverſam valetudinem, vitamq; incolumem & ab omni ærumna, languoreq; liberam quàm diutiſſimè tranſigendam.

Brutorum quorundã naturalis inſtinctus.

Cæterùm rationis vices ſubit in quibusdam brutis animalibus ipſe naturalis inſtinctus & ſuperior natura, quâ plantas noxias effugiunt, ſalutaribus utuntur, interdum ad ſuos etiam morbos curandos, ita ut in quadam medendi parte nobis etiam pro magiſtris fuerint. Nam cervi Dictam

dctamnum herbam, extrahendis ſagittis utilem, quod vulnerati eius paſtu telum exegiſſent, ſagittarum vulneribus mederi oſtenderunt, ubi ferrum vulneri inhæſerit. Iidem percuſſi à phalangio, quod eſt araneæ genus venenoſum, cancro ſedendo ſibi medentur: Teſtudo Cunilam herbam demonſtravit: muſtela, rutam: accipiter, hyeratium: columba, verbenacam: ciconia, origanum: hirudines chelidonium viſui ſaluberrimam eſſe, vexatis pullorum oculis illa medentes: & alia deniq; animalia innumeras herbas invenêre, ut ſimplicium ſcriptores affirmant: nec ſolum herbas, ſed alia inſuper auxilia medica. Nam Hippopotamus aſſidua ſatietate obœſus primo vere exit in littus, & venam ſibi in crure acutarum arundinum ictu ſecat, atq; cum ſatis ſanguinis effluxit, corpusq; onere levatum ſentit, ulcus obturat luto: & purgationem mille modis ſibi moliuntur bruta. Ibis volucris in Ægypto roſtro ſibi infundit cliſterem ex aqua marina, & pleraq; alia animalia herbas nobis oſtenderunt, ut apud Plinium videre eſt. *lib. 8. c. 27.*

MEDICINA AGRICULTURÆ COMparatur & qua ratione ſit excolenda diſſeritur.

CAPUT. VII.

AD medicum conſummatum futurum ſpectat, non ſolum noſcere, unde orta ſit medicina, verum etiam ſtudia ſua ita diſponere, ut ad perfectionem artis poſſit pervenire. Et verò ille idem, quem græcæ medicinæ parentem eſſe diximus, Hippocrates, comparat medicinam agriculturæ, & ejus quidem ſententiâ natura noſtra velut ager eſt, dogmata præceptorum veluti ſemina: inſtitutio à puero convenit cum tempore opportuno ad ſemina in arvum mandanda: locus in quo diſciplina contingit ſeu academia & medicorum ſcholæ ſint veluti ambiens aer, à quo è terrâ naſcentibus nutrimentum accedit: induſtria autem cultura eſt: tempus hæc omnia corroborat, ut perfectè enutriantur. Ita qui medicinam rectè ſibi comparare voluerit, his ducibus voti ſui compotem fieri oportet, naturâ, doctrinâ, loco ſtudijs apto, inſtitutione à puero, induſtriâ, & tempore. Natura quidem, quia, ut Platonis fert ſententia, ſunt omnium diſciplinarum

lib. de lege.

Medicina quibus ducib. comparetur.

Natura.

Digitized by Google

narum ſeminaria ex naturæ fontibus profecta, nihilq; ſummum aut perfectum in diſciplinis uſquam apparet, quod non illam ducem ſit ſecutũ, jure igitur optimo naturam propitiam & ad diſciplinas capeſſendas propenſam in futuro medico requirimus, cujus naturæ dotibus qui fuerit deſtitutus, ad hujus artis ſummum faſtigium ſibi aditum eſſe præcluſum intelligat. Natura igitur repugnãte irrita omnia fiunt: ſi vero natura ad optima viam demonſtret, artis doctrina facilè contingit. Per naturam intelligo hoc in loco naturalem quandam inclinationẽ, quâ quis hanc, alius illam artẽ promptius libentiusq; ſequitur. Sunt enim nobis ingenita omnium cognitionum ſemina quædã, quæ pro varia corporis conſtitutione aliquando perfectiora, & puriora, nonnunquam impuriora & min° perfecta apparent, minuuntur, hebetantur, interdũ etiã aboleri conſpiciuntur. Oportet igitur propẽſione illâ præditum eſſe, qui artem medicã perfectè aſſequi voluerit. Quãvis enim repugnante naturâ, labore ſummo & multis vigilijs, aliqua conſequi liceat, ſummũ tamen culmen nunquam attingitur: quia ſummos natura artifices, mediocres ars efficit. Porro hujus rei igniculi ſe detegunt, quaſi quæ elucere videntur, ea ætate, quæ voluntatẽ nondum repugnantem habet, & ſuæ naturæ ductum prorſus ſequitur; non enim parũ refert, ſi quis ſeipſum, ſuaſq; propenſiones agnoſcat, & quo magis natura, animo, & ingenio propenſum ſeſe animadvertit, eo ſtudia ſua convertat. Notũ eſt enim, quã felicitur provenire ſoleãt, quantũq; ſemper frugis afferãt, qcunq; terrę quaſi volẽti mãdãtur, ſi diligens præterea cult° accedat. Intellexit hoc poeta cũ cecinit.

Natura quid.

Summos naturæ artifices, mediocres ars efficit.

Nec verò terra ferre omnes omnia poſſunt,
Fluminibus ſalices, craſſiſq; paludibus alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus orni,
Littora myrtetis lætiſſima denique apertos
Bacchus amat colles: aquilonem & frigora taxi:

Et paulo antè, cùm dixerat:

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum, viroſaq; pontus
Caſtorea.

Et has leges impoſuit natura & locis & hominibus, ut inficiari nemo poſſit, alium juriſprudentiæ, alium medicinæ, alios alijs artibus magis idoneos videri. Hinc eſt, quod Ariſtoteles dixerit, homines libentius ea ſtudia atq; artes aggredi, licet viliores, ad quas nati atq; apti ſunt, quod ſperent ſeſe in illis magis excellere poſſe, cujus excellentię à naturâ ama-

turà amatores ſumus omnes,& propterea,*naturam expellas furca licet, ipſa recurret.* Quidam aſtris hanc propenſionem adſcribunt, ut pro eorum varietate varia nobis ſtudia inſinuentur,inter quos Averroes& Alexandrinus: alij ad corporis temperaturam haſce omnes animorum noſtrorum vires & propenſiones referunt, è quorum numero Mercurialis. Utriq; circa decimum quartum ætatis annum hanc in nobis inclinationem eſſloreſcere affirmant. Hi,quia jam pueri intellectus, quem peragendarum rerum ducem obtinemus,ab humiditate primæ ætatis magis expeditus ſit: illi,quia poſt Lunam, quæ primam ætatem gubernat, humore ſuffuſam,Mercurius puerum excipiat,cui litterarum artiumque ſtudia ingenerat.

4. de Med.

lib. de form. med. ſtud.

Intelligo etiam per naturam ipſius corporis & animi vegetam conſtitutionem,auſpicatò enim medicinæ operam navabit,qui corpore vegeto & ſano fuerit,& ad perferendos artis immenſos labores aptus, nil enim laude dignum ſine continuis laboribus; laborare autem nemo poteſt,niſi ſano&valido corpore. Sed enim in corpore imbecillo nō poterit eſſe ſenſuum acumen,quod omnis perfectę cognitionis initium eſt: idcirco in futuro medico quàm fieri poteſt acutiſſimum eſſe naturâ oportet. Requiritur enim oculorum acies,ut primo ſtatim occurſu qualis nam ſit ægroti vultus,facilè dijudicet medicus,& ex cutis colore atq; urinæ,ſubjecti ſucci capiat teſtimonium: eâdemq; perſpicacitate ulcera & alios affectus introſpiciat in penitioribus corporis partibus,auribus, palato,naribus,ad quas partes hebetior oculorum acies pervenire minimè poſſet. Maxima eſt etiam vis odoratus,ut quo deprehendas, ſitnè vitiata corporis & humorum temperies, an inculpata & corruptionis expers: ſic virulentus elephanticorum odor,quem toto corpore exſpirant,nobis maximum corruptelæ argumentum præbet,& fœtida axillarum & oris exhalatio propenſam ad putredinem corporis totius aut vētriculi conſtitutionem demonſtrat,atq; idipſum in ſudoribus,urina,pure,ſputis,cernere licet. Guſtus etiam exactus requiritur, quia ad illū tū alimentorum,tùm medicamentorum judicium ex ſaporum varietate ſit referendum, in quibus potiſſima artis medicæ materia verſatur. Tactus inſuper ſit perfectus,quo varias hominum temperaturas exploret, tum multiplices receſſus,& pulſuū differentias,arteriarumq; motus& rhyhtmos varios. Auditus inprimis expetitur promptiſſimus, ut ſine quo neque præceptoris dogmata ſtudioſus percipere, nec medicus jam factus

Natura altera acceptio.

Senſuum acumen in medico neceſſarium.

factus ægroti & aſſiſtentium relationes, à quibus præcipuè ſumitur faciendorum indicatio. Utranque naturæ acceptionem veteres conſideràſſe exiſtimo, qui non omnes indifferenter ad medicinam admittebant, ſed quorum natura apta videbatur.

Doctrina qualis eſſe debeat.

Per doctrinam intelligo dogmata præceptorum, & optima illa eſt, quæ viva voce hauritur: habet enim aliquid latentis energiæ, nec eſt compendioſior via diſcendi, quàm audire loquentes profeſſores & artifices. Nemo enim tantum una hora legere poteſt, quantum alius dicere, & quæ multo tempore conjecit, exiguo ſpacio tibi communicat. Itaque eximios artis medicæ profeſſores ſequatur, illorumque diſciplinæ ſe totum committat futurus medicus, ex quibus etiam præcipuos ſibi eligat & familiares, eruditiſſimos quosq; viros, ac longo rerum uſu expertos, quos ſibi benevolos omni ratione efficiat, eosq; ſequatur, diligat, ac veneretur, quò facilius non ſolum in publicis auditorijs ab ipſis inſtituatur, verumetiam ſciſcitari, & cum illis converſari, ac quæcunque arcana vel etiam recondita habent quodammodo extorquere poſſint. Et nihil eſt, quod æquè ad comparandum bonum habitum, & ſtudia confirmanda ac locupletanda conferat; atque aſſidua cum ſapientiſſimis præceptoribus & amicis doctis converſatio: ut econverſo, ſicuti à bonis bona diſcuntur, ita ex malorum conſuetudine præſens bonitas amittitur. Et quod de præceptoribus dixi, idipſum de libris ſeu auctoribus legendis intelligendum eſt: non enim quilibet ſunt amplectendi ſine delectu, ſed qui per multa ſecula à viris doctis probatiſſimi fuerunt. Quoniam ſi ſecus fiat, duo graviſſima incommoda ſequuntur, primum quod doctrina nec firma, nec probata animis inducitur. alterum quod quidquid temporis conſumitur in hiſce legendis, præſtaret in optimorum lectione inſumere, qui autem illi ſint, inferius docebitur. Per locum aptum Academiæ ſunt intelligendæ, quæ ad excolendas artes fuerunt inſtitutæ; ideo in celebriori aliqua academia, ubi potiſſimum medicinæ facultas tum temporis floreat, prima jaciat fundamenta medicinæ per juſtum temporis ſpatium, quæ poſtea per univerſum vitæ ſpatium jugiter excolat. Nec verò ſatis eſt præceptores audire, ſed ea, quæ ab ipſis perceperunt, domi repetere, & diligentiſſimè relegere, quæ ſcriptis concepta fuerunt, ut iteratione firmius infigantur, familiariaque & quaſi domeſtica fiant. Ut enim cibus ingeſtus niſi in ventriculo, hepateq;, & venis probè concoquatur, partibus corporis aſſimilari nequit, ſic lectio non repetita

Præceptores quales.

Libri quinam utiles.

Academia.

Repetitiones.

Simile.

tita parum utilitatis affert. Eſt præterea alius repetendi modus non exigui emolumenti, & qui ad ingenium acuendum memoriamque confirmandam plurimum conducit, ſi videlicet cum alijs ſtudioſis audita conferantur: hæc enim repetitio quaſi altera enarratio, &, ut ita dicam, ruminatio eſt: & confert mutua hæc collatio, ut ſi quid excidit uni, alter ſubjiciat, atq; in memoriam revocet. Quisquis etiam plura obſervaſſe videri ſtudebit & æmulatio hæc attentionem audiendi ſuſcitabit.

Per inſtitutionem à puero ætatem convenientem innuit Hipp. & certè à pueritia medicæ artis ſtudia inchoaſſe, quicunq; in ea præclari & magni viri evaſerunt, certum eſt: ideo Soranus Epheſius: *ætate ſit*, inquit, *illa quidem, ex qua maximè è parvis homines tranſeunt ad magnitudinem, quod eſt in annos undecim, hæc enim ætas eſt apta ad ſumendam ſanctam artem medicinæ.* In adoleſcentia verò præcipuos faciat progreſſus, quandoquidem ſi ulla ars inter humanas habetur, quam tempeſtivè addiſcere, & aſſidue exercere oporteat, una utiq; medicina eſt, cui vel mediocriter addiſcendæ vix totius humanæ vitæ curſum ſufficere poſſe prodidit Hipp. & teſtatur experientia. Per Induſtriam ſtudia intelligo, quib⁹ natura ipſa excolatur, quæ parum prodcrit, niſi laboribus ſit exculta, & frequenti meditatione excitata: nec ſolum laborandum eſt in eo, ut ſtudeamus, ſed ut ordine minimè præpoſtero ſtudeamus. Ad induſtriam etiam pertinet ut præter aſſiduam converſationem cum viris doctis & probatiſſimis auctoribus, vere & æſtate in hortos prodeat, in quibus opera naturæ conſpiciat, nunc etiam in campos, nunc in ſylvas, quæ ſponte varia plantarum genera producunt, interdum etiam in montes: *non* enim (ut paulò antea dicebamus) *omnis fert omnia tellus*, ſed alia alijs in locis feliciùs proveniunt, quorum non ſolum appellationes, ſed ocularis inſpectio medico eſt apprimè neceſſaria. Crebrò itaque plantas videat & omnium ætatum ideas agnoſcat, quaſdam decerpat, & domum ferat ac reponat, ut hyberno etiam tempore easdem inſpiciat, & quod natura tunc temporis denegat, induſtriâ compenſet. Tantus hujus rei & publicæ utilitatis amor Galeno & præclaris alijs viris fuit ingenitus, ut nullo laboris metu, nullis periculis deterriti, in longiſſimas regiones navigârint, eo duntaxat animo, ut quæ legitima & ſyncera, quævè ſpuria & adulterata eſſent medicamenta, certò dignoſcerent, & eas notas ſcriptis mandarent. Neq; etiam parum facit ad rem hanc crebrò ingredi pharmacopolia, videreque ſimplicia & compoſita, quæ apud medicos hoc

Ætas.

Induſtria.

Plantæ à pueritia medicus cognoſcat.

Pharmacopolia med. ingrediatur.

Digitized by Google

tempore in uſu ſint, qua anni ſtatione colligantur, quomodo præparentur, ſerventur, reponantur, & quo pacto alia atque alia ad hominum ſalutem componantur. Quamdiu autem ſtudijs ſit incumbendum, nulla certa præſcribi poteſt ratio, quia quidam ſunt qui ob corporis imbecillitatem labores ſtudiorum diu continuare nequeunt: alij qui tametſi totâ vitâ libris invigilent, nullum inde damnum percipiunt. Idcirco quiſque metiatur proprias vires, ſicquè animum & corpus exerceat, ut neutrum alterum offendat, ſunt enim remiſſiones in ſtudijs neceſſariæ, quæ alacriorem animum ingeniumque vividius reddant, ac niſi adhibeantur, ipſius vires promptitudoque judicij flacceſcit, nam arcus,

Studiis quandiu incumbendum.

Remiſſiones Med. quales.

Quem nunquam ceſſes tendere lentus erit.

Hæc tamen remiſſio non adeo ſit diuturna, ut in deſidiam convertatur. Matutinum vero ſtudium potiſſimum utile eſt, quoniam corpore vacuo ſpiritus magis liberi pellucidioresque ſunt, quibus ingenij animorumque operationes perficiuntur. Eſt etiam hora veſpertina non inutilis, ante cœnam videlicet; quando ventriculus cibis non gravatur, quia ventriculo pleno ciborum vaporibus, non ſolum animus torpet, & caligine quadam obducitur, vaporeſque ipſi ingenia hebetant, tardant, & judicij puritatem corrumpunt: verum etiam valetudini ſtudia nocent. Oportet autem non ſolum in adoleſcentiâ & juventute, verumetiam ad extremum uſque ſenium medicinæ incumbere, cum vix tota vita ſufficiat ad artem hanc perfectè diſcendam: & ipſi contingat, quod reliquis artibus, quæ niſi aſſiduè excolantur, ut ſegetes, marceſcunt. Itaque perijſſe putandum eſt, quidquid temporis conſumitur in alijs ſtudijs, ni ad ſtudia medicinæ dirigantur. Hippocrat. in Epiſtola ad Democritum de ſe affirmat, ad finem medicinæ non perveniſſe, etiamſi jam ſenex eſſet. Baldus interrogatus in quâdam cauſâ, conſulere non poſſe reſpondit, quia per triduum libros non viderat. Petrus Bravus præceptor meus, qui luculentiſſimis commentarijs Hippocrat. prognoſtica illuſtravit, & cujus pleraque alia doctiſſima extant ſcripta in arte medica, poſteaquam ultra viginti annos profeſſor fuiſſet in Salmanticenſi Academiâ, cum ſemel aliquid mihi referret, quod ei cum eſſet ſtudioſus acciderat, verbum corrigens (inquit) *cum auditor eſſem, nam ſtudioſus adhuc ſum*; & merito quidem: non enim

Tempus diei ſtudiis aptum.

Medicinæ per totam vitam incumbendum.

Hipp. Baldi, & Bravi egregia dicta.

Digitized by Google

enim ut, qui ſubſiſtit in via, minus proficit, ſed ut navis retroacta æſtu, ita intermiſſa ſtudia relabuntur.

DE TRIPLICI DOCTRINArum genere.

CAPVT. VIII.

Conveniunt medico, ut ſuperiori capite copioſè diſſeruimus, natura perſpicax, preceptores docti, ingenua educatio, labor continuus, veritatis amor ardētiſſimus, & ordo in ſtudijs. Ut enim melior cōcoctio fit circa cibos ordinatè ingeſtos: ſic ordinatâ doctrinâ annutrita medicina facultates ſuas eximias perfectius exhibet, minimeq; extraneis humoribus infectas. Hunc ordinē Græci methodum vocant, & nil magis videas à quibusdam intonari, cum tamen nihil minus ſciant. Ad confuſionem tamen vitandam method⁹ ſeu ordo ſervandus omnino eſt: Cicero viam appellat artem & rationem diſcendi: Galenus ordinatam doctrinam: & ab Euſtathio definitur habit⁹, qui cum ratione progreditur. Triplex autem eſt methodus ſeu ordinata doctrina. Quemadmodum enim in reliquis naturę operibus unum eſt principium, & unus finis: ſic in artibus, quæ naturam, quoad fieri poteſt, imitantur. Igitur ſi propoſito fine per reſolutionem fit proceſſus uſq; ad primum principium, ut ab homine ad ſubſtantiam, & in medicina à rebus præter naturam, morbo nimirum, cauſâ & ſymptomate, ad res naturales & non naturales, dicitur methodus reſolutiva: ſi vero à primo principio idem fiat proceſſus uſq; ad finem, methodo id fiet compoſitiva, ut cum à ſubſtantiâ progredimur ad hominem & à rebus naturalibus, ut ab elementis, temperamentis, humoribus, & partibus &c. ad res non naturales, & præter naturam, atq; ad ipſam curationem morborum. Quod ſi definitione totum comprehendatur, & per ipſas partes explicetur, method⁹ inſurgit definitiva. Neq; utiq; audiēdi ſunt, qui quartam methodū conſtituūnt. quâ per diviſionem totius ad ultimas ſpecies deſcenditur in quibus Plato quieſcendum eſſe dicebat, non, inquam, ſunt audiendi, quia dum totum dividitur, & per ſuas partes diviſas traditur, methodus neceſſario ſequitur reſolutiva, aut compoſitiva. Porrò ut reſolutiva ſuperat dignitate, quia exorditur à fine, & cauſa finalis eſt maximè principalis; definitiva compendio & brevitate ad memorandum valde accommodata: ſic compoſitiva reliquas antecellit facili-

Simile.

Methodus quid.

art. med. c. 1. t. ethic. c. 1.

Methodus reſolutiva.

Compoſitiva methodus.

Definitiva

Praſtantior methodus qua ſit.

Digitized by Google

tate & ordine, ita fit, ut docendarum artium modum, viam, & rationem facilius componendo aſſequamur ſemper. Et eſt diverſum invenire artem, conſtituere & docere. Invenitur quidem, reſoluendo magis, nam finis notio, inventionis initium eſt: conſtituitur componendo: docetur utroq; modo; commodius tamen & aptius eorum, quæ per reſolutionem inventa ſunt, compoſitione. Sed in definitione quoq; ordo explicatione partium, quibus definiti conſtituitur natura inter ſe cohærentium, reperitur, quod quidem præſtat, non ſolum ut tradi docerique artes hàc viâ queant, ſed ut rerum diſtributione quâdam ſuo loco diſpoſitarum facilè repręſentetur recordatio ad promptè de his memorandum. Quo fit, ut unicuiq; methodo dos ſua quędam inſit, reſolutioni, quæ à notioribus incipit, inventio: compoſitioni, conſtitutio, ut quæ à facilioribus initiũ ſumit: definitioni, memorandi facilitas.

QUINAM AUCTORES SINT EVOLVENDI, & qualis debeat eſſe medici bibliotheca.

CAPUT. IX.

SIſtat ſe jam oportet in artis medicæ limine futurus medicus, & divino numine implorato ſi ad ſummum medicinæ faſtigium pervenire contendit, non quoslibet ſcriptores amplectatur, ſed (uti dixim⁹) probatiſſimos: Ii verò illi ſunt, quos longa temporum ſeries approbavit, Græcos, Latinos, atq; Arabes: quorum Græci totius medicinæ, quæ apud nos extat, parentes cenſentur, quippè qui illam invenerunt, provexerunt, ornârunt ac mirũ in modum locupletârunt: Hipp dico. Platon. Ariſtot. Theopraſt. Dioſc Galen. Aret. Oribaſiũ. Alexand. Trallan Paul. atq; Aetium, & ex recẽtioribus, Actuarium. Ex quibus quidem Hipp. utatur, quaſi inventore & anteſignano · Galeno vero non ſolum ut propagatore & explanâtore certiſſimo, verum etiam placidiſſimo ſemper ad medicinæ penetralia introductore. Eſt enim Hipp. magnus profectò atq; adeo maximus medicinæ parens, & in quo artificij totius ſemina inſũt: ſed cujus animi ſenſa, præclara illa quidem, verũ conciſa nimis brevitate, at ætate illâ fortaſſe uſitatâ litteris tradita fuerũt; huj⁹ itaq; magni viri aphoriſmi, prognoſtica, prorhetica, & Epidemiorum libri, ac de morbis acutis nõ ſolũ perlegendi ſæpius

Græci.

Hippocrates.

Digitized by Google

ſæpius ſunt, ſed memoriæ commendandi. Galenus vero is eſt quem nocturnâ diurnâque manu verſare oportet, ejusque opera accurate evolvere, ex quibus juſtam concipere medicinæ notitiam poſſis. Nec ſemel legiſſe ſat eſt, ſunt enim libri, quorum lectio non ſolum iteranda, ſed ſæpius repetenda erit: ac tum demum verſari quis in eo poterit, non tamquam peregrinus, ſed tanquam familiaris, ſi, quantum dabitur ad medicinæ ſtudia temporis, totum id propemodum in hujus autoris creberrimam lectionem collocaverit. Eſt enim hic inſtar omnium, ex cujus operibus exſurgit abſolutiſſima Idea quædam, quâ quis non tam Galenicus, quam medicus bonus dici poſſit: is enim primum ſectarum ſui temporis rationem, & quæ cui præponi deberet, in clariſſimâ luce poſuit. Deinde etiam Anatomen, ac ſanitatis, & quæ ad eam pertinent explicatiſſimam formam, morborumq; omnium differentias, & ex eodem Hipp. deductam methodum, quæ nulla antea fuerat: ſignorum inſuper naturam, & exactam ſanitatis tuendæ, ejusdemq; recuperandæ rationem, ac demum numeroſam inſtrumentorum medicæq; materiæ ſupellectilem. Sic ut, qui in ipſo diligenter verſatus fuerit, neceſſe non habeat, aliena inquirere: & ſi rectè loqui velimus, Galenum tantùm atq; Hipp. medicinæ auctores debeamus appellare. Nam poſt ipſos quicunque ſcripſerunt, viri certe non contemnendi, inventam ab ipſis artem excoluerunt.

Galenus. *Hipp. & Galenus præcipui medicinæ auctores.*

Ex latinis medicinæ ſcriptoribus commendantur inprimis Cornelius Celſus, Scribonius Largus, Plinius Secundus, Quintus Serenus, Cælius Aurelianus, Theodorus Priſcianus, inter quos Celſus primum ſibi vendicat locum, propter ſingularem & ſuccinctam doctrinam, quæ ipſi Latini Hippocratis nomen dedit. Arabum inſuper ſcriptorum uſus eſt valde neceſſarius, Avicennæ inprimis, Averrois, Rhazæ, Abenzoaris, Meſuæ, & Serapionis, qui potiſſimum commendandi ſunt, tùm ab optimâ doctrinâ, tùm à rebus multis, atq; optimis medicamentis, quorum nobis auctores extiterunt. Eſt igitur præpoſterum judicium eorum, qui Arabes & inde ductas familias tenebris opprimere conantur: quamvis enim tempore iniquo floruerunt, quo deſertæ ac ſepultæ meliores diſciplinæ penitus jacebant, digna tamen luce æternâque memoriâ nobis reliquerunt. Non igitur ita unius Galeni auctoritati ſimus addicti, ut in ejus verba jurare videamur, quod faciunt ij, qui omnes Arabes ac barbaros contemnunt: ſiquidem veris philoſophis ac medicis ea liber-

Latini. *Arabes.* *Error quorundam.*

Digitized by Google

tas eſſe debeat, ut apum more optima quæq; eligant. Perinde enim eſt, quis dixerit, ſive Græcus, ſive Arabs, ſive Hebræus, ſive Latinus fuerit, modo verum dixerit: non enim religionem docent, ſed medicinam. Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas; & ex illaudato ſolo laudatæ fruges ſæpenumero proveniunt. Nec deſunt viri præſtantes, qui ordinem in ſcribendo, quem Galenum nullum ſervare conſtat, Averroi tribuant, & Avicennæ, quorum incultam dictionem animadvertens Fernelius, ſuperiori ſeculo eorum nomina obſcurare decrevit, edito egregio atque eleganti opere, quo univerſam fere medicinam complexus eſt, abſolute quidem, ſi de Criſibus & diebus decretoriis tractationes ex Galeno aut aliunde ſuppleas: ac morborum curationes ex Razà vel Avicenna, & ſi novas aliquot opiniones, quas interdum inſerit, diligenter examines. Librum autem ſcripſiſſe videtur, ſperans fore, ut aliquando in Academiis loco Avicennæ enarraretur, quod tandem poſt mortem in Germania obtinuit, nam

Raza & Avicenna opera.
Fernelius.

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

Quoniam verò autorum medicinæ præſertimq; Galeni plurima & varia ſcripta extant, delectus quidam inter ea agendus eſt. Sunt enim eorum, qui multa ſcripſerunt, volumina inſtar latiſſimi campi, ubi ferè ſemper cum tritico lolium, aliæque inutiles herbæ naſcuntur. Ideoque qui citra temporis jacturam ſolidam doctrinam acquirere vult, aſſiduè evoluat oportet libellum *de conſtitutione artis medica*, atq; *ipſam artem medicinalem*, in quorum altero ordine reſolutivo, in altero vero definitivo tota medicinæ facultas breviter comprehenditur. Deinde libros *de uſu partium corporis humani*, in quibus ſanè & ingenium & judicii acrimonia, doctrinæque & prudentiæ magnitudo cum maximà medicorum utilitate apertiſſime elucent. His accedat librorum *de ſanitate tuenda* aſſidua lectio, potiſſimùm verò evolvendi ſæpius ſunt libri *de differentiis & cauſis morborum ac Symptomatum*, ut qui diſcendæ faciendæque medicinæ philoſophià jam inſtructis viam ſternant latiſſimam, principiaque ſtatuant, quibus ad perfectionem artis pervenire queat, quia totum medicinæ negotium adverſus morbos eſt atque ſymptomata, idcirco libri *de differentiis febrium*, familiares etiam ſint oportet, & maximè libri *de locis affectis*, qui à Galeno jam ætate provecto conſcripti, jure optimo tùm doctrinæ præſtantià, tùm præſtantiſſimarum rerum explicatione magnifieri debent, ut qui appoſitiſ-

Delectus librorum Galeni.
Qui libri Galeni potiſſ. evolvendi.

ſimè

ſimè internorum affectuum, quod difficillimum eſt, & ſedes, & veram originem aperiant. Jam vero *methodus medendi* ſeu Therapeutica tanti eſt omnibus artem diſcere atque facere aggredientibus, ut ſine ipſa vix quicquam boni in medicinâ fieri poſſit: ſive enim omnium morborum notitiam, ſive certam curandi rationem, ſive utilem præſidiorum copiam requiris, ab hiſce methodi libris comparabis, quos Galenus, etiam jam ſenior factus, maturè & ordine in lucem edidit: nec inutiliter leguntur *libri duo ad Glauconem*, in quorum altero de febribus, altero de tumoribus præter naturam eleganter diſſeritur. Huc pertinent libri *de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, tum etiam *adverſus Eraſiſtratum, & Eraſiſtrateos*, quibus pulcherrima inſunt medica præcepta. Subinde libri *de Criſibus*, ex quibus & morborum tempora, & Criſium differentias, earundemq; ſigna cognoſces, quæ ad prognoſticum (quod medicum admirandū inprimis facit) perutilia ſunt: Ac tandem libri *de ſimplicium medicamentorum facultatibus*, qui perinde medico ſunt neceſſarii, atque ignis & aqua vitæ humanæ, & reliquis artificibus inſtrumenta, quæ hi libri ſingulari fœcunditate medicis ſuppeditant. His finitimi ſunt libri *de medicamentorum facultatibus ſecundum locos & ſecundum genera*, in quibus de pluribus morbis breviter diſquiritur, & conficiendorum medicamentorum regulæ ſingulari diligentiâ traduntur. Vt enim Galenus in librum Hipp. *de alimento* auctor eſt, in omni arte primum oportet eſſe artificem, deinde opus aggrediendum eſt: artificem autem eſſe in eo poſitū eſt, ut primùm & maximè totius materiæ, quæ arti ſubjecta ſit, ſimplices facultates cognoſcas: mox verò ipſarum mixtiones, quot qualesque ſint, Sed enim *commentaria* ipſius Galeni *in aphoriſmos Hipp. prognoſtica, prorhetica, epidemios* & in libros *de victus ratione in morbis acutis* (quæ omnia uno ſeorſim volumine edita libenter viderem) ſingulari ſedulitate ſunt evoluenda, ut in quibus inexhauſtus quidam medicinæ theſaurus ſit reconditus. Atque hi ſunt, reliquis non neglectis, Galeni libri, in quibus medicus ſe crebrò exerceat oportet, & ex quibus incomparabilem utilitatem & magni medici nomen reportabit; tribus breviter animadverſis: *primum* (quod ſupra innuimus) ne exiſtimet quiſpiam, Galenum nunquam falli, & propterea in ipſius verbis quaſi oraculis jurandum eſſe, ſi præſertim à poſteriore aliquo auctore ſolidis rationibus id elevatur, de quo agitur. *Animadverſio.*

Alterum

tas eſſe debeat,ut apum more optima quæq; eligant. Perinde enim eſt, quis dixerit,ſive Græcus,ſive Arabs, ſive Hebræus, ſive Latinus fuerit, modo verum dixerit: non enim religionem docent, ſed medicinam. Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas; & ex illaudato ſolo laudatæ fruges ſæpenumero proveniunt. Nec deſunt viri præſtantes,qui ordinem in ſcribendo,quem Galenum nullum ſervare conſtat, Averroi tribuant,& Avicennæ, quorum incultam dictionem animadvertens Fernelius, ſuperiori ſeculo eorum nomina obſcurare decrevit, edito egregio atque eleganti opere, quo univerſam fere medicinam complexus eſt,abſolute quidem,ſi de Criſibus & diebus decretoriis tractationes ex Galeno aut aliunde ſuppleas: ac morborum curationes ex Razà vel Avicenna, & ſi novas aliquot opiniones, quas interdum inſerit, diligenter examines. Librum autem ſcripſiſſe videtur, ſperans fore, ut aliquando in Academiis loco Avicennæ enarraretur, quod tandem poſt mortem in Germania obtinuit, nam

Raza & Avicenna opera.
Fernelius.

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

Quoniam verò autorum medicinæ præſertimq; Galeni plurima & varia ſcripta extant, delectus quidam inter ea agendus eſt. Sunt enim eorum,qui multa ſcripſerunt volumina inſtar latiſſimi campi, ubi ferè ſemper cum tritico lolium, aliæque inutiles herbæ naſcuntur. Ideoque qui citra temporis jacturam ſolidam doctrinam acquirere vult, aſſiduè evoluat oportet libellum *de conſtitutione artis medicæ*, atq; *ipſam artem medicinalem*, in quorum altero ordine reſolutivo, in altero vero definitivo tota medicinæ facultas breviter comprehenditur. Deinde libros *de uſu partium corporis humani*, in quibus ſanè & ingenium, & judicii acrimonia, doctrinæque & prudentiæ magnitudo cum maximà medicorum utilitate apertiſſime elucent. His accedat librorum *de ſanitate tuenda* aſſidua lectio, potiſſimùm verò evolvendi ſæpius ſunt libri *de differentiis & cauſis morborum ac Symptomatum*, ut qui diſcendæ faciendæque medicinæ philoſophià jam inſtructis viam ſternant latiſſimam, principiaque ſtatuant, quibus ad perfectionem artis pervenire queat, quia totum medicinæ negotium adverſus morbos eſt atque ſymptomata, idcirco libri *de differentiis febrium*, familiares etiam ſint oportet, & maximè libri *de locis affectis*, qui à Galeno jam ætate provecto conſcripti, jure optimo tùm doctrinæ præſtantià, tùm præſtantiſſimarum rerum explicatione magnifieri debent, ut qui appoſitiſſimè

Delectus librorum Galeni.
Qui libri Galeni potiſſ. evolvendi.

ſimè internorum affectuum, quod difficillimum eſt, & ſedes, & veram originem aperiant. Jam vero *methodus medendi* ſeu Therapeutica tanti eſt omnibus artem diſcere atque facere aggredientibus, ut ſine ipsâ vix quicquam boni in medicinâ fieri poſſit: ſive enim omnium morborum notitiam, ſive certam curandi rationem, ſive utilem præſidiorum copiam requiris, ab hiſce methodi libris comparabis, quos Galenus, etiam jam ſenior factus, maturè & ordine in lucem edidit: nec inutiliter leguntur *libri duo ad Glauconem*: in quorum altero de febribus, altero de tumoribus præter naturam eleganter diſſeritur. Huc pertinent libri *de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, tum etiam *adverſus Eraſiſtratum, & Eraſiſtrateos*, quibus pulcherrima inſunt medica præcepta. Subinde libri *de Criſibus*, ex quibus & morborum tempora, & Criſium differentias, earundemq; ſigna cognoſces, quæ ad prognoſticum (quod medicum admirandū inprimis facit) perutilia ſunt: Ac tandem libri *de ſimplicium medicamentorum facultatibus*, qui perinde medico ſunt neceſſarii, atque ignis & aqua vitæ humanæ, & reliquis artificibus inſtrumenta, quæ hi libri ſingulari fœcunditate medicis ſuppeditant. His finitimi ſunt libri *de medicamentorum facultatibus ſecundum locos & ſecundum genera*, in quibus de pluribus morbis breviter diſquiritur, & conficiendorum medicamentorum regulæ ſingulari diligentiâ traduntur. Vt enim Galenus in librum Hipp. *de alimento* auctor eſt, in omni arte primum oportet eſſe artificem, deinde opus aggrediendum eſt: artificem autem eſſe in eo poſitū eſt, ut primùm & maximè totius materiæ, quæ arti ſubjecta ſit, ſimplices facultates cognoſcas: mox verò ipſarum mixtiones, quot qualesque ſint. Sed enim *commentaria* ipſius Galeni *in aphoriſmos Hipp. prognoſtica, prorhetica, epidemios* & in libros *de victus ratione in morbis acutis* (quæ omnia uno ſeorſim volumine edita libenter viderem) ſingulari ſedulitate ſunt evoluenda, ut in quibus inexhauſtus quidam medicinæ theſaurus ſit reconditus. Atque hi ſunt, reliquis non neglectis, Galeni libri, in quibus medicus ſe crebrò exerceat oportet, & ex quibus incomparabilem utilitatem & magni medici nomen reportabit; tribus breviter animadverſis: *primum* (quod ſupra innuimus) ne exiſtimet quiſpiam, Galenum nunquam falli, & propterea in ipſius verbis quaſi oraculis jurandum eſſe, ſi præſertim à poſteriore aliquo auctore ſolidis rationibus id elevatur, de quo agitur. *Animadverſio.*

Alterum

2. *Alterum* ne deterreatur medicus, quotieſcunque animadvertit, Galenum ſibi contraria ſcribere, qui enim variis temporibus atq; ob varias occaſiones tot ſcripſit, in quibusdam ſibi interdum contrariari neceſſe eſt: quo in caſu exploranda ſemper erit potior ac verior ipſius ſententia, quæque pluribus in locis legitur, & rationi magis conſona videtur.

3. *Tertio* rejicienda ſemper eſſe pleraque convicia, & acerbiora verba, ac inutilia, in quæ plerumque prolabitur, alios refutandi libidine atq; pruritu, quo fere ſemper laboraſſe videtur: quod in cunctis ſcriptoribus rejiciendum ſemper eſt, & peregrina theoremata opinionesvè, ſi quæ apud ipſos reperiuntur.

Neoterici ſcriptores. Quoniam autem noſtrâ & majorum ætate viri exſtiterunt præclarâ ſapientiâ conſpicui, qui artem medicam, quisq; in ſuo genere mirificè excoluerūt, amplificârunt, & ſuis commentariis illuſtrârunt: eorum etiam ſcripta evolvere medicus interdum debet, ita tamen, ut non quoslibet, ſed eos duntaxat, in quorum operibus probata doctrina, genium, & in ſcribendo dexteritas elucent, ad quæ quatuor potiſſimum requiruntur, materia, res, nervus, & phraſis ſive ſtylus: quibus ſi flores accedant, ad utilitatem fortaſſe parum, ad jucunditatem verò plurimum juvant. *Quatuor perficiunt ſcriptorem bonum.* Horum ego ſcriptorum aliquot breviter annotabo, ne in his, qui ſomnia ſua potiùs, quàm præclarum aliquid ſcripſerunt, ſumptus & tempus medicus inaniter conſumat, & bibliotheca ipſius paucis ſed ſelectis inſtruatur, & exornetur potiùs quàm oneretur. Itaq; præter Græcos, Arabes, & Latinos, quos ſuperius recenſuimus, qui tanquam principes priorem locum obtineant oportet, ut ſine quibus medicus nullus ſit: Pro eorum majori explicatione recurrere interdū licet ad recentiores, & in anatome quidem locum habebunt Andreas Veſalius Bruxellenſis, Rufus Epheſius, Realdus Columbus, Gabriel Fallopius, Valverdius, Joannes Vaſeus, Andreas Laurentius. *Anatomici.* In herbaria Dioſcorides, & ejus præcipui commentatores, Mathiolus Senenſis, Andr. Lacuna, Leonardus Fuchſius, Adamus Lonicerus, Amatus Luſitanus, Rembertus Dodoneus, Matthias Lobellius, & ſingularis vir Joannes Ruellius, qui mirificum ſcripſit opus de Hiſtoria plantarum, nec non Carolus Cluſius de plantis in utraque India naſcentibus. *Scriptores materia herb.* In Chirurgia laudantur inprimis Guido de Cauliaco, Joannes de Vigo, Tagautius, Andreas Valcacer, Ambroſius Pareus, Antonius Calmeteus, & Joannes Fragoſus, ſiquis ejus utilia opera ex Hiſpano in latinum ſermonem vertat. *Chirurgi.*

Porro

Porro inter eos, qui totam fere medicinam uno opere complexi ſunt, præter Avicennam & Averroem ſupra jam nominatos, excelluerunt Iſac filius adoptivus Regis Arabiæ, Nicolus Florentinus, Joannes Fernelius Ambianus, Joannes Gvinterius Andernacus, cujus de utraque medicina duo extant volumina, Chriſtophorus à Vega Hiſpanus, Joannes Gorræus Gallus in ſuis medicis definitionibus, Valleriola in locis communibus, Ludovicus Mercatus in indicationibus medicis, & Georgius Bertinus Campanus, qui viginti libris univerſam medicinam feliciter comprehendit: Et Areteus Cappadox de dignotione, & curatione morborum tàm acutorum, quàm diuturnorum. *Qui totam medicinam uno opere comprehenderunt.* In Hiſtoria naturali præter Ariſtotelem de Hiſtoria & partibus animalium adſint etiam Plinius, Ælianus de varia hiſtoria, Conradus Geſnerus de animalibus, Guilelmùs Rondeletius de piſcibus. *Hiſt. naturalis ſcriptores.* Qui verò aliorum opera utiliter ac luculenter expoſuerunt, Galenus primus eſt, uti diximus, in opera Hipp. deinde etiam Hugo Senenſis, & Jacobus de Foro Livio in aphoriſmos Hipp. & artem medicam Galeni: Gentilis de Fulginio, & Jacobus de Partib⁹ in opera medica Avicennæ: his accedant Antonius Muſa Braſavola, Jeremias Brachelius, Leonardus Fuchſius, Hollerius, præſertimq; Ambroſius Nonius Luſitanus in tres priores lib. aphoriſmorũ Hip. Benedictus Victorius Faventinus, & Joannis Brauci Petraſitani doctiſſima & luculentiſſima commentaria in Hipp. prognoſtica: Franciſcus Valetius in libros Epidemiorum: Thomas Rodericus à Vega Luſitanus in artem medicam Galeni, in libros de locis affectis & de differentiis febrium: Ludovicus Lemoſius in methodum medendi: Joannes Valeriola in libros de morbo & ſymptomate, Stephanus Athenienſis in lib. 2. ad Glauconem. *Expoſitores Hipp. & Galeni.* Quæſtionarii, ſeu qui medicas controverſias cum laude ſcripſerunt, ſunt Petrus Aponenſis, qui propterea Conciliator nuncupatur: Franciſcus Valeſius Covaruvianus in controverſiis medicis: quibus conſimiles ſunt, Sylvatici controverſiæ, enarrationes Valleriolæ, & ſumma Matthei de Garbo. *Quæſtionarii.* In conſiliis & Epiſtolis medicinalibus excelluerunt ipſe Hugo Senenſis, Bartholomæus Montagnana, Joannes Baptiſta Montanus, Joannes Manardus in Epiſtolis quæ plurimâ & ſingulari doctrinâ ſunt refertæ, quibus adjungere licet Joannis Cratonis conſilia & Epiſtolas, ac quæcunque tum hiſce tum Matthioli Epiſtolis adjunctæ circumferuntur, & Solenandri conſilia. *Qui conſilia & Epiſtolas ſcripſerunt.* Ex practicis ante omnes præter Avicennam ſint in promptu Matthæus *Practici.*

thæus de gradibus,& Herculanus uterq; copioſiſſimus autor, illè ex plurima doctrinâ, hic ex facilitate remediorum inprimis commendatus, quibus conſimilis Meſues eſt: Leonardus Jachinus gravis & nervoſus ſcriptor, Donatus Antonius ab Altomari Galeni allegationibus inſignis, Joannes Hollerius, Jacobus Silvius, Gulielmus Rondeletius, Gordonius Valeſcus de Taranta, Joannes Gvainerius omnes ex ubertate remediorum commendati: Nec contemnendi ſunt Leonellus, & Victorius Faventinus, Paſchalius, Guilelmi Varignanæ Empirica: Antonius Benevenius de morbis rarioribus, Joannis Scenchi & Franciſci Valleriolæ obſervationes, Amati Luſitani centuriæ, & curationes Foreſti. In particularibus verò morbis Julius Palmarius de morbo Gallico, & morſu canis rabidi: Ludovici Mercati: & noſtrum de univerſa mulierum medicina opus: Hieronymus Mercurialis, & Leonellus Faventinus de morbis puerorum, & in aliis particularibus tractationibus medicis, Petrus Bravus de curandi ratione per medicamentum purgans, & Botallus de ſanguinis miſſione. Diſpenſatorii, qui varias compoſitiones, tàm ab aliis deſcriptas, quàm Magiſtrales deſcripſerunt, ſunt Meſues, Luminare majus Manlii annotationibus illuſtratum, Lumen Apothecariorum, & Theſaurus Aromatariorum, Valerius Cordus, Jacobi Weckeri diſpenſatorium generale & ſpeciale: Noribergenſe inſuper, & Auguſtanum diſpenſatorium, Evonymi ſecreta, & Quercetani pharmacopæa reſtituta. De diæta tam univerſali quam particulari laudabiliter ſcripſerunt: Iſhac, de quo antea fecimus mentionem, hujus liber præſertim cum copioſiſſimis ſcholiis Petri Hiſpani, qui poſtea Pontifex Romanus creatus fuit, & Joannes XXI. nominatus, utiliſſimus eſt Sed enim de victus ratione febricitantium potiſſimum pulchram & eruditam edidit tractationem Brutus Luſitanus, Dionyſii filius. Atq; hi ſunt ſpectabilis inprimis doctrinæ ſcriptores, quibus medica bibliotheca inſtructa ſit oportet. Quod ſi alii pro temporis aut ſtudiorum ratione digni videantur, ſapientum conſenſu poterunt eorum numero adjungi. Illud tamen utiliſſimum fuerit, quemcunq; noverimus in hac vel illâ tractatione medicâ, aut morbi curatione excelluiſſe, ejus nomen in locos communes referre, à capite uſq; ad pedes deductâ ſerie aut eos, qui ſingulariter ſcripſerunt de morbo aliquo ſive novo ſive rariori, ut oblata occaſione non ſit neceſſe cum laborioſo temporis diſpendio omnes evolvere autores, ſed ſcopum ſtatim petas: qua in re quidquid ego non ſine magno ſudore

De morbis particularibus.

Diſpenſatorii.

Victus rationis ſcriptores.

haſte-

hactenus obſervavi, aliquando, ſi Deus vitam prorogaverit, medicinæ cultoribus candidè ac minimè gravatè communicabo, idemque velim faciant, quicunque publicam utilitatem promovere cupiunt.

Autores alii extra med. quos medicū ad manus habere oportet. Poetæ. De re ruſtica. Hiſtorici.

Sunt inſuper alii autores, ad quos divertere interdum liceat, non uti civi, ſed veluti peregrino: ex poetis quidem, Homerus, Virgilius, Lucretius, horum enim teſtimonia clariſſimi ac vetuſtiſſimi ſcriptores citare etiam conſueverunt: Præterea de re Ruſtica Marcus Cato, Marcus Varro, Palladius, & Columella; ex Hiſtoricis Herodotus, Strabo, Theodorus Siculus, Titus Livius, Tacitus, Iuſtinus, Plutarchus, & ex neotericis Thuanus de hiſtoria Gallica, Ioannes Mariana de Hiſpanica, Saxo Grammaticus de Danica, Sleidanus de Germanica, Tracagnota de Italica, Emanuel Meteranus de Belgica, Paulus Jovius de rebus Turcicis, Petrus Bizarus, & Ioannes Thomaſius Minadous de hiſtoria Perſica, Barrus, & Petrus Maffeus de Indica, nec non Damianus de Goes, & Petrus Martyr, Michael Neander de populis ſeptentrionalibus, Joſephus de hiſtoria Iudaica: & novi orbis hiſtoria à variis autoribus ſcripta, ac relationes univerſales Ioannis Boteri, inprimis verò hiſtoria ſacra Regum & Machabæorum. Quibus ſucciſivis horis operam dare erit utiliſſimum, tùm ad ornandam ditandamq; medicinæ facultatem, tùm ut apud ægros, quibus præſunt interdum viri principes, conſulares, aut litterati, ea, quæ olim contigêre, hodiernis actionibus poſſis accommodare. In quem uſum pleraque etiam ſcripta politica noſtro hoc politicorum feraciſſimo ſeculo prodierunt, in quibus omnibus ſemper diligenter obſervandum, ſi quæ ad medicorum mores, vel ad medicam materiam, vel etiam ad medicam artem exornandam amplificandamque inveniantur, eaque in duplex diarium reponenda, in quorum alterô loci communes medicinæ ſcribantur, in altero aliorum autorum ſententiæ, quæ utique ſæpius relegantur, ut memoria complectantur facilius. Eſt enim danda opera, ut non ſicuti mercatores alieno ære magnificè negotiantur, ita nos bonis alienis, ſed propriis abundemus: & pleraque in memoriam, tanquam doctrinæ theſaurum cuſtodemque fidiſſimum, recondamus, quia hanc ſemper nobiſcum gerimus: libri verò ſunt repoſitoria, quæ nec ſemper circumferendi, neque ubique evolvendi occaſio datur. Nec vero ſententiæ ſolum & centones ediſcendi, ſed quædam ſunt ſcripta, quæ integra memoriæ mandare neceſſe eſt, ut aphoriſmi & prognoſtica Hippoc.

Politici. Diarium ſeu loci communes. Simile. Doctrina cuſtos memoriæ: libri repoſitoria.

N 2 Quin.

Digitized by Google

Ad memoriam quinque faciũt.

Memoria cur pueri valeant.

Simile.

Quinque vero ad memoriam plurimum faciunt: *Primum*, ſi aliis curiis & perturbationibus animus ſit vacuus, idcirco pueros memoriâ valere Plato dicebat in Tymæo. *Secundum*, ſi, quæ memoriæ ſunt commendanda, iterum atq; iterum animo volvantur: nam & ventriculus cibos quos cum delectatione ſuſcipit, arctius complectitur, & melius concoquit. *Tertium*, eſt ordo, de quo ſupra capite 8. *Quartum* crebræ non ſolum repetitiones, ſed etiam de rebus, quas legimus collationes cum aliis, ac diſputationes, quæ duplici de causâ inſtituuntur, primò propter exercitationem, ſecundò propter inveſtigationem comprobationemq; veritatis. *Quintum*, promptuaria jam dicta, in quæ loci communes, cauſæ, ſigna, & ſimilia quæpiam reponantur: interdum etiam in epitomēn redigere ea, quæ tibi familiaria eſſe cupis, ad memoriam excolendam plurimum facit.

Diſputationes cur inſtitutæ.

Diſputationes quales eſſe debeãt.

Logomachia vitanda.

Simile.

Cæterum diſputationes collationesvè graves eſſe decet, argutas, nervoſas, & ad deprehendendos ægrorum aſtantiumque errores, ſagaces, & ab omnibus nugis alienas, potiſſimum autem à λογομαχίᾳ ſeu quæſtione de nomine: cavendum quoque ne alienis quæſtiunculis, quæ ex parergis oriuntur, à principali quæſtione abducamur, ne nobis accidat quod noctu iter facientibus, qui dum igniculos vagos in agris diſcurrentes ſequuntur, longiſſimè à viâ removentur. Quamobrem ad πάρεργα παρέργως reſpondendum, & propoſitæ rei inveſtigatio diligenter urgenda. Atque hæc quidem, etſi juvenilia videantur, minimè tamen omittenda fuerunt, quia non ſunt contemnenda, quaſi parva, ſine quibus magna conſtare non poſſunt.

AN EXPERIENTIA RATIONE, & medicus ſenex juvene ſit præſtantior.

CAPUT X.

Medicina duplici crure incedit. 8. Secund. loco 7.

VT duplici viâ ars medica inventa eſt, ita duobus cruribus incedit: qualem enim facultatem in ambulando utrumque crus exhibet, talem in medicinâ rationem & experientiam habere Galenus protulit, quæ, cùm altero deſtituatur, claudicet, ut quæ uno crure innituntur animalia. Idcirco exoptatur meritò medicus ille, qui cum rationalis artis peritiâ exercitationem

Digitized by Google

nem in operibus conjunxit. Ac propterea pleriq; exiſtimant, medicum juvenem ad curandum omninò eſſe inutilem, quoniam diutinam exercitationem, quæ ante canos non venit, nondum habere potuit. *Medicus juvenis.* Quis enim multifidam dogmatum ſectionem verè cognoſcere poterit, citra exercitationis conſtantiam, cum medici dicentibus quidem attendant oportet facientibus incumbant, ideo dicebat Damaſcenus, nulli credendum eſſe etiam ſtudioſo medico, niſi ætatem habenti, & experto, quia multi anni viderunt multa, & ut in proverbio eſt, *medicus novus, novum Cæmiterium.* Et certè præſtant juvenibus ſenes, ut ad res alias omnes, quæ in prudentiâ & judicio ſitæ ſunt, ita vel maximè ad artis medicæ opera. Verumenimvero fieri etiam poteſt ut juvenis in medicis pręceptis ſcientiſſimus, & in operibus mediocriter exercitatus, tàm in medendo, quàm in docendo reipublicæ ſit utiliſſimus; ſi modo mente caneſcat, quamvis non mento, nam cani hominis ſapientia ejus, qui in brevi ætate tempora multa complevit. *Medici ſenes.* Econverſo ſæpè fit, ut ſenes pleriquè in neutrâ medicinæ parte verſati, annorum numerum opponant, ac longum uſum, qui citra ullam obſervationem in viſendis ægris, non vero in arte medica, conſenuerunt: Inutiliſſimi quidem, & quos non poſſis ſperare fore aliquando ſeniores, quippe qui in ipſa ſenectute juvenes ſint: quibus illud Ægyptij ſacerdotis ad Solonem apud Platonem in Thimæo accommodari poteſt; *Græci ſemper pueri eſtis, nec quisquam è Græcia ſenex.* Tantò verò hi inutiliores ſunt ijs, qui manus medicas nullis ægrotantibus admoverunt, quantò deterius eſt, erroribus aſſueviſſe, quàm ab operibus abſtinere. Tales utiq; evadunt ij, qui cum juvenes adhuc parum in ſtudijs litterarum profeciſſent, repente ad ipſa opera ſeſe tranſtulerunt, lucro inhiantes, fidentesq; artis medicæ conditioni, qua nihil, quod circa ægrotantes erratum eſt, à medicis exigit jus civile, &, ut inquit Plinius, medico tantum hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt. Ut plurimum tamen ætas qnidem juvenilis tolerantia & officio præſtat: ſenilis vero ſapientia & judicio. *Qui differant medici juvenes à ſenibus.* Itaq; concludamus medicum pluris ſemper facere debere rationem, quam uſum & experientiam, ut qui rationem ſemper ſecum afferat pro ſymbolo ſui, illâ ſemper ſubnixus potiſſimum incedat operisq; ſucceſſum expectet; *Concluſio.* Contrà atq; aliæ artes, in quibus minus exigitur rationis, plus uſus: cujusmodi eſt navigandi peritia, in quâ ut rationes ejus omnes teneamus, plus tamen ſemper uſus valet: econtra verò in medicinâ non tàm obſervatione fretus debet eſſe medi- *Differentia inter medicinam & alias artes.*

cus, quæ nihil aliud, quàm res antea viſas perſpectasq; ſub oculos ponat, quæ non eadem facie ſemper recurrunt, ſubindeq; fallunt, niſi præſtantiſſimâ omnium ratione nitantur, quæ diligenter rerum naturis perſpectis, novum cujusq; rei occurſũ non perhorreſcat. Et vel in medio ignotiſſimi maris deprehenſa ac ſymptomatũ procellis jactata ſciat vela facere, clavum dirigere; & navis ſemper ſuæ curſum pro ventororum ſive accidentium ratione tenere. Inde eſt, quòd bonus theoricus ſemper poſſit eſſe bonus practicus, non è converſo. Ex dictis conſtat, rationem experientiæ prævalere, ac propterea non ſemper ſenem medicum juniori eſſe præferẽdum: juvenem autem eum potiſſimum poſtponendum, qui etſi theoriæ peritus ſit nullâ tamen hactenus adhibuerit exercitationem, ſitq; (uti ajunt) nauta tantùm ex commentariolo. Atq; ita liquet, licet plerumq; non tamen uſquequaq; verum eſſe illud, quod communiter dici ſolet, medicum ſufficientem ad cognoſcendum morbum, ſufficere etiam ad eum curandum.

Bonus theoricus an ſemper bonus practicus.

RATIONEM AUCTORITATI ESſe præferendam.

CAPUT. XI.

SUpereſt, ut aliquot quæſtiunculas diſcutiamus, jucundas inprimis atq; frugiferas, ex quibus quædã, quæ ad perfectionẽ artis conducunt, medico pateſiant: languentibus vero, quẽ potiſſimũ medicum eligere expediat, facile innoteſcat. *Princeps* ipſa ſit, debeatnè habere plus ponderis in diſputando, aut etiam in applicatione remedij auctoritas, an ratio. Galenus diſcipulos Eraſiſtrati & Erophili adeo fuiſſe magiſtrorũ ſententijs addictos ſcribit, ut quidquid ipſi dixiſſent, ex tripode dictum exiſtimarent, ideo de quacunq; re interrogati reſpondebãt, *ipſe dixit*, qui reſpondendi modus peculiaris fuit etiam Pythagoricis, ut Cicero refert. Socrates etiam apud Platonem nullum inſcitiæ evidentius argumentum eſſe dicit, quam ſi quis data opera à ſapientibus viris diſſentiat: quorum dicta amice potius ſunt interpretanda, quam acerbè calumnianda aut rejicienda. Ariſtoteles diſcentem credere oportere dixit: & argumentum ſumendum eſſe à viris probatis. Quatuor enim ſunt præter demonſtrationem, quæ fidem faciunt, prudentia, virtus, benevolentia, ſummaq; viri ſapientia in eâ arte, de quâ diſputatur. Et tàm Cicero, quàm Quintilianus, ſūmorum

Argumenta pro auctoritate.

II. meth 5. *Eraſiſtrati & Erophili diſcipulorum mos.* *lib. de nat. Deorum.* *In Hippia. I. Elenchorum.* *Quatuor ſunt quæ fidem faciũt* *Lib. de ſenectute.* *Lib. 1. c. 6.*

rum virorum auctoritatem pro ratione eſſe docuerunt. Quid? quod juriconſulto religio eſt, quidquam ſine legis auctoritate affirmare: unde illud: *erubeſcimus, cum ſine lege loquimur.*

Quibus tamen non obſtantibus, plus fidej rationi, quàm auctoritati adhibendum eſſe cenſemus: & ratio eſt, quia auctoritas perinde eſt, ac cereus naſus, quem facilè vertas, quocunq; velis, ſiniſtrâ interdum interpretatione, & nullus eſt tam abſurdus error, quin defenſorem nanciſcatur. Unde magna ſemper inter philoſophos & medicos confuſio orta fuit; non enim tam abſona ſomniavit unquam febriculoſus ſenex, quæ non aliquis philoſophorum dixerit, ut Perſius aſſerit. Anaxagoram refert Galenus dixiſſe, nivem non eſſe candidam, ita qui ſenſum negare vellet, idipſum aſſeverans, haberet tamen ſui erroris auctorem. Non ergo debemus in verba alicujus jurare, ſed veris philoſophis ac medicis ea libertas eſſe debet, ut optima quæq; rationis ductu eligant, quæ ubi ſuffragatur, perinde eſt, quis dixerit, ſive Græcus, ſive Arabs, ſive Romanus, modò verum dixerit. Alter eſt extremus eorum error, qui virorum ſententias, eorum præſertim qui artis ſunt principes, & anteſignani, pro libidine ſua rejiciunt, adductis interdum eorum, qui inferioris claſſis ſunt, ſomnijs, ſæpè etiam deliramentis. Hinc etiam colligitur abſurda eorum vanitas, qui omnes ad unum medicos Arabes, præſertimque barbaros de gradibus dejiciunt, & præter unum Galenum cæteros omninò contemnunt. Eſto quidem amicus Plato, amicus etiam Socrates, ſed magis debet eſſe amica veritas: nec utiq; tam auctoris in diſputando, quàm rationis momenta, quærenda ſunt: nec rurſus ita acquieſcendum auctoritati, quin ratio adhibita confirmare videatur auctoris mentem: nec deniq; tantum præjudicata opinio unquam ponderis habere debeat, ut etiam ſine ratione valeat auctoritas, unde illud Horatij:

Conclusio. Argumenta contra auctoritatem.

2. meth. 2.

Error quorundam.

Arabes medici non ſunt rejiciendi.

Nullius addictus iurare in verba magiſtri.

Sed enim Plato *in Protagora* eos, qui teſtimonijs utuntur, ſimiles eſſe dicit imperitis convivis, qui pecunia tibicines conducunt, quorum modulatione convivia ſua celebrent: & *in Gorgia* veritatem in diſputando non ex teſte, ſed ex argumento, eſſe ponderandã: & *in Charmide* cõſiderãdum eſſe, verènè dictum ſit, non quis dixerit: *quidnam refert*, inquit, *O Socrates, ex quo audiverim? nihil profectò, nec etiam conſiderandum, quis dixerit, ſed utrũ verè dicatur.* Lactãtius Firmianus in l. *de origine erroris* rationẽ omni auctoritati præfert. Ex quib⁹ liquet, auctoritatẽ per ſe nihil, aut certè parum

Simile.

parum fidei ad probandum habere. Probationum enim, ut inquit Ariſtoteles, aliæ ſine arte ſunt, aliæ vero artificioſæ: ſine arte ſunt teſtes, leges, pacta, quæſtiones, & jusjurandum: artificioſæ verò, quæ ratione ac viâ à nobis excogitantur. Itaq; argumentum artificiale, quod etiam *internum* appellatur, eſt quod ex ſeſe fidem facit: inartificiale verò econverſo, quia extra naturam ipſius rei eſt. Quocirca velim medicum perfectum eo animo libros legere, ut exiſtimet, potuiſſe etiam magnos auctores errare: nam labuntur aliquando. & indulgent viri magni ingeniorum ſuorum libidini, falliq; & fallere poſſunt: & ſunt in pulcerrimis corporibus ſui etiam nævi. Modeſtè tamen & maturo judicio de præclaris viris ſemper pronunciandum, ne quis damnet, quæ fortaſſe non intelligit: ac ſi in alterutram partem declinandum ſit, omnia placeant ſatius eſt, quàm multa rejicere. Nam, ut rectè Galenus inquit, & paulo ante tetigimus, veterum dicta diligenter ſunt inſpicienda potiùs, quàm hoſtiliter inſectanda. Cæterum ſi auctoritati, prudentia, probitas, benevolentia, & ſumma viri in arte, de qua agitur, ſapientia conjungantur, hæc profecto omnia ſimul vim habebunt artificialis argumenti: unde fit, ut auctoritas Hipp. in medicina ſumma ſit, Euclidis in Geometria, Ariſtotelis in philoſophicis, de quibus illud exploratum habemus, nil fere ſcripſiſſe, quod citra rationem fuerit ſcriptum. Quamobrem argumenta inartificialia, quæ per ſe nihil aut parum poſſunt, adhibitis perſonarum circumſtantijs fidem interdum faciunt. Rationes verò non ſemper exactiſſimæ requiruntur, ſed quales ſubjecta materia poſtulare videbitur. Maximus quidem auctoritatis uſus cernitur in civilibus: philoſophi tamen ac medici non ſolum teſtimonijs & rationibus acquieſcunt, verum etiam ſenſus probationem adjungunt, & hanc tanquam veriorem ſtateram juſtam & æqualem, quæ non fallat, ut inquit Avenzoar, interdum magis diligũt, quia circa res à materiâ nõ ſeparatas verſantur, quæ auxilio ſenſus intellectum perficiunt. Quapropter libenter hic audio experientiæ encomia, à nobis ſuperiùs allata, quibus digitum attollit Avicenna dicens, ubi aliud ratio, aliud experientia indicant, uni tum experientiæ innitendum eſſe, & Galenus in omnibus artibus ijs, quæ ſunt rectè excogitata, accedere vult ex eventu teſtimonium, in quem ſenſum Lucretius inquit:

Sic itidem, quæ ſentimus, ſentire neceſſe eſt.

Rationi enim fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conveniunt

Probationes inartificioſæ quæ. *1. Rethoricorum.* *Artificioſæ.*

Errant interdum viri magni. *De præclaris viris modeſte pronuntiãdum.* *6. de ſanit. tuend. c. 5. 2. de ſimpl. c. c. 3.*

Arg. inartificialia, quomodo fiant artificialia.

Experientiæ, laudes, lib. 1, c. 4.

niunt cum ijs, quæ ſenſu percipiuntur, rebus, ut ſentit Ariſtoteles in opere *de generatione animalium*. Itaq; ſi quando ſatis cognita habebuntur, ſenſui magis, quàm rationi, credendum eſt: ſiquidem rationi fidem adhibemus in his, quæ conveniunt cum rebus ſenſu perceptis.

lib. 3. c. 11.

ARS CUM NATURA, ET CUM naturali prudentia confertur.

CAPUT XII.

SUperiori quæſtioni conſimilis alia ſeſe offert, ars an natura potentior ſit? negant pleriq; omnes, quicquam poſſe artē humanam, quod vires excedat naturæ: quod ſi quis affectu producitur, qui ſuperet naturam rerum, vel divinum eſſe, vel prodigioſū, quia omnis ars naturā imitatur, tantū abeſt, ut poſſit naturæ perfectiones adæquare: Quis enim (inquiunt) comparet depicta lilia cum veris; Dædali volatum cum alitibus: & hæc quidem in genere. Tum deinde ad medicinam deſcendendo, natura, inquiunt, eſt morborum curatrix; nec aliud medicus bonus unquam molitur, quam ipſam adjuvare, aut imitari: neq; enim medicamēto caro in ulcere reſtituitur, aut pars glutinatur, ſed naturæ opera hæc ſunt. Et medicamenta arte applicita non aliud præſtant, quàm removere illa, quæ ipſius actioni obſtant. Propterea hæc ipſa natura erudita ab Hipp. nuncupatur, docta, medica, ſufficiens, & juſta: hanc vocat Galenus facultatem corporis diſpenſantem. Hæc licet conſilij & rationis ſit expers, motus tamen edit certos, & conſtanti ordine definitos, ut ratione & conſilio quaſi niti videatur: hæc ordinata quædam res eſt, quæ motiones ſuas ſtatis circuitibus perficit: hæc ſibi ipſi leges imponit, quas nunquam evertit, ſed conſtanter & immutabiliter exequitur: hæc ſola criſes molitur, dum humores concoquit, ſecernit, excernit: hæc vias etiam occultas invenit, quibus morborum cauſas expellit: hæc tandem unica eſt morborum medicatrix. Quod ſi errare interdum contingat, id à materiæ contumaciā & ejuſdem varietate fit. Quæcunq; enim in corporibus noſtris contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera ſunt, quàm ſapientis naturæ, quam Anaxagoras *mentem* appellavit, & Hipp. ipſe *fatalem vitæ & mortis neceſſitatem*, quia, ut in proverbio eſt, *nobiſcum oritur, quod nobiſcum moritur*.

Pro natura argumenta.

Naturæ encomia.

9. de plac. *1. de nat. fac. 13.* *1. de locis.*

Error à materia eſt non à natura.

Digitized by Google

parum fidei ad probandum habere. Probationum enim, ut inquit Ariſtoteles,aliæ ſine arte ſunt,aliæ vero artificioſæ: ſine arte ſunt teſtes, leges,pacta,quæſtiones,& jusjurandum: artificioſæ verò, quæ ratione ac vià à nobis excogitantur. Itaq; argumentum artificiale,quod etiam *internum* appellatur,eſt quod ex ſeſe fidem facit: inartificiale verò econverſo,quia extra naturam ipſius rei eſt. Quocirca velim medicum perfectum eo animo libros legere,ut exiſtimet,potuiſſe etiam magnos auctores errare: nam labuntur aliquando,& indulgent viri magni ingeniorum ſuorum libidini,falliq; & fallere poſſunt: & ſunt in pulcerrimis corporibus ſui etiam nævi. Modeſtè tamen & maturo judicio de præclaris viris ſemper pronunciandum,ne quis damnet,quæ fortaſſe non intelligit: ac ſi in alterutram partem declinandum ſit, omnia placeant ſatius eſt,quàm multa rejicere. Nam,ut rectè Galenus inquit, & paulo ante tetigimus,veterum dicta diligenter ſunt inſpicienda potiùs, quàm hoſtiliter inſectanda. Cæterum ſi auctoritati,prudentia,probitas,benevolentia,& ſumma viri in arte,de qua agitur,ſapientia conjungantur,hæc profectò omnia ſimul vim habebunt artificialis argumenti: unde fit,ut auctoritas Hipp. in medicina ſumma ſit, Euclidis in Geometria, Ariſtotelis in philoſophicis,de quibus illud exploratum habemus, nil fere ſcripſiſſe,quod citra rationem fuerit ſcriptum. Quamobrem argumenta inartificialia,quæ per ſe nihil aut parum poſſunt, adhibitis perſonarum circumſtantijs fidem interdum faciunt. Rationes verò non ſemper exactiſſimæ requiruntur,ſed quales ſubjecta materia poſtulare videbitur. Maximus quidem auctoritatis uſus cernitur in civilibus: philoſophi tamen ac medici non ſolum teſtimonijs & rationibus acquieſcunt, verum etiam ſenſus probationem adjungunt,& hanc tanquam veriorem ſtateram juſtam & æqualem,quæ non fallat,ut inquit Avenzoar, interdum magis diligũt,quia circa res à materià nõ ſeparatas verſantur,quæ auxilio ſenſus intellectum perficiunt. Quapropter libenter hic audio experientiæ encomia, à nobis ſuperiùs allata,quibus digitum attollit Avicenna dicens,ubi aliud ratio,aliud experientia indicant, uni tum experientiæ innitendum eſſe, & Galenus in omnibus artibus ijs,quæ ſunt rectè excogitata, accedere vult ex eventu teſtimonium,in quem ſenſum Lucretius inquit:

Probationes inartificioſæ quæ.
1. Rethoricorum.
Artificioſa.
Errant interdum viri magni.
De præclaris viris modeſte pronunciãdum.
6. de ſanit. tuend. c 5. 2. de ſimpl. c. c. 3.
Arg. inartificialia, quomodo fiant artificialia.
Experientiæ, laudes.
lib. 1, c. 4.

Sic itidem, quæ ſentimus, ſentire neceſſe eſt.

Rationi enim fides adhibenda eſt,ſi quæ demonſtrantur, conveniunt

niunt cum ijs, quæ ſenſu percipiuntur, rebus, ut ſentit Ariſtoteles in opere *de generatione animalium*. Itaq; ſi quando ſatis cognita habebuntur, ſenſui magis, quàm rationi, credendum eſt: ſiquidem rationi fidem adhibemus in his, quæ conveniunt cum rebus ſenſu perceptis.

lib. 4. c. 10.

ARS CUM NATURA, ET CUM naturali prudentia confertur.

CAPUT. XII.

SUperiori quæſtioni conſimilis alia ſeſe offert, ars an natura potentior ſit? negant pleriq; omnes, quicquam poſſe arte humanam, quod vires excedat naturæ: quod ſi quis affectu producitur, qui ſuperet naturam rerum, vel divinum eſſe, vel prodigioſũ, quia omnis ars naturã imitatur, tantũ abeſt, ut poſſit naturæ perfectiones adæquare: Quis enim (inquiunt) comparet depicta lilia cum veris; Dædali volatum cum alitibus: & hæc quidem in genere. Tum deinde ad medicinam deſcendendo, natura, inquiunt, eſt morborum curatrix; nec aliud medicus bonus unquam molitur, quam ipſam adjuvare, aut imitari: neq; enim medicamẽto caro in ulcere reſtituitur, aut pars glutinatur, ſed naturæ opera hæc ſunt. Et medicamenta arte applicita non aliud præſtant, quàm removere illa, quæ ipſius actioni obſtant. Propterea hæc ipſa natura erudita ab Hipp. nuncupatur, docta, medica, ſufficiens, & juſta: hanc vocat Galenus facultatem corporis diſpenſantem. Hæc licet conſilij & rationis ſit expers, motus tamen edit certos, & conſtanti ordine definitos, ut ratione & conſilio quaſi niti videatur: hæc ordinata quædam res eſt, quæ motiones ſuas ſtatis circuitibus perficit: hæc ſibi ipſi leges imponit, quas nunquam evertit, ſed conſtanter & immutabiliter exequitur: hæc ſola criſes molitur, dum humores concoquit, ſecernit, excernit: hæc vias etiam occultas invenit, quibus morborum cauſas expellit: hæc tandem unica eſt morborum medicatrix. Quod ſi errare interdum contingat, id à materiæ contumaciã & ejuſdem varietate fit. Quæcunq; enim in corporibus noſtris contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera ſunt, quàm ſapientis naturæ, quam Anaxagoras *mentem* appellavit, & Hipp. ipſe *fatalem vitæ & mortis neceſſitatem*, quia, ut in proverbio eſt, *nobiſcum oritur, quod nobiscum moritur*.

Pro natura argumenta.

Natura encomia.
9. de plac.
1. de nat. fac. 13.
1. de locis.

Error a materia eſt non a natura.

O Ve-

Probationes inartificioſa quæ. *1. Rhetoricorum.* *Artificioſa.*

parum fidei ad probandum habere. Probationum enim, ut inquit Ariſtoteles, aliæ ſine arte ſunt, aliæ vero artificioſæ: ſine arte ſunt teſtes, leges, pacta, quæſtiones, & jusjurandum: artificioſæ verò, quæ ratione ac viâ à nobis excogitantur. Itaq; argumentum artificiale, quod etiam *internum* appellatur, eſt quod ex ſeſe fidem facit: inartificiale verò econverſo, quia extra naturam ipſius rei eſt. Quocirca velim medicum perfectum eo animo libros legere, ut exiſtimet, potuiſſe etiam magnos auctores errare: nam labuntur aliquando. & indulgent viri magni ingeniorum ſuorum libidini, falliq; & fallere poſſunt: & ſunt in pulcerrimis corporibus ſui etiam nævi. Modeſtè tamen & maturo judicio de præclaris viris ſemper pronunciandum, ne quis damnet, quæ fortaſſe non intelligit: ac ſi in alterutram partem declinandum ſit, omnia placeant ſatius eſt, quàm multa rejicere. Nam, ut rectè Galenus inquit, & paulo ante tetigimus, veterum dicta diligenter ſunt inſpicienda potiùs, quàm hoſtiliter inſectanda. Cæterum ſi auctoritati, prudentia, probitas, benevolentia, & ſumma viri in arte, de qua agitur, ſapientia conjungantur, hæc profectò omnia ſimul vim habebunt artificialis argumenti: unde fit, ut auctoritas Hipp. in medicina ſumma ſit, Euclidis in Geometria, Ariſtotelis in philoſophicis, de quibus illud exploratum habemus, nil fere ſcripſiſſe, quod citra rationem fuerit ſcriptum. Quamobrem argumenta inartificialia, quæ per ſe nihil aut parum poſſunt, adhibitis perſonarum circumſtantijs fidem interdum faciunt. Rationes verò non ſemper exactiſſimæ requiruntur, ſed quales ſubjecta materia poſtulare videbitur. Maximus quidem auctoritatis uſus cernitur in civilibus: philoſophi tamen ac medici non ſolum teſtimonijs & rationibus acquieſcunt, verum etiam ſenſus probationem adjungunt, & hanc tanquam veriorem ſtateram juſtam & æqualem, quæ non fallat, ut inquit Avenzoar, interdum magis diligũt, quia circa res à materiâ nõ ſeparatas verſantur, quæ auxilio ſenſus intellectum perficiunt. Quapropter libenter hic audio experientiæ encomia, à nobis ſuperiùs allata, quibus digitum attollit Avicenna dicens, ubi aliud ratio, aliud experientia indicant, uni tum experientiæ innitendum eſſe, & Galenus in omnibus artibus ijs, quæ ſunt rectè excogitata, accedere vult ex eventu teſtimonium, in quem ſenſum Lucretius inquit:

Errant interdum viri magni. *De præclaris viris modeſte pronuntiãdum.* *6. de ſanit. tuend. c 5. 2. de ſimpl. c. c. 3.*

Arg. inartificialia, quomodo fiant artificialia.

Experientia, laudes. *lib. 1. c. 4.*

Sic itidem, quæ ſentimus, ſentire neceſſe eſt.

Rationi enim fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conveniunt

niunt cum'ijs, quæ ſenſu percipiuntur, rebus, ut ſentit Ariſtoteles in opere *de generatione animalium*. Itaq; ſi quando ſatis cognita habebuntur, ſenſui magis, quàm rationi, credendum eſt: ſiquidem rationi fidem adhibemus in his, quæ conveniunt cum rebus ſenſu perceptis. *lib. 4. c. 10.*

ARS CUM NATURA, ET CUM naturali prudentia confertur.

CAPUT. XII.

SUperiori quæſtioni conſimilis alia ſeſe offert, ars an natura potentior ſit? negant pleriq; omnes, quicquam poſſe artẽ humanam, quod vires excedat naturæ: quod ſi quis affectu producitur, qui ſuperet naturam rerum, vel divinum eſſe, vel prodigioſũ, quia omnis ars naturã imitatur, tantũ abeſt, ut poſſit naturæ perfectiones adæquare: Quis enim (inquiunt) comparet depicta lilia cum veris; Dædali volatum cum alitibus: & hæc quidem in genere. Tum deinde ad medicinam deſcendendo, natura, inquiunt, eſt morborum curatrix; nec aliud medicus bonus unquam molitur, quam ipſam adjuvare, aut imitari: neq; enim medicamẽto caro in ulcere reſtituitur, aut pars glutinatur, ſed naturæ opera hæc ſunt. Et medicamenta arte applicita non aliud præſtant, quàm removere illa, quæ ipſius actioni obſtant. Propterea hæc ipſa natura erudita ab Hipp. nuncupatur, docta, medica, ſufficiens, & juſta; hanc vocat Galenus facultatem corporis diſpenſantem. Hæc licet conſilij & rationis ſit expers, motus tamen edit certos, & conſtanti ordine definitos, ut ratione & conſilio quaſi niti videatur: hæc ordinata quædam res eſt, quæ motiones ſuas ſtatis circuitibus perficit: hæc ſibi ipſi leges imponit, quas nunquam evertit, ſed conſtanter & immutabiliter exequitur: hæc ſola criſes molitur, dum humores concoquit, ſecernit, excernit: hæc vias etiam occultas invenit, quibus morborum cauſas expellit; hæc tandem unica eſt morborum medicatrix. Quod ſi errare interdum contingat, id à materiæ contumaciã & ejuſdem varietate fit. Quæcunq; enim in corporibus noſtris contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera ſunt, quàm ſapientis naturæ, quam Anaxagoras *mentem* appellavit, & Hipp. ipſe *fatalem vitæ & mortis neceſſitatem*, quia, ut in proverbio eſt, *nobiſcum oritur, quod nobiſcum moritur*.

Pro naturæ argumenta.

Natura encomia. *9. de plac. H. 1. de nat. fac. 13. 1. de locis. H.*

Error a materia eſt non a natura.

O Ve-

parum fidei ad probandum habere. Probationum enim, ut inquit Ariſtoteles, aliæ ſine arte ſunt, aliæ vero artificioſæ: ſine arte ſunt teſtes, leges, pacta, quæſtiones, & jusjurandum: artificioſæ verò, quæ ratione ac viâ à nobis excogitantur. Itaq; argumentum artificiale, quod etiam *internum* appellatur, eſt quod ex ſeſe fidem facit: inartificiale verò econverſo, quia extra naturam ipſius rei eſt. Quocirca velim medicum perfectum eo animo libros legere, ut exiſtimet, potuiſſe etiam magnos auctores errare: nam labuntur aliquando. & indulgent viri magni ingeniorum ſuorum libidini, falliq; & fallere poſſunt: & ſunt in pulcerrimis corporibus ſui etiam næ vi. Modeſtè tamen & maturo judicio de præclaris viris ſemper pronunciandum, ne quis damnet, quæ fortaſſe non intelligit: ac ſi in alterutram partem declinandum ſit, omnia placeant ſatius eſt, quàm multa rejicere. Nam, ut recte Galenus inquit, & paulo ante tetigimus, veterum dicta diligenter ſunt inſpicienda potiùs, quàm hoſtiliter inſectanda. Cæterum ſi auctoritati, prudentia, probitas, benevolentia, & ſumma viri in arte, de qua agitur, ſapientia conjungantur, hæc profecto omnia ſimul vim habebunt artificialis argumenti: unde fit, ut auctoritas Hipp. in medicina ſumma ſit, Euclidis in Geometria, Ariſtotelis in philoſophicis, de quibus illud exploratum habemus, nil fere ſcripſiſſe, quod citra rationem fuerit ſcriptum. Quamobrem argumenta inartificialia, quæ per ſe nihil aut parum poſſunt, adhibitis perſonarum circumſtantijs fidem interdum faciunt. Rationes verò non ſemper exactiſſimæ requiruntur, ſed quales ſubjecta materia poſtulare videbitur. Maximus quidem auctoritatis uſus cernitur in civilibus: philoſophi tamen ac medici non ſolum teſtimonijs & rationibus acquieſcunt, verum etiam ſenſus probationem adjungunt, & hanc tanquam veriorem ſtateram juſtam & æqualem, quæ non fallat, ut inquit Avenzoar, interdum magis diligũt, quia circa res à materiâ nõ ſeparatas verſantur, quæ auxilio ſenſus intellectum perficiunt. Quapropter libenter hic audio experientiæ encomia, à nobis ſuperiùs allata, quibus digitum attollit Avicenna dicens, ubi aliud ratio, aliud experientia indicant, uni tum experientiæ innitendum eſſe, & Galenus in omnibus artibus ijs, quæ ſunt rectè excogitata, accedere vult ex eventu teſtimonium, in quem ſenſum Lucretius inquit:

Sic itidem, quæ ſentimus, ſentire neceſſe eſt.

Rationi enim fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conveniunt

Probationes inartificioſa quæ. 1. Rethoricorum. Artificioſa.

Errant interdum viri magni. De præclaris viris modeſte pronunciãdum.

6. de ſanit. tuend. c 1. 2. de ſimpl. c. c. 3.

Arg. inartificialia, quomodo fiant artificialia.

Experientiæ, laudes. Ab. 1. c 4.

niunt cum ijs, quæ ſenſu percipiuntur, rebus, ut ſentit Ariſtoteles in opere *de generatione animalium*. Itaq; ſi quando ſatis cognita habebuntur, ſenſui magis, quàm rationi, credendum eſt: ſiquidem rationi fidem adhibemus in his, quæ conveniunt cum rebus ſenſu perceptis.

lib. 3. c. 10.

ARS CUM NATURA, ET CUM naturali prudentia confertur.

CAPUT. XII.

SUperiori quæſtioni conſimilis alia ſeſe offert, ars an natura potentior ſit? negant pleriq; omnes, quicquam poſſe artē humanam, quod vires excedat naturæ: quod ſi quis affect producitur, qui ſuperet naturam rerum, vel divinum eſſe, vel prodigioſū, quia omnis ars naturā imitatur, tantū abeſt, ut poſſit naturæ perfectiones adæquare: Quis enim (inquiunt) comparet depicta lilia cum veris; Dædali volatum cum alitibus: & hæc quidem in genere. Tum deinde ad medicinam deſcendendo, natura, inquiunt, eſt morborum curatrix; nec aliud medicus bonus unquam molitur, quam ipſam adjuvare, aut imitari: neq; enim medicamēto caro in ulcere reſtituitur, aut pars glutinatur, ſed naturæ opera hæc ſunt. Et medicamenta arte applicita non aliud præſtant, quàm removere illa, quæ ipſius actioni obſtant. Propterea hæc ipſa natura erudita ab Hipp. nuncupatur, docta, medica, ſufficiens, & juſta; hanc vocat Galenus facultatem corporis diſpenſantem. Hæc licet conſilij & rationis ſit expers, motus tamen edit certos, & conſtanti ordine definitos, ut ratione & conſilio quaſi niti videatur: hæc ordinata quædam res eſt, quæ motiones ſuas ſtatis circuitibus perficit: hæc ſibi ipſi leges imponit, quas nunquam evertit, ſed conſtanter & immutabiliter exequitur: hæc ſola criſes molitur, dum humores concoquit, ſecernit, excernit: hæc vias etiam occultas invenit, quibus morborum cauſas expellit: hæc tandem unica eſt morborum medicatrix. Quod ſi errare interdum contingat, id à materiæ contumacià & ejuſdem varietate fit. Quæcunq; enim in corporibus noſtris contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera ſunt, quàm ſapientis naturæ, quam Anaxagoras *mentem* appellavit, & Hipp. ipſe *fatalem vitæ & mortis neceſſitatem*, quia, ut in proverbio eſt, *nobiſcum oritur, quod nobiſcum moritur*.

Pro naturæ argumenta.

Naturæ encomia.

9. de plac. 2. de nat. fac. 13. 1. de locis.

Error à materia eſt non à natura.

O Ve-

parum fidei ad probandum habere. Probationum enim, ut inquit Ariſtoteles, aliæ ſine arte ſunt, aliæ vero artificioſæ: ſine arte ſunt teſtes, leges, pacta, quæſtiones, & jusjurandum: artificioſæ verò, quæ ratione ac vià à nobis excogitantur. Itaq; argumentum artificiale, quod etiam *internum* appellatur, eſt quod ex ſeſe fidem facit: inartificiale verò econverſo, quia extra naturam ipſius rei eſt. Quocirca velim medicum perfectum eo animo libros legere, ut exiſtimet, potuiſſe etiam magnos auctores errare: nam labuntur aliquando. & indulgent viri magni ingeniorum ſuorum libidini, falliq; & fallere poſſunt: & ſunt in pulcerrimis corporibus ſui etiam næ vi. Modeſtè tamen & maturo judicio de præclaris viris ſemper pronunciandum, ne quis damnet, quæ fortaſſe non intelligit: ac ſi in alterutram partem declinandum ſit, omnia placeant ſatius eſt, quàm multa rejicere. Nam, ut rectè Galenus inquit, & paulo ante tetigimus, veterum dicta diligenter ſunt inſpicienda potiùs, quàm hoſtiliter inſectanda. Cæterum ſi auctoritati, prudentia, probitas, benevolentia, & ſumma viri in arte, de qua agitur, ſapientia conjungantur, hæc profectò omnia ſimul vim habebunt artificialis argumenti: unde fit, ut auctoritas Hipp. in medicina ſumma ſit, Euclidis in Geometria, Ariſtotelis in philoſophicis, de quibus illud exploratum habemus, nil fere ſcripſiſſe, quod citra rationem fuerit ſcriptum. Quamobrem argumenta inartificialia, quæ per ſe nihil aut parum poſſunt, adhibitis perſonarum circumſtantijs fidem interdum faciunt. Rationes verò non ſemper exactiſſimæ requiruntur, ſed quales ſubjecta materia poſtulare videbitur. Maximus quidem auctoritatis uſus cernitur in civilibus: philoſophi tamen ac medici non ſolum teſtimonijs & rationibus acquieſcunt, verum etiam ſenſus probationem adjungunt, & hanc tanquam veriorem ſtateram juſtam & æqualem, quæ non fallat, ut inquit Avenzoar, interdum magis diligūt, quia circa res à materià nō ſeparatas verſantur, quæ auxilio ſenſus intellectum perficiunt. Quapropter libenter hic audio experientiæ encomia, à nobis ſuperiùs allata, quibus digitum attollit Avicenna dicens, ubi aliud ratio, aliud experientia indicant, uni tum experientiæ innitendum eſſe, & Galenus in omnibus artibus ijs, quæ ſunt rectè excogitata, accedere vult ex eventu teſtimonium, in quem ſenſum Lucretius inquit:

Sic itidem, quæ ſentimus, ſentire neceſſe eſt.

Rationi enim fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conveniunt

Probationes inartificioſæ quæ. 1. *Rethoricorum.* *Artificioſa.*

Errant interdum viri magni. *De præclaris viris modeſtè pronuntiãdum.* 6. *de ſanit. tuend. c* 5. 2. *de ſimpl. c. c.* 3.

Arg. inartificialia, quomodo fiant artificialia.

Experientia, laudes. *lib.* 1, *c.* 4.

Digitized by Google

niunt cum ijs, quæ ſenſu percipiuntur, rebus, ut ſentit Ariſtoteles in opere *de generatione animalium*. Itaq; ſi quando ſatis cognita habebuntur, ſenſui magis, quàm rationi, credendum eſt: ſiquidem rationi fidem adhibemus in his, quæ conveniunt cum rebus ſenſu perceptis.

lib. 3. c. 10.

ARS CUM NATURA, ET CUM naturali prudentia confertur.

CAPUT. XII.

SUperiori quæſtioni conſimilis alia ſeſe offert, ars an natura potentior ſit? negant plerią; omnes, quicquam poſſe artẽ humanam, quod vires excedat naturæ: quod ſi quis affect• producitur, qui ſuperet naturam rerum, vel divinum eſſe, vel prodigioſũ, quia omnis ars naturã imitatur, tantũ abeſt, ut poſſit naturæ perfectiones adæquare; Quis enim (inquiunt) compares depicta lilia cum veris; Dædali volatum cum alitibus: & hæc quidem in genere. Tum deinde ad medicinam deſcendendo, natura., inquiunt, eſt morborum curatrix; nec aliud medicus bonus unquam molitur, quam ipſam adjuvare, aut imitari: neq; enim medicaměto caro in ulcere reſtituitur, aut pars glutinatur, ſed naturæ opera hæc ſunt. Et medicamenta arte applicita non aliud præſtant, quàm removere illa, quæ ipſius actioni obſtant. Propterea hæc ipſa natura erudita ab Hipp. nuncupatur, docta, medica, ſufficiens, & juſta: hanc vocat Galenus facultatem corporis diſpenſantẽm. Hæc licet conſilij & rationis ſit expers, motus tamen edit certos, & conſtanti ordine definitos, ut ratione & conſilio quaſi niti videatur: hæc ordinata quædam res eſt, quæ motiones ſuas ſtatis circuitibus perficit: hæc ſibi ipſi leges imponit, quas nunquam evertit, ſed conſtanter & immutabiliter exequitur: hæc ſola criſes molitur, dum humores concoquit, ſecernit, excernit: hæc vias etiam occultas invenit, quibus morborum cauſas expellit: hæc tandem unica eſt morborum medicatrix. Quod ſi errare interdum contingat, id à materiæ contumaciã & ejuſdem varietate fit. Quæcunq; enim in corporibus noſtris contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera ſunt, quàm ſapientis naturæ, quam Anaxagoras *mentem* appellavit, & Hipp. ipſe *fatalem vitæ & mortis neceſſitatem*, quia, ut in proverbio eſt, *nobiſcum oritur, quod nobiſcum moritur*.

Pro natura argumenta.

Natura omnia comis.

9. de plac. 8.
1. de nat. fac. 13.
1. de locis. 2.

Error a materia eſt non a natura.

Naturæ acceptiones variæ apud philoſophos.

Verum priusquam quidpiam ſtatuamus in hac difficultate, operæ precium erit, videre, quid ſcriptores per *naturam* intelligant. Equidem hujus vocabuli octo precipuas reperio apud philoſophos acceptiones, *primò* enim accipitur pro nativitate ſeu generatione naſcentium: *ſecundò*, pro principio intrinſeco ſive activo, ſive paſſivo: *tertiò*, pro eſſentia & quiditate (ut ita loquar) uniuscujusq; rei; & harum trium acceptionum meminit Ariſtoteles in opere methaphyſico: *quarto*, accipitur pro proprietate & inclinatione naturali uniuscujusque ab Hippocrat. in libro *de lege*, ut initio hujus libri copioſè diſſeruimus: *quintò*, pro eſſentiali ordine rerum concurrentium ad perfectionem univerſi; *ſextò*, pro natura univerſali, id eſt, pro cauſis activis totius univerſi, tàm ſpiritualibus quàm corporalibus: *ſeptimò*, pro Deo ipſo quatenus diſponit & diſtinguit cauſas ſecundas in actionibus naturalibus; *octavò*, pro nativâ quâdam prudentiâ in rebus gerendis, quâ ratione incidit quodammodo cum quartâ acceptione, & in eo ſenſu Cicero *pro Archia* affirmat, multò plus tribendum eſſe naturæ, hoc eſt, naturali prudentiæ ſine doctrinâ, quam doctrinæ ſine prudentiâ, concludens optimum eſſe, quando ſimul conjunguntur: *Ego* inquit, *multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrinâ naturæ ipſa habitu prope divino per ſe ipſos & moderatos & graves fuiſſe fateor: etiam illud adiungo, ſæpius ad laudem atq; virtutem naturam ſine doctrina, quàm ſine naturâ aluiſſe doctrinam: atq; idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atq; illuſtrem acceſſerit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, tum neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolere exiſtere.* Idem ſentit Quintilianus, dicens: *Nam ſi parti utrilibet alteram detrahas, natura ſine doctrina multum valebit, doctrina nulla eſſe ſine natura poterit: ſin ex pari coeant in mediocribus quidem utriſq; maius adhuc naturæ credam eſſe momentum, conſummatos autem plus doctrinæ debere quàm naturæ putabo.* Sicuti enim terræ nullam fertilitatem habenti nihilominus agricola profuerit, & è terra uberi utile aliquid etiam nullo colente naſcitur; at in ſolo fœcundo plus cultor, quàm ipſa per ſe bonitas ſoli efficit: ſic ille, qui licet optimè dixiſſe videatur, in conſummatis magis exornari naturam arte quàm artem naturâ, intelligendus mihi videtur de Rhetoricis, politicis & alijs humanis actionibus, non de medicis, in quibus magis ars per naturam, hoc eſt, per naturalem prudentiam, quàm naturalis prudentia per artem, fit illuſtris, & opportuna præſtare valet: tametſi inficias non imus, in medico perfecto artem per naturalem prudentiam, & hanc

Lib. 5. c. 4.

Ciceronis placitum.

Quintilianus. 2. Rhet. 10.

Simile.

Autoris ſententia.

hanc per artem ita intendi & exornari, ut ad perfectionem nihil deſideretur. Et illæ quidem ſunt philoſophorum theologorumq; naturæ acceptiones. Ab Hipp. verò & Galeno variè etiam ſumitur naturæ vocabulum. *Primo*, pro temperie, *ſecundò*, pro facultate formatrice: *tertiò*, pro anima vegetante: *quartò* pro omni facultate, quæ animal gubernat: *quintò*, pro calore naturali ſive inſito, quem etiam vocant calidum innatum & humidum radicale, qua ratione medica appellatione potiſſimum naturæ vocabulum ſumitur, & ex tribus cônſtare Galenus dixit, ex ſpiritu nimirum, partibus ſolidis, & carnoſis, quemadmodum tria fuerant in prima hominis conformatione, ſanguis, ſemen, & ſpiritus.

Naturæ acceptiones apud medicos.
2 aph. 34.
3 aph. 2.
4. aph. 3.
lib. de maraſmo. c. 3.
lib. de alimento,
9. de plac, 8.
1, de facult n. 2, de ſym. c, 1. 11, meth. 3, 11, meth. c, 11,

His ita prælibatis, aliquot ſtatuemus concluſiones, ſi præmiſerimus, artis & naturę medicè aut philoſophicè ſumptarum multipliciter poſſe fieri comparationem pręſertim in octavâ acceptione philoſophorum, & in quintâ medicorum. Sit igitur *prima* concluſio, ſi ſolam naturam cum ſola arte conferamus, natura potentior eſt, præſertim in producendis rebus, quæ concluſio abundantiſſime confirmatur ex his, quæ in ipſo ſtatim hujus capitis limine diſſertavimus. *Secunda* concluſio, quando artificium humanum præſupponit naturæ vim, quam juvat, aut cujus defectum ſupplet, tunc plus poteſt ars naturæ ſubnixa, quàm ipſa ſola natura, quia tunc naturalis operatio juvatur & perficitur per humanam induſtriam. *Tertia* concluſio, ſi arti tribuantur ea, quæ ſunt artis, naturæ ea, quæ competunt naturæ, tunc unaquæque per ſe ſatis potens eſt, nec alterius munus præſtat. Ita neque ars unquam ulcus carne implebit, quia eſt officium naturæ: neque natura luxatos artus reponit, vulneriſvè disjuncta labra reducit. Idcirco enim inventa conſtitutaq; eſt ars tot ac tantis majorum laboribus, ut majus quiddã ac excellentius quàm natura pręſtaret. Sic ex auro, quæ naturalis eſt materia, diverſa conficit vaſa, & architectura ex lignis & lapidibus ædes ac reliqua ædificia extruit, quæ architectari natura nunquam potuiſſet. Sic ars medica nonnulla majora, interdum & præſtantiora, gerit, quam natura queat efficere, ut in prædictis exemplis apparet, quia natura inſtinctu ſolo, medicina verò rerum ducatur cognitione ac intelligentia. Unde fit, ut medicus non ſolum naturæ miniſter ſit, ſed interdum adjutor, interdum etiam opifex primarius. Sunt tamen nonnulli

Concluſio prima,
Secunda.
Tertia,
Natura & artis propria munia
Natura ſolo inſtinctu, ars cognitione ducitur.
Medicus interdum nat. miniſt. interdum primarius opifex,

Vitium quorundã. nonnulli quibusdam in rebus artificio adeo addicti, ut dona naturalia contemnant, artificioſa imprudenter ſecuti, ita ut eo ipſo ingrati evadant, & affectati videantur. Solent enim ſenſibus plerumque & mentibus humanis gratiora naturalia eſſe, & ſæpiſſimè placent magis incondita agrorum naturæ ornamenta, altiſſimę arbores, frutices & campi floribus ſine ordine circumveſtiti, quàm elaboratiſſimi horti ab artifice manu perpoliti; & oratio gravis & propria, quàm ornata & compta dictio, quia non ornari ut fœminam, ita etiam naturam interdum ornat.

DE CONSUETUDINE, ET NUM ejus in curatione habenda ratio ſit.

CAPUT. XIII.

Lib. de mot. m muſc. 7. Eth. 10. & lib. de mem. & remin. QUoniam autem Galenus conſuetudinem adventitiam naturam eſſe ſcripſit, & Ariſtoteles conſuetudinem ſimilem dicit eſſe naturæ, & tractu temporis in naturæ habitum verti, unde Ennius poeta inquit:

Uſus longus mos eſt, ac meditatio crebra
Hunc tandem aſſero naturam mortalibus eſſe:

Propterea num conſuetudinis ratio in medendo habenda ſit, meritò venit determinandum. Et meminit Galenus Arij cujusdam Peripatetici, naturâ gracilis, qui cum os ventriculi frigidiſſimum ſortiretur, ita ut ex leviſſima refrigeratione ſingultiret, ob idq; nunquã fuiſſet auſus aquam guſtare, tandem febre correptus & à medicis præter conſuetudinem coactus potu frigidæ uti, ſubitò fuit exanimatus: contrà quàm alij, qui niſi audacter potus frigidꝰ ꝓpinetur, æſtuãt ac periclitantur. Quatuor igitur de conſuetudine ſeſe offerunt conſideranda, quid ſit: circa quæ contrahatur: quæ ſit ejus vis: quando & quomodo mutari debeat. Eſt itaq; conſuetudo, ut ex Ariſtotele colligitur, qualitas ſeu habitus ex frequenti operatione in corpore derelictus, quo promptius agit. Unde liquet, frequentem rerum uſum & operationem non eſſe conſuetudinem, ut quidam putant, ſed conſuetudinis cauſam efficientem. Contrahitur autem conſuetudo: *primò*, circa cibum & potum, ſunt enim conſueti cibi ſuaviores, & facilius feruntur, licet naturâ non ita

Arij Hiſt.

Quatuor conſideranda de conſuetudine. 21 Prob. 14

Conſuetudinis definitio.

Circa quæ contrahantur.

Digitized by Google

ita boni, ut Hipp. prodidit in lib. *de victus ratione*, cujus rei cauſa eſt, quia cibi & potus aſſueti in ventriculo, jecore, & aliis partibus inducunt diſpoſitionem, quæ eſt cauſa familiaritatis, familiaritas ſuavitatis, delectationis, ac facilioris concoctionis, quia non ſolum cibus & potus immutantur à corpore, ſed corpus etiam diuturnitate notabiliter immumutant. *Secundò*, contrahitur conſuetudo circa medicamenta non ſolum alterantia, verùm etiam purgantia, ideo præcipit Galenus non uno utendum eſſe medicamento, ſed diverſis, ne aſſueſcat natura, & vim eorum contemnat: nec ſtandum ſecundum unam medicationem, cum unâ medicinâ, dicebat Avicenna, duplici quidem de cauſa, tùm quia minus imprimit, quoniam ab aſſuetis non fit paſſio: tum etiam quia inter medicamentum & corpus, reperitur proprietas in una hora & non in alia, nec in alio corpore. Quod ſi non recedendum à rectitudine ibidem dixerat, prohibuit utique mutationem medicamenti ſecundum vires, non ſecundam formam, quæ etiam cauſa eſt, cur frequens clyſteris uſus ventrem adſtringat. Sed enim venenis etiam mortales aſſuevêre. Rex Ponti Mithridates venenis aſſuetus, nullo veneno potuit interfici, & Athenienſem vetulam cicutâ nutritam legimus, ac puellam veneno paſtam, ut per eam interficerentur Reges Æthiopiæ, tanto veneno perfuſam, ſi Avicennæ credimus, ut ejus ſalivâ animalia perirent.

Lib. 2. 33.

Circa medicamenta.

4. de ſanit. tuend. 9.

4. 1. 6. 3.

6. 4. tr. 3. c. 2.

Contrahitur inſuper conſuetudo circa facultates animales tam internas quam externas. Nam memoria excolendo augetur, & ingenii exercitatione fiunt homines ingenioſiores: & digiti citharœdi conſuetudine agilius moventur; nec deſunt qui graviores odores vel ſonos audire aſſueti, ex ipſis minus offendantur. *Quid*? quod circa naturales facultates, quod difficilius videbitur, etiam aſſueſcimus. Nam inſtrumenta naturalia propter conſuetudinem alacrius & expeditius ſuas actiones perficiunt. Scimus Ariſtotelem naturalia non aſſueſcere ſcripſiſſe, & experientia docet, quantumcunque ſurſum millies projicias, nunquam lapidem aſſueſcere ſurſum ferri. Verùm ſcire licet, agentium naturalium quædam eſſe, quæ ex frequenti actione aliquid acquirunt, quod actionem immutat. & hæc quidem aſſueſcunt, veluti inſtrumenta naturalia, in quibus naturales reſident facultates, quæ ex frequenti alimentorū medicamentorumvè uſu adſcititiam acquirunt diſpoſitionem, quæ familiaritatis, ac delectationis cauſa eſt. Alia verò ſunt, quæ ex frequenti actione nihil acquirunt, quo poſſint immutari,

Circa facultates animales.

Circa fac. naturales.

2. Ethic. 1.

Agentia naturalia duplicia.

& hæc non aſſueſcunt, ut gravia, quæ tametſi projiciantur, nihil levitatis conſequuntur. *Fit itidem* conſuetudo circa vitalem facultatem, nam qui ſæpè iraſcuntur, ex levi occaſione excandeſcunt, & ſine cauſa. Inſuper circa ſomnum & vigiliam, & omnium exercitationum, & evacuationum genera, ac circa morbos ipſos conſuetudo contrahitur, nam conſueti minus ſunt periculoſi,

Circa vitalem facultatem conſuetudo.

Dignum diſquiſitionē, nec quidem injucundum erit, diſſertare, an contrariis aſſueſcere quis poſſit, quod viſum Hipp. & Celſo, & nobis etiam videtur: non quod contrarii habitus acquirantur, ſed medius, qui nulli extremorum ſit ſimilis, & poteſtate extrema contineat, idcircò à nullo lædatur: quâ ratione temperata corpora non ſolum à temperatis conſervantur, ſed à calidis, & frigidis, ſi adhibeantur ſucceſſivè. Adhæc etiam quia contrariorum uſus robur inducit: Ut cutis, aeri frigido & calido ſubinde occurrens, durior fit & patitur difficilius.

Quæſt. an contrariis aſſueſcere poſſumus.

Magna eſt igitur conſuetudinis vis tàm in conſervatione ſanitatis, quàm in morborum curatione. Abi ad ſenem languidum exercitatum, & juvenem robuſtum diſſuetum, videbis ſenem facilius laborem tolerare. Alios invenies, qui per intervalla diarrhœam, colicam paſſionem, vomitum, aut hæmorragiam ſine ullâ noxâ patiuntur, interdum cum detrimento dimittunt. Ut igitur temperata natura ſervari debet, intemperata mutari: ſic conſuetudo vitioſa mutanda eſt; non tamen tempore ſenectutis, aut morbi; ſed in juventute, & per ſanitatem, ſenſim quidem contraria adhibendo, & viciſſim quieſcendum à contrariorum uſu, ut natura recreetur. Ex dictis liquidò conſtat, quando ſit conſuetudo naturæ anteponenda, quando vero non. Vel enim conſuetudo ſervat originale temperamentum, & tunc eam ſervare, eſt eandem naturam cuſtodire: vel aſcititium inducit, ita ut partes ſecundum qualitates, & ſecundum ſubſtantiam ſint immutatæ, & introductum temperamentum ſit habitus; nec præter conſuetudinem inductam ſit alia natura: Vel adhuc permanet antiquum temperamentū, & conſuetudine inductum in diſpoſitione duntaxat eſt, ac tunc etiam (quod majus videbitur) præferenda eſt conſuetudo, quia novitate vincit, & neque priſca natura, nec vires poſſunt conſervari, niſi ipſa conſuetudo conſervetur, nam quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora, inſuetis minus moleſtare ſolent, diſſueta verò ut plurimum noxia ſunt,

Conſuetudinis vis magna.

Conſuetudo quando mutanda.

Conſuetudo quando naturæ anteponenda.

FOR-

Digitized by Google

FORTVNA CUM ARTE CONfertur,& quid illa ſit explicatur.

CAPVT XIIII.

PEr fortunam varii varia intelligunt, quidam ſit, necne, dubitant: alii ne eſſe quidem exiſtimant, quia divina providentia, ſive Deus ipſe ſit, cujus ſummæ perfectiſſimæq; naturæ nil magis conveniat, quàm ut curâ & tutelâ operis ſui gerere & velit & poſſit: velit quidem, quia optimus eſt; poſſit, quia maximus. De fortunâ verò ſic acceptâ, nos hic non diſputamus, nec quiſquam, qui aliquid habeat, non dicam ſapientię, ſed ſanæ mentis, unquam dubitavit à divina providentia omnia ſupera infera: mortalia immortalia; ſublimia & terrena: animata inanimata temperari, moderari, gubernari: nec artem, ſcientiam, aut naturam cum ipſa poſſe debereve conferri. Aliter fortunæ nomen accipitur, & ab Ariſtotele definitur cauſa per accidens, in illis rebus, quæ per electionem alicujus gratia fiunt: Ita ut ars & fortuna circa idem verſentur, electio vero abſque mente non fiat, quidquid autem à fortuna proficiſcitur, indefinitum, & præter rationem ſit. Eſt enim fortuna quid præter rationem. ratio vero eorum, quæ plerumque aut ſemper fiunt: & plerique, ut ipſe Ariſtoteles refert, hac ratione fortunam eſſe cauſam humanæ menti obſcuram dixerunt, ſed quæ divinum quidpiam atque excellens in ſe contineret, unde factum exiſtimo, ut ab ethnicis pro Deâ coleretur: hanc enim in omni re dominari dicebant, quamvis cuncta ex libidine magis, quàm ex vero celebret, vel obſcuret, propterea Plutarchus: *Fortuna*, inquit, *ſimilis eſt malo certaminum præſidi, nam ſæpe coronat illos, qui non vicerunt*: & interrogatus Chilo, quid eſſet fortuna? ait, *ignarus medicus, multos enim excæcat*, Cicero verò in lib. *de amicitia*, non ſolum ipſam fortunam cœcam eſſe protulit: ſed etiam eos plerumq; cœcos efficere, quos complexa eſt, nec immerito ſic appellatur cauſa illa, quæ cum tantâ ignorantiâ agit: tametſi enim à quibuſdam laudatur, ab aliis nihilominus accuſatur & arguitur, ut volubilis, vaga, inconſtans, incerta, varia, & indignorũ ſæpiſſimè fautrix. Alii qui in ipſius caſtris vivunt, huic omnia expenſa, omnia accepta referunt, & in eorum rationibus ſola utramque paginam facit. Sic prout quiſquam ab illâ affectus eſt, ita aut conviciis, aut honoribus colitur. De-

Divina providentia.

Fortunæ definitio in 2. acceptione.

Fortuna cauſa obſcura.

Fortuna cur Dea appellata ab ethnicis.

Fortuna cœca.

Digitized by Google

De hâc Virgilius XI. Æn.

Multa dies, variuſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna reviſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locavit:

Et Ovidius Metam. 15.

Nil equidem durare diu ſub imagine eadem
Crediderim; ſic ad ferrrum veniſtis ab auro
Secula: ſic toties verſa eſt fortuna locorum.

Et certè, ut ad medicinam tandem deſcendamus, quod ad ipſius medici famam & exiſtimationem attinet, aliquid in ipsâ fortunâ ſic acceptâ ſitum eſſe quibuſdam videtur. Accerſiri enim ad laborantes lethalibus morbis, aut mali moris: vel ad eos, qui cum maximorum ſpecimen exhibeant, & aſſiſtentes magnitudine deterreant, benigni tamen ſint: atque horum alterutrum magnatibus accidere, aut plebeis: aut ſi in ægrotum medicus incidat, qui ſe dicto obtemperantem præbeat, & aſſiſtentes nactus ſit gnavos inprimis & induſtrios, qui præſtò ſemper ſint, & externos maximeque temerarios caſus proviſos habeant, & vitare poſſint, in caſu eſſe videtur, aut fortunâ. Quod vero ad ægrotantis ipſius ſalutem attinet, parum videri aut nihil in ipsâ fortunâ poſitum eſſe: Nam hæc aut illa remedia, hoc aut illo tempore, circa ægrotantis corp⁹ adhiberi, in medici cõſilio eſſe. *Tertiò* modo fortuna accipitur pro naturali quâdam prudentiâ, rerum conjecturis accommodatâ, & hac ratione vulgus plerumque medicos imprudentes vocat infortunatos: prudentes verò, fortunatos atque felices. In ſecundo ſenſu, Diogenes, ut refert Stobæus, dicebat, *malle ſe fortunæ ſtillam, quàm ſapientiæ dolium*: cui quidam ex ſapientiæ ſtudioſis reſpondit: *pluris ſibi eſſe ſapientiæ guttam, quàm fortunæ pelagus*: & ſanè ubi plurimum intellectus eſt & rationis, ibi minimum fortunæ, ut rectè ſentit Ariſtoteles in libro *de bona fortuna*: & Juvenalis, dicens:

Fortuna medici quæ. *Fortuna in ægroti habet dominii.* *Fortunæ tertia acceptio.* *Serm. 148.* *Sat. 10.*

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloq; locamus.

Illud enim plerique omnes fatentur, ubi artificioſæ ſapientiæ plurimum ſit, ibidem non minimũ quoque boni ſucceſſus adeſſe: nam quò quid ad artificii rationem magis accedit, eò plus ab infortunio recedit: & rurſus bona fortuna cum artificii exactâ quadam ratione frequenter conjungitur, quæ tunc maximè ab arte provenit, plurimumque in ſe

Artificioſa ſapientia.

methodi

methodi continet cum rectâ quâdam viâ ac ratione, rerumque ordine inſiſtit; Cum contra in fortunæ caſibus omnia fiant, ubi quo quid temere magis caſu & fortuitò, & abſque omni ratione & conſilio factum fuerit, eò magis ſemper ad fortunam referendum eſſe videatur. Sic Hipp. fortunam aliquid operæ precii facere exiſtimat, ac morbis, qui male curantur, ut plurimum infortunium accedere, qui verò bene, eos bonam fortunam nanciſci: & hanc agnoſcit inter fortunam & artem diſtinctionem, quòd fortuna nullius imperio ſubſit, neque optantis ſit ad ipſam pervenire: ſcientia vero imperata facere cogatur, & ſit facile ipſam feliciter aſſequi, ſi quis ſciens uti velit: Ita quicunque fortunam à medicinâ aut aliâ quâpiam arte expellit, penitus hallucinari: illos enim fortunatè aut infortunatè facere aliquid, qui malè quidpiam aut rectè facere ſciunt. Qui verò medicinam inceſſunt, & ajunt, illos, qui à morbis apprehenduntur, eosque evadunt, fortunæ ope evadere, & non auxilio ipſius artis, ſi per fortunam divinam providentiam intelligant, parum artificioſè loquuntur, cùm nemini dubiam ſit, à primâ & ſupremâ omnium rerum câusâ omnes effectus produci ac dependere: nos vero de ſecundis diſputamus, ut *libro primo* fuſius jam prodidimus. Si vero de volubili & inconſtanti illâ fortunâ intelligant, perversè & malignè judicare ex hoc ipſo apparet, quòd ſeipſos arti & non fortunæ crediderunt. Porro non multum à fortuna ſecundo modo acceptâ Caſus differt, quem etiam aliquid eſſe, & ab ipſo multa fieri Ariſtoteles cenſet: ita tamen ut caſus ad plura ſeſe extendat, & rerum inanimatarum etiam ſit ac puerorum, qui electionem nondum habent: fortunam vero ſolum cerni in iis, quibus competit actio libera, hoc eſt, in hominibus, cum perveniunt ad uſum rationis: caſum vero in cæteris rebus tàm animatis quàm inanimatis. Itaque nec bruta, nec pueros ante electionis uſum, felices dici aut fortunatos, & hic etiam fortunæ nomen interdum ſortitur, & nos ſub fortunæ nomine de eo diſſeremus: Et eſt in medicinâ fortuita remedii oblatio, ut ſors tulit, quæ per ſe nihil ageret, niſi interventu remedii. Diſtat autem ars à fortunâ ſic accepta, ut à temeritate ratio, ac ſi idem ſæpe ſeorſim ab utraque fiat, diverſo id contrarioque modo fit, quippe cum artem raro fine ſuo fruſtrari, fortunam ſeu caſum rarò eundem aſſequi, nemo ſit qui neſciat. Ita intelligendus erit Celſus, cum inquit, *in nullo morbo minus fortunam ſibi vendicare, quam artem*: & ſæpenumero evenire, ut quos ratio non reſtituit,

Hipp. ſententia.

Lib. de arte, & de locis in homine.

In medicinam calumnia.

Cap. 9.

De caſu.

Diſcrimen inter caſum & fortunam.

Caſo quid.

Lib. 3. c. 1. & 9.

P teme-

temeritas juvet: multa enim à caſu fiunt, quæ datâ operâ non contingunt. In quem ſenſum dicebat Theophraſtus: *qui de omnibus rationem quæritant, ſimul cum ratione ſcientiam tollere & rationem petere eorum, quorum neque eſt, neque fuit.* Qui methodum, inquit Fernelius, in omnibus nimis pertinaciter exquirit, pariter cum morbo plerumq; hominem de medio tollit. Vbi certe viri ſapientes per fortunam non intelligunt idoneam adhibendi remedii occaſionem ſeu opportunitatem, quia tunc ſub arte comprehenderetur: ſiquidem artificioſa remedii oblatio non ſolâ qualitate & quantitate remedii conſtat, ſed & tempore oportuno. Hipp. vero & Galenus ſemper rejiciunt fortunam ab arte, non tamen illam de medio aut ipſi, aut nos, ut cauſam ſecundam, omninò tollimus, ſed ad munia tantum ſua revocamus, ne ſe alieno officio arti duntaxat debito admiſceat, cùm tàm longè inter ſe diſtent, ut ubi plurimum unius, alterius minimum ſemper inſit. Quod ſi audiverimus aliquando, fortunam ſanitatem facere, hoc ſic accipiendum erit, ut ſicut à naturâ per ſe, item ab arte quandoque fieri ſanitatem dicimus, ita fortunam id præſtare poſſe concedamus: non tamen ut naturæ aut artis ipſius pars facta ſit, uti apparet in Elephantiaſi laborante ruſtico, viperini vini uſu ſanato: in muliere hydrope laborante, cui ex præcipiti ab alto caſu illiſus fuit venter, & ipſa ab aquâ intercute liberata: In architecto qui ex præaltæ turris lapſu, claudicationis noxâ diſcuſſâ, liberè deinde inceſſiſſe fertur: & altero apoſtemate ventris laborante, qui ab adverſario eâ parte vulneratus, materiâ effluente, ſanus evaſit: & in paralyſi affecto, qui cum diu incedere non potuiſſet, metu & ira perculſus ob ædium incendium, ſubitò recollectis viribus, à morbo liber evaſit, & progredi cœpit.

Meth. 6.

Vbi plurimum artis ibi minimum fortunæ.

Fortuna nunquam fit natura aut artis pars.

Fortuiti caſus.

Epilogus.

Vt igitur, quæ fuſiùs dicta ſunt, ad epilogum revocemus, per Fortunæ vocabulum (quod ethnicum eſt atque profanum) gentilitas interdum divinam providentiam intellexit, quemadmodum & per alias gentilitias voces multa divinitatis attributa, tametſi minus purè, adumbrabat. Si vero pro ſecundâ causâ accipiatur, aut humanam prudentiam, aut caſum innuit, ſæpius verò cauſam quandam ſecundam, obſcuram tamen humanæ menti. Ut enim ab arte ſanitas fit, & à naturâ: ita etiam ab eâ, quam Ariſtoteles ſuperiori definitione comprehendebat, & in illis duntaxat locum tenet, quæ per electionem agunt, & quibus convenit, benè aut malè agere & ſecundum propoſitum, utpote in hominibus.

Gentilitatis mos.

minibus.

minibus, minimè verò in naturalibus. Nam neq; plantæ, neq; animalia à fortunà fieri poſſunt, ſed à naturà, quia non ex cujusque ſemine quodvis naſcitur, ſed ex tali, olea : ex tali, homo. Fuit autē fortunà ſic appellata à ferendo, quòd temerè & ſine ratione feratur. Nobis liceat aut felicitatem appellare, aut caſum, & quos ipſi fortunatos dixerē, nos felices ſive beatos. Quoniam autem hæc rarò, ars verò ſæpiſſimè finem conſequitur : idcirco artē multo plus in morbis valere ſtatuimus, quàm caſum aut fortunam: & rurſus, quia ratio in curandis morbis plus quam temeritas poteſt, ideo etiā medicos ſcientes ac expertos fortunatis anteferendos eſſe decernimus, ut *lib. primo cap. 11.* copioſiùs palam fecimus. *Fortuna rarò, ars ſæpe finem conſequitur.*

AN INTEGRÆ VALETUDINIS medici valetudinariis ſint utiliores; & divites iis, qui tenuioris ſunt fortunæ.

CAPUT XV.

POſteaquam accuratè explicuimus, quinam potiſſimum medici ſint anteferendi, ſenes an Juvenes, ſcientes an experti; rationibus, an auctoritatibus innitentes, & naturæ, an artis ornamentis inſigniti : ſupereſt, ut duo adhuc dubia quam breviſſimè definiamus. *Primum* eſt, an medicus bonæ conſtitutionis valetudinario præſtantior ſit. Præbuit dubitandi occaſionem Plato, qui *in tertio de republica*, medicum eligit, qui ab ineunte ætate præter diſcendæ artis ſtudium, inter plurimos ægrotantes converſaretur, & ipſe omni morborum genere laboraret, naturaque imbecillà eſſet: *neq; enim*, ut ipſe inquit, *corpore curat, ſed animo*. Et ſane, qui ſemper valido fuit corpore, non ita videtur exactè dignoſcere poſſe morborum dolorumq; differentias, nec ægrotantib⁹ condolere, & pleroſq; magnos medicos morbis obnoxios fuiſſe accepimus. Hipp. poſt variam morborum enarrationem de ſe refert, in eos omnes incidiſſe, & Galenus minimè ſalubrem corporis conſtitutionem ab ortu ipſo fuiſſe nactum, Aetius verò in colicos ſe dolores incidiſſe ſcripſit. Quæ omnia licet ita ſint, tamen ad perferendos ſtudiorum & praxis labores, firma requiritur valetudo ab ortu ipſo, & ad exiſtimationem præſertim apud vulgares conſervandam oportet, ut medicus ſui habeat rationem, *3. Pop. 3.* *5. De ſan. &c. lib. 9. c. 31.* *Concluſio.*

Nam qui male ſui corporis curam habet,non videtur cæteros benè curaturus, ut Hipp. ſcribit, unde communiter exprobratur: *Medice cura teipſum*: & inde etiam verſiculus, cujus Galenus citato meminit: *Alios medens: at ipſe ulceribus ſcatet.* Plato verò non videtur reſpexiſſe ad medici doctrinam & decorum, ſed ad experientiam & commiſerationem tantummodo.

Lib. de medico.

Secundum dubium.

Secundum dubium eſt, præſtetnè medicum exilioris fortunæ eſſe, an divitem, quod propoſuit hactenus nemo, quod ſciam, aut determinavit: nos vero ad examen vocamus. Indigentia quidem ad majorem diligentiam facere videtur,ut ſervato ægrotante nomen inde & honorem medicus conſequatur, pluribuſque innoteſcat, à quibus plurimum capiat emolumenti, quod labores allevet atque moleſtias, quas ditiores non ita facile ſubire velint. Adhæc quia difficilimum eſt, opes tueri ſine invidia multorum: quibus autem plures invident, hi ipſorum odia incurrunt, medicus vero ut à multis commendetur, amari ab omnibus neceſſe eſt;nam ut unus aut alter alicujus autoritatis laudator ſatis eſt ad nomen & famam medico conciliandā: ita ſi à quibusdam ſtudio, odio,aut fallaciis vituperetur, cunctis odioſus evadit aut ſaltem in doctrinā ſuſpectus.

Pars affirmativa.

Negativa.

Nec tamen nulla aut imbellia pro altera parte ſunt argumenta: nam opulentia & ad ſupellectilem librorum, & ad ſtudia proſequenda atque adeundos per orbem viros in arte celebres utilior videtur, unde illud:

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Et candidius artem exercere poterit, qui ex lucro non pendet,& quamvis divites atrociora fortaſſis, tamen inopes viliora frequenter committere poſſe videntur ac ſordidiora. Quæ cùm ita ſint, utrumque ſanè & extremā inopiam,& affluentiam divitiarum,acerrimum eſſe apparet mortalibus ad vitia incitamentum: atque adeo alteram veluti Scyllam & Charybdin in rebus humanis, ideoq; mediam vitæ conditionem,& facultatum mediocritatem optabat ſapientiſſimus Rex. Ac certè mediocritas multa arcet flagitia, vitamque facit frugalem, quietam, & jucundam, in quo ſenſu Ariſtoteles nimia civium opulentiā vel egeſtate reipublicæ ſtatum corrumpi dicebat. *Neque enim ditiſſimi*, inquit,*neque pauperrimi ſunt ad civilem ſocietatem idonei*: alteri enim nimis ſuperbi: alteri nimis abjecti fiunt; alteri contemnunt, alteri invident: alteri

Divites atrociora, inopes viliora committūt.

Mediocritas ſecura eſt.
Prov. 30.
4. Polit. 11.

Digitized by Google

alteri imperant,ut domini, alteri parent,ut ſervi: ex mediocribus autem conſiſtens civitas conſervatur, eaque optima eſt, & à ſeditionibus abhorret. Nos ut in hac difficultate aliquid ſtatuamus, præmittimus nec diviti opes obeſſe,ſi eis benè utatur, nec pauperem egeſtatem commendabiliorem facere, ſi inter ſordes & inopiam vitia non caveat, ut enim lingua,ita opes optimæ ſunt, ſi recte utaris,peſſimę, ſi ſecus. Et eſt quorundam error ſive furor, quò minus egeant, plus ſemper habere velle: ac metu egeſtatis ſine termino ac modo ſtudere opulentiæ. Quamobrem non minus divites medici, quàm pauperes lucro interdum inhiant,quia multis egent, qui multa habent, & magna indigentia plerumque naſcitur non ex magnâ inopiâ,ſed ex magnâ copiâ: multa enim deſiderantur ad tuenda multa, cum tamen eis, qui plurima habent, jacturâ potius ſit opus quàm quæſtu. Cum itaque nihil omnino in egeſtate aut opulentiâ ſitum eſſe cenſeamus,quod medicum commendet, tamen illos,qui à bonis & ingenuis parentibus, olim divitibus, ſed ad minores facultates redactis,orti ſunt,eligendos cenſerem, quia innatam habent majorum ſuorum virtutem,& eorundem gloriam ſibi proponunt,ſimulque inopia urget, quæ ad exantlandos labores plurimum facit: nec tamen adeo magna in illis eſſe ſolet, ut ad ſupellectilem & ſtudia neceſſaria deſint, & ſanè hos plerumque vidimus cæteros longo intervallo ſuperare, & ad medicæ artis perfectionem propius accedere: qui ſi progenitores medicos habuerunt, hanc inſuper utilitatem ſortiuntur,ut libros habeant,& à pueritia conſuetudinem rerum medicarum.

Lingua & opum ſimilitudo.

Opulentorũ vitia.

Autoris conclusio.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIUS.

QVÆ POTISSIMVM VITIA MEDICO DECLINANDA SINT.

CAPVT. I.

Prudentia partes duæ.

IAm verò medici gubernationem aggrediamur, quam ſive prudentiam, ſive œconomiam, ſive politiam nomines, non magni refert. Quoniam autem prudentiæ generales partes duæ ſunt, una, quâ quis ſecum prudenter vivit, quam Eremiticam vocant: altera, quâ quis prudentiam exercet circa alios, quam militarem dicunt ſive œconomicam: Nos paulò pòſt, qua ratione medicus ſe gerere debeat cum ægrotis, aſſiſtentibus, & aliis medicis, nec non cum reliquâ multitudine differemus, paucis quibuſdam primum delibatis de prudentiâ ſolitariâ, quâ quis virum bonum ſe præſtat. Turpe enim eſt quempiam multos annos continenter laborare exercerique, ut medicus bonus fiat: ut autem in virum bonum evadat, nil quicquam laboris aſſumere. Porrò Galenus quinque animi affectus inprimis vitandos cenſet, mœrorem, iram, cupiditatem, metum, atque invidiam: qui ſane ſi à reliquis hominibus, à medico multò magis ſunt exterminandi, quoniam multitudini exemplo eſſe debent. Quicunque verò tùm in reliquis, tùm in his aliis permiſerunt, ut de ſe ipſis ferrent ſententiam, & judicarent, qualesnam eſſent, eos utique in pauciſſimis aberrare animadvertimus, ideo vult idem auctor ad hoc, ut unusquisque ſeſe exhibeat dignum, qui egregius ac frugi ab omnibus appelletur, ut aliquem ſibi eligat ex ſingularibus amicis, qui ſingula errata indicet, quemque cenſorem habeat admonitoremque ac vitiorum indicem: à quo magis medicus ſe ſervatum exiſtimet, quàm ſi corpore ægrotantem ſanaſſet. E converſo enim qui ſeipſos optimos exiſtimant, nec de ſe aliis judicium permiſerunt, hos in maxi-

Lib. de cog. curandique animi moribus.

Cenſorem habeat medicus amicum.

maximis rebus hallucinari conſpicimus: quia multi ad ſummum virtutis pervenirent, niſi jam perveniſſe exiſtimarent. At vero quidquid amat, cœcum eſt erga rem quam amat: quivis autem noſtrum ſeipſum maxime diligit: idcirco erga ſeipſum maxime cœcutiat eſt neceſſarium. Nam cum duplicem manticam è collo ſuſpenſam geſtemus, unam quidem ante pectus, alienorum: alteram à tergo, noſtrorum vitiorum plenam, aliena ſpectamus ſemper, propria cernere nunquam poſſumus. Hæc igitur incommoda ut medicus vitet, ante omnia erga numen pietatem exerceat, quod faciet debitum honorem Deo præſtando, amorem, atque etiam timorem: deinde unicuique tribuendo, quæ ipſi debentur, obœdientiam nimirum ſuperiori, concordiam pari, æquitatem inferiori. Ipſe verò medicus mundiciem ſervet cordis, continentiam oris, & corporis diſciplinam, omnium autem maximè ſuiipſius ſe pudeat, nec clàm faciat, quòd palàm pudorem afferre poſſit. Virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit, & ſunt ſcientiæ quaſi faces quædam, quæ neque vitia nec virtutes poſſidentium in obſcuro eſſe ſinunt. Cæterùm ab irâ prorſus liberari, ſimul ac quis velit, non continuò poteſt: comprimere verò illius perturbationis intemperantiam atque inſolentiam poteſt, habens præſertim ſemper ante oculos, quanta ſit eorum, qui iraſcuntur, deformitas animi, quantaque rurſus venuſtas eorum, qui ſine irâ vivunt. Nec minus turpe eſt, ob amorem venereorum, viniq́ue & crapulæ cupiditatem, quæ facultatis concupiſcibilis ſeu appetitoriæ ſunt affectus, indignum aliquid facere, quæ ſanè libido perduci ad obœdientiam non poteſt, quemadmodum ira poterat: caſtigari autem poteſt, ſi rebus potiri ac frui prohibeatur, quarum appetens eſt; nam ſi potiatur, creſcit & fit vehementior. Luxuriam igitur penitus fugiat, nam in moderandâ voluptate ſita eſt continentia, & in laxando frena, ingluvies atque luxuria: vagam igitur peregrinamque venerem prorſus deteſtetur, & omnem petulantiam, quæ homines reddit beluinos ac brutis ſimiles, & animum ſtupidum & ad ſapientiam inertem. Et quis quæſo erit, qui conjugem, filias, & familiam fidat medico petulanti, aut qui alieni cubilis corrumpendi amore ardet?

Duplex mantica.

Boni viri partes. Pietas.

Scientia faces ſunt.

Ira vitanda.

Cōcupiſcentia.

Luxuria.

Decet inſuper medicum moderate veſci iis, quæ ſalubria ſunt: deinde etiam poculis non certare, ſed continenter vivere, & quantò alii plus indies pocula exhauriendo contendunt, tantò ipſe modeſtiâ, probi-

Intemperantia.

probitate, & continentiâ alios ſuperare conetur. Eſt enim hæc concertatio atque æmulatio pulcerrima, neque victoria adeo difficilis. Poſteaquam enim quis deligit optimum vitæ genus, conſuetudo illud jucundum reddit, quantumcunque via ſit ab initio laborioſa & aſpera. Neq; utique eſt ejusdem viri vini copiam ingurgitare, & autores intelligere: nec poſſumus opiparè vivere, bibere ad ſaturitatem, veſte pulla, rubicundis genis incedere, & ſpeculari ingentia. *Triſtitia.* Triſtitia inſuper vitanda, quæ paſſio animalis eſt, media inter iram & timorem, & maximè corpori & animo nocet: nam in mœrore animi dejcitur ſpiritus, ut legimus in Proverbiis: *Spiritus triſtis exſicat oſſa:* Unde Ovidius: *1. de Ponto.*

Vnda locusq; nocent: & cauſa valentior iſtis,
Anxietas animi, quæ mihi ſemper adeſt.

Simile. Nam quemadmodum vermiculi teneris lignis innaſcuntur maximè, ſic dolores mollioribus hominum ingeniis ingenerantur: qui verò ob calamitates tùm animo minimè ſunt triſti, tùm re ipſa maxime reſiſtunt; ij præſtantiſſimi ſunt habendi: quia ut inſipientes tempus, ita ſapientes ratio mœrore liberat, qui ita futura æſtimant, veluti jam accidiſſent: & ut via eligenda planiſſima, ita vita ſemper tranquilliſſima. *Simile.* *1. Confeſ.* Ac, ut cenſet Auguſtinus, ut memoria quaſi venter eſt animi, ita lætitia atque triſtitia quaſi cibus dulcis & amarus, ille autem præferendus. Qui igitur prudentiam conſequi volunt, hi ob nullam rerum jacturam, aut caſum adverſum affici debent. Non tamen volumus, ut omninò affectionibus careat medicus, brutorum more, nec ut rationis expers, ſed tanquam virtutis ac philoſophiæ cultor, ut inquit Epictetus, *rationem pro doloris remedio habeat.*

Metus. Sed enim metus animoſæ partis vitium eſt, quo conſternantur homines periculis, præſertim mortis: qui vero recte philoſophantur, mori ſemper cogitant, & mors ipſis minus terribilis eſt. At timor ex mente Ariſtotelis eſt expectatio mali cujuscunque impendentis, cujus ſecundum Damaſcenum partes ſunt ſegnities, erubeſcentia, verecundia, admiratio, ſtupor, & Agonia, quæ omnia vitia homines vehementer perturbant. Is inter cæteros animi motus proximus eſt triſtitiæ, de eo Lucanus ita cecinit: *3. Ethic.* *Timor quid.*

4. Pharſ.
Multos in ſumma pericula miſit
Venturi timor ipſe mali: fortiſſimus ille eſt,
Qui promptus metuenda pati.

Et

Et ſunt hæc duo vitia triſtitia & timor contraria fortitudini, quæ ſapientes potius decet, ut difficultates ſuſtineant, & impendentibus malis minime frangantur. Cæterùm hæc ſit inſuper præcipua medici exercitatio, ut calumnias & contumelias æquo animo ferat: vix enim ullum genus hominum eſt huic calamitati magis expoſitum: animo igitur ſedato atque compoſito auditis calumniatorum rationibus reſpondere aggrediatur, & cum ipſis quàm mitiſſimè lites ſuas componat. Sed & contentionis & gloriæ appetitiones (nam de avaritia & invidia ſequenti capite diſputabimus) animi plane ſunt affectus, & pertinent ad honorum & gloriæ inſatiabilitatem, quam omninò explodere neceſſe eſt: nam velle omnibus innoteſcere, ab immenſâ proficiſcitur gloriæ cupiditate: velle autem honorari & ſuſpici, ab inani planè & ſtulta ambitione. Nec enim unquam tot innoteſcere poteris, quin multò plures alii te non noverint: præſtat igitur citra cupiditatem gloriæ, honorum, & contentionis, vitam ſine moleſtiâ tranſigere, & hos omnes affectus penitus ab animo diſpungere, ne ſi ulla illorum radix relinquatur, rurſus aliquid pullulet, quod à nequitiâ & pravitate irrigetur.

Fortitudo.

Calumniis medici maxime expoſiti.

Gloriæ appetentia.

AVARITIAM, SUPERBIAM, ET INvidiam vitia eſſe medicis maximè fugienda.

CAPUT. II.

DE his tribus vitiis ſeorſim pertractare ſtatuimus, quia ſunt medicis quibuſdam quaſi congeniti morbi, & hereditarii, ac proinde majori curâ & diligentia indigere videbantur, ut ab eorum animis penitus avelli extirparique poſſent. Sed quænam obſecro expeditior erit curandi ratio, quàm ſi eorum enormitatem (ſunt enim fœdiſſima) ante oculos proponamus? Sic enim Spartani ebriis ſervis in medium productis, filiis ſuis ebrietatem diſſuadebant. Eſt autem Auaritia, græcis φιλαργυρία nuncupata, inordinata habendi cupiditas, & ut Iſidoro placet, *in libr. Etymologiarum* dicitur avarus, quaſi auri avidus. Bion ſophiſta omnis improbitatis metropolin avaritiam eſſe dicebat, quod inprimis animad-

Avaritia quid.

vertere licet in malis illis medicis, qui propriam utilitatem avara quadam crudelitate & crudeli avaritia languentium ſaluti anteponunt.

Quid non mortalia pectora cogis

Vir. 3. Æn. *Auri ſacra fames?*

Sed hi non advertunt, quam ſit gravis theſaurus turpis quæſtus. Socrates interrogatus, qui nam eſſent avari: qui turpia lucra venantur, reſpondit, & amicos negligunt. Periander hominis avari vitam ſilicernio, hoc eſt, funebri convivio aſſimilavit, cum enim habeat omnia, exhilaraturum non habet: & ſunt profecto avari beluis pejores, cùm ipſæ modum habeant, tunc enim rapiunt, quando eſuriunt, prædæ ſatiatæ parcunt: inſatiabilis vero eſt ſola avaritia, non enim deſideratis rebus extinguitur ſed augetur: & unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo poſt cernitur dilatari. Quia

Avaritia inſatiabilis.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Et ut inquit Horatius.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumq́ fames.

Et verò peſtis hæc adeo mortalium mentes exercet ut omnia ſusque deque habeant, parentes, filios, amicos, viduas, pupillos. Nam avaro homine nihil eſt ſceleſtius, avarus ſemper eget. & tam ipſi deeſt, quod habet, quam quod non habet: nil eo turpius, nihil abſurdius, ut videre licet in iis, quæ Lucilius apud Stobæum abſurdiſſima refert. *Phidon quidam avarus*, inquit, *ſuſpenſurus ſe propter ſex chalcos non mortuus eſt, tanti enim conſtabat funis, ſed ægre ferebat ſumptum, & aliam quærebat mortem vilioris precii.* Idem Phidon lachrymabatur, non quia moreretur, ſed quia minis quinque emerat ſepulchralem arcam. Et Hermocrates avarus moriens in teſtamento ſeipſum rerum ſuarum, quibus impenſiſſime adhærebat, ſcripſit heredem. Aulus homo parcus, ut ipſe Lucilius narrat, natam ſibi prolem in mare projecit, cum calculaſſet impenſas, quas viva inſumptura fuiſſet. Sic ſunt avari miſerè interdum ac turpiter excæcati, qui vero juſtitiam, animi magnitudinem, & prudentiam ſequi volunt, hi non ſolum ob pecuniæ cupiditatem quicquam turpe aut indignum nunquam perpetrant, ſed neque ob ullam pecuniæ jacturam mœrore affici debent; quamdiu, quæ reliqua ſunt, ad curandum corpus ſufficiunt. Eſt enim fortunarum primus finis non eſurire, non algere, nec ſitim pati: Quod ſi plures ſuppetant, eas in honeſtos

Hiſtoria de avaris, & actiones abſurdiſſimæ.

Finis fortunarum.

Digitized by Google

neſtos uſus convertere. Præſtat igitur inexplebilem illam habendi libidinem omninò domare, ſiquidem non tantum poſſidere quiſquam poterit, quin adhuc multò plura poſſidenda ſuperſint, & inſatiabilis habendi cupiditas ventriculi voracitati à ſapientibus comparatur, qua plus quam ſatis ſit cibi ingeritur, non tamen nutrit niſi bene concoctus fuerit: bene autem concoquitur, ſi modicus: ſi vero immodicus, morborum cauſa eſt: ita animi inexhauſta cupiditas plura perpetuò expetit, quàm uſus poſtulat, nec tamen unquam ſatiatur: quia homines nunquam ſibi proponunt eos, qui pauciora poſſident, ſed eos tantùm qui plura, quos etiam ſuperare conantur. Eos Lucretius ſcitè notavit, dicens: *Simile.*

Sed quia ſemper aves, quod abeſt, præſentia temnis:

Cum tamen ſatius ſit reliquos antecellere in eo, quod noſtra ſorte ſimus contenti, quod in noſtra manu eſt, quam divitiis eos ſuperare, quod ſæpe non exſiſtit virtutis munus. Nulla igitur in medico, præterquam temporis, animadvertatur avaritia. *Virtus in noſtra poteſtate eſt, divitia vero non.*

Abſit inſuper quam longiſſime à medico ſuperbia, quæ eſt perverſæ celſitudinis appetitus, nec ſibi nimis placeat, nam verè ſcriptum eſt: *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Ut enim rectus excellentiæ appetitus magnanimitatis, ita excedens eſt ſuperbiæ, & deficiens puſillanimitatis. Eſt autem odibilis ſuperbia coram Deo & hominibus, quia ſemper movet & inclinat ad appetitum inordinatum excellentiæ propriæ, dum vel putat quiſpiam, habere à ſeipſo ſolo naturæ bona, ingenium nimirùm, intellectum, memoriam, pulchritudinem, vires, aut ſcientiam & facundiam; vel dum ſibi arrogat ea bona, quæ non habet, cujuscunq; ordinis ea ſint; aut quia alios contemnit, & vult ut ſibi ſubmittantur, quamvis eum præcedant, qui omnes ſunt ſuperbiæ effectus, ad quos illicò ſequitur laudis cupiditas, honoris, famæ, gloriæ, & reverentiæ, in quibus vana gloria conſiſtit: vitium quidem medicis plerisque admodum familiare, qui cum aliorum corpora curare præſumant, ipſorum tamen animi inordinato gloriæ appetitu ſemper laborant: quem ſubinde concomitatur magnum ſymptomatum, vel potius vitiorum agmen, jactantia, hypocriſis, novitatum inventio. Non minus enim peccat, qui novas & inutiles artes invenire præſumit, quàm qui novas epulas, novas veſtes, & novos ludos: ad hæc pertinacia, diſcordia, contentio, quæ non minus vanæ gloriæ pediſſequæ ſunt, *Superbia quid.* *Vana gloria.* *Iactantia & novitatum inventio.*

 quam

Præſumptio & ambitio. quàm præſumptio & ambitio, quarum illa appetitus eſt inordinatus eorum, quæ vires vel merita excedunt; hæc verò honoris: quibus plerunque accedit curioſitas, qua nimis vel immoderatè ſcire contendimus, *Curioſitas.* præſertim ſi cognitionem rerum profeſſioni ſuæ neceſſariarum quis negligit, quo non neceſſarias cognoſcat, ut medicus qui ob ſtudiū Poeſis ignorat artis præcepta. Et quamvis mihi non perſuadeo, cum ſuperbia aut vana gloria ſemper conjunctum eſſe contemptū actualem, ſubjiciendi ſe legi divinæ, ut quidam exiſtimant, tamen medicos, qui audent affirmare, ſe ſanâſſe hosce aut illos, cùm ſolus Deus ſit, qui ſanat languores hominum, ſibi tribuentes ea ſcientiæ dona, relicto ac neglecto eo principio, à quo ſunt, hoc periculo maximè implicatos eſſe cenſeo. *Medicorum quorundam periculoſa præſumptio.* Exemplum habetur in illo Menecrate Syracuſano Philippi Macedonis medico, qui cùm ægrotos quosdam penè conclamatos vel caſu vel arte reſtituiſſet, proindeq; à nonnullis ſubblandientibus Jupiter cognominaretur, elatior jam hoc nomine, ſibique nimio plus placens, nullam accipere ſolitus mercedem, hac tamen mercede contentus erat, ut liberati ſe eſſe illius ſervos faterentur, ut prodiderunt Suidas, & Ælianus *in libro de varia hiſtoria*: Tantaque fuit arrogantia, ut Jovis cognomentum ſibi uſurparit & ad Ageſilaum illum magnū Spartæ Regem ſcripſerit, in hunc modum: *Menecrates Iupiter Regi Ageſilao ſalutem dicit.* *Menecratis medici ſuperbia.* Qui quidem Rex reliquis non perlectis, ſed hominis levitate protinus irriſâ ita eidem reſcribi juſſit: *Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatem:* verbo utens ambiguo, & quod fere ſonat abeſſe mentis ſanitatem. Ælianus autem *Lib. 12. de varia Hiſt.* Regem addidiſſe ſcribit: *conſulo, ut ad Anticyram te conferas*, ſignificans hominem non eſſe ſanæ mentis. Cumque aliquando lautiſſimum convivium inſtrueret Rex ipſe Ageſilaus, aut Philippus Macedo, ut alii referunt, illum invitâſſe, ſeorſimque menſam apparari juſſiſſe, & apponi acerram ſuffitumque fieri, reliquos autem epulari: Menecratem verò primum gratanter ferre, lætarique eo honore, poſteaquam verò paulatim fames obrepſit, & homo eſſe convictus eſt, non Deus ſum, vanus & ſtolidus conſurgens, diſceſſit, Philippo ejus gloriam redarguente, & in lucem proferente. *Democratis dictum contra ſuperbos.* Et ſane in hunc & ſimiles illud Democratis quadrat, qui jam ſenex arcem per quam anheloſus Athenis conſcenderet, ſe facere dixit, quod univerſi cives Athenienſium ſolerent, nempe magnum ſpirare, parùm autem valere. Et certè in arrogantia, quemadmodum in armis inauratis, non ſimilia ſunt interiora exterioribus: illi vero qui ſolida

Digitized by Google

ſolide docti ſunt, tantum abeſt, ut de ſe aliquid glorioſè dicant, ut alio etjam dicente erubeſcant. Qui verò inflantur ſuperbia, vento paſcuntur, unde & Propheta: *omnes*, inquit, *paſtores tuos paſcit ventus*, hoc eſt, ſuperbiæ ſpiritus. Et Regius Pſaltes: *vidi impium ſuperexaltatum & elevatum, ſicut cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus:* Quia, ut eſt apud Eſaiam, *dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur.* Præſtat igitur medicum citra ſorditiem humilitatem ſequi, non quæ oſtenditur aut ſimulatur geſtu corporis, vel fractâ voce, ſed quæ modeſto affectu exprimatur: Aliud eſt enim virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem: & cunctis hominibus ſola perfectio eſt ſuæ imperfectionis cognitio. Adhæc Medicus ſi vult, ut preces, quas ad Deum fundit pro ſuis patientibus, exaudiantur, conſideret illud Regii Prophetæ: *Reſpexit Dominus in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum.*

Humilitas citra ſorditiem commendatur.

Tertium peculiare medicis vitium Invidia eſt, & ipſa quidem deteſtanda, nam medici plerumque aliis inprimis invident aut ſplendidiores conditiones apud principes: aut profeſſionis ſublimiora munia, & doctrinæ nomen: aut frequentiorem uberioremque practicam: aut feliciores ſucceſſus & gratiam apud cives. Eſt autem invidia dolor ex alienis bonis conceptus, hoc eſt, ex proſperitate & fauſto aliorum rerum ſucceſſu. Malum profectò intractabile, & quod omnem feritatem immanitate morum ſuperat: miſeri ſunt ſemper invidi, non ex proprio malo, ſed ex alieno bono, perpetuoque illud in ore habent;

Invidia.

Invidia quid.

Fertilior ſeges eſt, alienis ſemper in arvis,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Econverſò autem eorum felicitas non fit per domeſticum & proprium bonum, ſed per vicini malũ. Ideo Anacharſis ſcitè, cum ex eo quæſitum eſſet, cur ſemper homines dolerent: *quia*, inquit, *non ſolum mala ſua dolent ſed etiam bona aliena.* Et Socrates invidiam dixit eſſe *ulcus animæ*: *vita carnium*, inquit Salomon, *ſanitas cordis: putredo oſſium, invidia.* Et ſanè ut ærugo ferrum, ſic invidia animam illius, cui ineſt, conterit, & invidi ſuis ipſorum moribus conſumuntur. Pulchritudinem gloriæ aliorum, quantum in ſe eſt, citò corrumpere nituntur: honeſta nihilominus, quamvis per invidiam ad tempus obſcurentur, tandem ſoluta iterum clariùs reſplendent, cum majori invidorum dolore: idcircò The-

Themiſto-cles. miſtocles adoleſcens: *nil dum præclari ſe feciſſe* dixit: *nondum enim ſibi invideri:* Nam ſicut vermiculi vegeto maximè tritico, & roſis pulchrè *Simile.* florentibus innaſcuntur: ſic invidia maxime invadit bonos viros, & rebus geſtis aut doctrinâ conſpicuos. *Invidentium mores.* Divitias non miratur alienas, niſi poſt calamitatem jam amiſſas: formam & robur, non niſi poſt morbum: laudat & defert gloriam & doctrinam poſſidentis poſt mortem. *Invidia ſimilis Ophthalmiæ.* Reſiſtit enim vivis ſemper, defunctos, ut qui jam neminem impediant, benevolentiâ colit: Ophthalmiæ ſimile vitium: ſicut enim hæc omnibus rebus immodice ſplendidis & lucidis offenditur & læditur: ita invidia aliorum bonis ſecundisq; rebus cunctis exacerbatur atque tabeſcit. Ut enim Horatius inquit:

Invidus alterius rebus marceſcit opimis:

Libentiùs lugentem ſolatur, quam gaudenti collætetur invidus, cujus ſolatium eſt in ſummo mœrore & dolore, quo cruciatur, videre eum, cui invidet, de gradu felicitatis in miſeriam ruere, verum cum maximo ſuo cruciatu invidendo non ſolùm non lædit, ſed plerumque clariorem & felicioren facit eum, cui invidet, ſibi enim plurimum, cui autem invidet, nihil omnino nocet. *Simile.* Nam ut viperæ dicuntur rupto matris ventre naſci, ſic invidia concipientem ſe animum rodit & corrumpit, & omnia proximi bona, quæ per ſe lætitiæ materiam præbent, invidum dolore opprimunt. Simulat tamen gaudium, & ſecum tacitè rumpitur, quia magnus eſt ſimulator, & vir duplex, nam & ſimulatio invidiæ fructus eſt. *Invidus puſillaminis eſt.* Ad hæc puſilli animi eſt invidus, anguſti cordis, & vilis ingenii atque abjecti, invidendo enim aliis oſtendit ſe illis inferiorem eſſe, & ſuam ſorditiem ac tenuitatem prodit, quia quod invidet, non habet, & habere vehementer concupiſcit. Quia invidere nemo ſolet niſi ei, quem ſe in aliquo meliorem putat.

Invidia inter quos. Cæterùm naſcitur invidia ut plurimum inter eos, qui ſunt ejuſdem nationis, ejuſdem ætatis aut profeſſionis, juxta illud Salomonis: *zelus hominis ex ſocio ipſius*, quod profectò ita eſt: Non enim Perſæ invidet Gallus, aut Afer Germano, ſed ſuæ genti quilibet: & in eadem gente non ignotis, ſed familiaribus & vicinis, aut ejuſdem artis hominibus, aut aliâ de causâ conjunctis, coævis, cognatis, aut amicis.

Invidia ab odio qui differat. Porro vitium hoc, quod odio ſimilimum videtur, ab eo tamen multis rationibus differt, ut Plutarchus in libro *de invidia* diſſerit. *Primò*, *1.* quia malitia hominum generat odium: contrà bonorum abundantia creat

creat invidiam : itque malum eſt cauſa odii, bonum vero invidiæ. *Se-* 2.
cundò, odium concipitur etiam in bruta : at invidia ſolius hominis ad- *Invidia ſo-*
verſus hominem eſt. *Tertio*, odium ſæpe juſtum eſt, utpote odiſſe im- *lius homi-*
probos, unde illud pſalmiſtæ : *nonne eos qui oderunt te oderam, & ſuper ini-* *nis.*
micos tuos tabeſcebam (perfecto odio oderam illos) at invidia nunquam juſtè *Pſ. 138.*
ſuſcipitur, nec ut res juſta laudari poteſt, ideo nemo fatetur, ſe invidere aliis, ſed quantum poteſt invidiam, metu, irâ, aut odio celat. *Quartò*, ta- 4.
lem eſſe, ut ei invideatur à multis, laudabile ducitur, ideo quidam præclare agens dicebat : *ſpero invidiam*. odioſum verò ſeu dignum odio eſſe, ſemper turpe cenſetur. *Quintò*, extrema malitia nihil minuit odium, 5.
ſed auget : proſperitatis vero exceſſus non auget invidiam, ſed plerumque penitus extinguit, unde ſolemus dicere, aliquem ſuperaſſe jam invidiam, hoc eſt, ad ſummum gloriæ perveniſſe. Nam ut ſol quorum per verticem tranſit, in eos defuſo lumine aut exiguam aut nullam um- *Simile.*
bram facit : ita qui proſperitate elati ſupra caput æmulorum eminent ſplendore ſuo obruunt & offuſcant invidentiam. *Sexto*, adverſæ res 6.
invidiam tollunt, aut certè diminuunt, quia nemo invidet miſeris & calamitoſis : odium vero neutram fortunam relinquit. *Septimò*, odium 7.
tollitur, ubi quos ut malos oderamus, bonos eſſe, aut ab eis non eſſe nos læſos intelligimus, vel ſi ab iiſdem inſigni aliquo beneficio afficiamur, ultima enim gratia tempeſtivè inita ſolet majus etiam crimen diluere : quæ tamen omnia non prohibent ſed magis augent invidiam, & ægrè invidus fert, indigere beneficentiæ aliorum. *Octavo*, ejus, qui odit, ani- 8.
mus eſt malè facere ei quem odit, eſt enim odium animi affectio pro- *Odiū quid.*
poſitum habens malefaciendi : hoc autem ab invido interdum remotum eſt, multi enim domeſticis ſuis & familiaribus invident, propter excellentiorem conditionem, quos tamen perire aut vehementer conteri nol-
le it. Liquet ex dictis invidiam mixtum eſſe vitium, & morbum compo- *Invidia eſt*
ſitum ex odio, diſſimulatione, ſorditie ſeu auaritia, puſillanimitate, men- *vitiū mix-*
dacio, & ambitione, atque adeo contrariā amicitiæ, liberalitati, veritati, *tum multis*
magnanimitati, atque prudentiæ. *aliis.*

Hujus autem ſive tabis ſive peſtis atrociſſimique mali remedium potiſſimum, uti diximus eſt, ſubjecti & animi, cui inhæret, ſeu domicilii *Invidiæ do-*
ipſius lugubrem ſitum cognoſcere, quod ita deſcribit Ovidius: *micilium.*
2. Metam.

Protinus invidiæ, nigro ſqualentia tabo,
Tecta petit, domus eſt imis in vallibus antri

Abdita

Abduta, ſole carens, non ulli pervia vento:
Triſtis, & ignavi pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.

Et paulò pòſt oſtendens, invidiam non ſolum animum invidentis vehementer conturbare, ſed foras etiam erumpentem corpus ipſius inſigniter deformare & affligere, ejus faciem ita accuratiſſimè depingit:

Invidiæ facies,

Pallor in ore ſedet, macieſq; in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores,
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitq; videndo
Succeſſus hominum carpitq; & carpitur unà,
Suppliciumq; ſuum eſt.

Alterum remedium contra invidiam. Medicorum quorundã vitium. Prover. 28.

Quis igitur ſit, cui mens integra, & invideat tali domicilio, aut adeò horrendo aſpectu præditus eſſe velit? Alterum remediũ eſt virtus ipſa, & contemptus bonorum externorum · deinde nihil præter modum admirari. Medico vero, nec inanis gloriæ flagrare deſiderio, aut pecuniæ: nec exiſtimare tantò minora ſibi fieri bona, quantò pluribus dividuntur: hoc enim pede maxime videntur claudicare, & ideo non amant ſocium in culina, de quibus Salomon dixit: *Vir qui feſtinat ditari, & aliis invidet, non erit innocens:* & Menander:

Nunquam vir juſtus dives evaſit citò.

Tertium remedium.

Deniq; ut medicus perniciosiſſimum hoc malum vitet, nunquam occaſionem ullius mali cuiquam præbeat: optet omnes felici frui fortuna: nulli verò ex iis, cui proſpera contigit, invideat: neque quiſquam eorum, qui fortunati habentur, attonitum eum faciat aut triſtitia afficiat.

QUIBUS

QUIBUS VIRTUTIBUS MEDICUM inprimis præditum eſſe oporteat.

CAPUT III.

QUanquam nec vitia in univerſum inſectanda: nec virtutes pertractandas ſuſcepimus, tamen vitiis breviter appunctis medico fugiendis, eas etiam virtutes, quæ adoleſcenti futuro medico ad bonum nomen apud omnes comparandum, & tuendum locum, ad quem adſpirat, neceſſariæ viſæ ſunt, curſim adumbrabimus. Et ut ſummatim dicam, requiritur in medico prudentia, circumſpectio, providentia, cautio, perſpicacia; deinde etiam continentia, ſobrietas, manſuetudo, modeſtia ſive moderatio, decens ornatus, & quæ ludis & jocis modum ponit εὐτραπελία adhæc taciturnitas, veracitas, gravitas, magnanimitas, liberalitas & honeſtas: ac inſuper amicitia erga notos, erga ignotos affabilitas, civilitas, & decorum ſecundum ætates, ſexus, ac perſonas. Quarum virtutum contraria vitia ſunt, imprudentia, ſtupor, præcipitatio, inimicitia, aſtutia, curioſitas, & omnes demum exceſſus tàm voluntatis, quàm appetitus, ſive iraſcibilis, ſive concupiſcibilis, medico perinde ac exitialis peſtis fugiendi, de qua re conſulendi ſunt morales ſcriptores, præſertim Plato, & Ariſtoteles, Plutarchus, & Seneca, ex quibus Platonis philoſophia meritò nobilium paſſim dicitur, Ariſtotelica vero cultiorum literarum; uterq; vero magiſter diſcendi jure nuncupatur: at Seneca & Plutarchus inter Ethicos magiſtri ſunt operandi & bene vivendi. Ante omnes vero ſacra volumina diurna nocturnaque manu ſunt evoluenda ei, qui ad virtutem prudentiamque contendit, ex quibus facile diſcet, oportere virum bonum & medicum prudentem cogitationes habere divinas, pavidas, pias: ſermonem modicum, honeſtum, verum: mores graves, benignos, alacres: victu uti temperato, convenienti, frugali: veſtitu mundo, honeſto, ac decenti: jocis liberalibus, brevibus & raris: quibus utilia opera ſemper adjungat, adque omnia exequenda plurimum faciunt,

Catalogus virtutum med. neceſſ. — *Vitia contraria.* — *Morales ſcriptores.* — *Platonis philoſ. nobilium, Ariſt. cultior. literar.* — *Sacra biblia.*

Mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena.

Cæterum ut eorum, quæ dicta ſunt, quædam breviter percurramus, ſit medicus erga omnium ordinum homines comis & hoſpitalis, affinibus

Præcepta vivendi.

& conſanguineis facilis, reliquis cum gravitate, ſed ſine moroſitate urbanus, languentium mœſtitiam placido & leniente ſermone relevet: minimè ſit amarulentus, ſed ad ſui ſimiles ſolers, familiaris, & affabilis, auctoritatem ſine faſtuoſo geſtu repræſentet. Nil fictum, nil ſimulatum in ipſo ſit, nil humile, nil dejectum, ſed ſublimem ferat animum ſupra omnes fortunæ minas: ipſi vita ſtudia ſint: deliciæ vero meditatio: divitiæ ſcientiæ: virtus nobilitas. Hilarem in pectore virtutem geſter, ſui ſemper ſimilis, propria ſatagens, ſua cæteris relinquat. Non credat, quidquid audit, nec plane fidem abroget aliis: nec dicat, quidquid ſcit: nec faciat, quidquid poteſt, ne ſi vires ſuas ultimo conatu intendat, minores experiatur, quàm putaverat. Fallere exigit neceſſitas, aut falli patiatur potiùs, quàm faciat ſcelus: bono malum vincat, ratus ſeipſum vincere magnam eſſe victoriam. Nunquam inſidioſè agat: amet deſideretq; ſola bona: quæ vero ſunt pravæ cupiditatis, nec per errorem contingere optet: forum vitet, & honorum inanes turbas: Non quærat curioſa, & acuta futiliavè, ſed quæ optima ſint, & quibus perceptis uſui eſſe queat, ideoque converſetur aſſiduè cum prudentibus, & cum iis, à quibus diſcedat aliquid boni adeptus: nec adverſa moleſto animo ferat: quis malus ſit & quid ab horum quovis patratum non curet: norit autem bonos, eoſque ſectetur. Nil quicquam debeat, ſin eò adigatus, quamprimùm liberari properet. Laudet bonos candidè, & linguam obtrectatricem exoſam habeat, malos toleret, minoribus indulgeat, pares ferat, ac majoribus cedat, & quod ab aliis expectat, idem promptiſſimè præſtet, ſingulis & cunctis prodeſſe ſtudeat, nocere autē nemini. Cum conjuge in maximâ vivat concordiâ, hoc enim ad dignitatem & bonum nomen plurimum facit. Adverſus alios non ſit iræ tenax, & offenſionum, ſed ad concordiam facilis: qui enim multos habet adverſarios aut offenſos, non poterit plurimis eſſe gratus, nec ſubinde à multis extolli & laudari, nil igitur tàm medico conducit, quàm ut ſit omnibus acceptus. Nec à familiaribus unquam diſſideat: ſin diſſidium intercedat, quamprimum reconcilietur. Demum litium & diſſenſionum partes ſemper fugiat, ac ſit ad ſeditiones taciturnus, & ad concordiam, ubi cum honeſtate poſſit, ſeſe interponat, diſſidentesque reconciliet, ita utramque partem ſibi devinciet: amicos tamē in periculo exiſtentes non deſtituat. Ad reſponſiones appoſitum eſſe oportet, gravem adverſus reſiſtentes, ad ſermones expeditum, ad occaſionem arripiendam

Medicus nil debeat.

Cum conjuge placide vivat.

Seditiones vitet.

piendam accommodatum, ſuavi eloquentia præditum, gratiis affectum, ad veritatem & demonſtrationem audentem & confiſum. Contendere tamen intempeſtivè cum amicis prudenter caveat, ne contra, quàm ſentit, ſtudio vincendi contentionem foveat, & cum jactura veritatis decipiat diſputantem: aut non citra ſcandalum ad contendendum ſtimulet. Non ſit ſuperbus medicus, ſed pauperes & divites, ſervos & liberos, cujuscunque nationis, pariter curet, una enim apud omnes eſt medicina; domos autem, quas ingreditur, ita ingrediatur, ut ante oculos habeat curam tantummodo laborantis: ea verò, quæ in domibus aguntur, & dicuntur, tanquam myſteria cælanda exiſtimet, ſic ſibi & arti ampliorem laudem acquiret. Denique cum artis perfectione conveniat probitas morum, ut enim ex Eraſiſtrato Soranus refert, feliciſſimum quidem eſt, ut & in arte ſit perfectus medicus, & moribus optimus: ſi autem unum de duobus defuerit, melius eſt modeſtis moribus, quod in arte deeſt, repenſare, quam morum culpa perfectam artem corrumpere & improbare. Omnes igitur affectus moderandi ſunt, non enim in hoc, ut eximantur dolor & voluptas, virtus conſiſtit & vertitur, ſed in hoc, ut apti congruique reddantur hi affectus: quemadmodum nec ſanitas ſita eſt in auferendo frigidum, calidum, humidum, & ſiccum: ſed in eo, quod iſta omnia temperata inſideant: maxime autem vitet medicus malitiā, luxum, & feritatem, nam per hæc tria homines pravi fiunt: ſe mutuò autem injuria afficiunt lucri, voluptatis, & ambitionis cauſa: totius vero animi ornamentum eſt juſtitia, & dolos facile excogitant injuſti, ſapientia verò ſimilis eſt arti, vitium corruptelæ & artis depravationi. Non tamen deterreri quempiam oportet, quo minùs ſeipſum conetur meliorem facere, etiamſi jam ſenio confectus, ſentiat ſibi animum vitio ferè inmedicabili deformatum, & exiſtimationem ſui minus ſplendidam: etenim ſi jam tum ſupremam illam animi excellentiam & probitatis opinionem ſingularem aſſequi perfectè non potuerit, at certe poſt ſupremos illos ſuum etiam locum inter ſapientes & bonos obtinebit.

Contentio. jus non ſit.

Superbus non ſit.

Nec quicquam revelet.

Moderatio.

Simile.

Sapientia arti ſimilis, vitium corruptela.

Digitized by Google

DE MEDICI AMICTU, VULTU & ad ægrotantem ingreſſu.

CAPUT. IIII.

Elegantia.

POſtulat rerum ordo, ut medicum ita inſtitutum decenti veſte ornemus: ac ejus vultum accurate delineemus, non fuco ullo quidē, pigmentis, aut lenocinio, ſed iis indiciis, quę verè poſſint compoſitum animum, & reconditam ſapientiam demonſtrare. Huc pertinet elegantia à quâ gratioſi Aſclepiadæ olim, hodiè excellentes appellantur medici, & artificem exterius ornat. *Veſtis*, inquit, Hipp. *ſit ſuccincta, diſtincta, aquè ſimiliter in cubitus atq; humeris.* Hodiè verò mediocris convenit, & neque valde ſumptuoſa, comptula, aut luxurioſa, ut arrogantiam indicet, qualis in quibuſdam locis medicis in uſu eſt: neq; ſordida & nimium vilis, ut in aliis civitatibus, ubi medici nō tam cynici videntur philoſophi, quam ſimici. Nam mediocritas pluribus ſemper gratior eſſe ſolet, niſi æger ipſe immoderatiùs aut precioſa veſtimenta amet, aut ſordidis oblectetur, tunc enim à mediocritate ad id, quod ægroto magis placeat, deſcendito, alias ſive pedes medicus incedat, ſive mula equitet, quod auctoritatem magis conciliat, non ſordidè aut minus lautè, ſed ex fortunis petito ornatu incedat, in quo minime excogitatus apparatus conſpiciatur, neque ſuperflua curioſitas, qualis eorum qui fora frequentant, & in circulis verſantur civitatum. Ex veſtitu enim & decenti ornatu, ad modeſtiam non ſuperfluitatem parato, ſed magis ad bonam opinionem & meditationem, animus cognoſcitur intra ſe compoſitus: tametſi ſicut veſtis (uti dici ſolet) monachum non facit, ita neque medicum quamvis ſplendiſſimè ornetur, ſæpiſſimè enim ſub hujusmodi habitu ineptiſſimi homines & præſtigiatores latitant. Nec propterea volumus, ut humili omninò utantur veſte, nam ut conditio exigit, unusquisq; veſtiendus eſt, nobilis aliter, quàm plebeus: & medico veſtis debetur decora, qualem dignitas ſua admittit: Comitatum vero & pompam diſcipulorum profeſſoribus academicis: diplomatum oſtentationem, agyrtis relinquat.

Veſtis. Lib. de off. med. 10.

Ex veſtitu cognoſcitur animus intus.

Comitatus & diplomata

Tonſura.

Tonſura optima fuerit, ſi ad capitis ſanitatem conſervandam fiat, & quamvis principibus non omnibus idem tonſuræ genus placeat, tamen medicus nec ad cutem uſque detonſus ſit, neque comamanurioſè nimis

nimis nutriat. Antonino imperante omnes ejus familiares abraſi videbantur, ut illum imitarentur: & cum Lucius poſtea eos mimos appellaret, comam nutriverunt. Præterea manus quam puriſſimas medicus habeat, & faciem & pilos in barba & capite; ungues vero non ſint longiores digitorũ ſummitatibus: Chirurgo neque etiam breviores eſſe decet, & digitorum elegantia ac ſubtilitas conveniens eſt, ut ſuavis omnibus videatur, & in tangendo ſubtilior appareat. Horum enim omnium modus decens aſpectantibus jucundus eſt. Figuram quidem faciei habeat meditabundam ac ſubtriſtem, non tamen amarulentam, contumax enim eſſe videbitur, & omnes odio habens: qui verò in riſum exſolutus eſt, ac nimium hilaris, oneroſus interdum judicatur, unde illud: *medicus garrulus ægrotanti alter morbus*. Totius verò corporis geſtum neque humilem præ ſe ferat, ut contemptum mereatur, neque faſtu quodam atque arrogantia turgentem, ut invidiam ſibi conciliet. Ab odoribus & unguentis abſtineat, quanquam non ſuſpectum odorem habentibus uti poterit; corporis tamen univerſi odor, & oris præcipuè, ſi à natura putidus ſit, emendetur, & ſunt, quibus per incuriam teter halitus accedit, cum cæpas & allium redolentes ægros viſunt, quod Quinto medico Romæ contigiſſe refert Galenus, qui à prandio benè potus, vini odorem ſpirans primarium civem febrientem & capite dolentem inviſit, qui odorem ægrè ferens, ut paulò longius recederet, rogavit: cui ille ſtolidè reſpondit, odorem æquo animo ferret, nam & ſe quoque ægrotum ex febri malè olentem ſuſtinere. Et de altero narrat, cui in Aſia axillæ adeo fœdum odorem exſpirabant, ut nullus elegans vir ægrotans ejus acceſſum ferre poſſet, oportebat igitur eum prius ſuo ipſius ſymptomati mederi, atque ita ad alios curandos ſeſe accingere, ne vulgatum illud ei objiceretur: *cura teipſum*. Et nos aliquot medicos etiam Regios eodem vitio laborantes cognovimus, & de defectu admonuimus, propoſito etiam remedio, quod ipſi candidè & gratè ſuſceperunt: ſiquidem omnia hæc ſymptomata ad mediocritatem quandam redigi poſſunt, aut purgatione convenienti, aut ſi quotidiè amomi vel folii malabatri, aut cardamomi pauxillũ ore teneat, ac deinde ad ægrotos ſe conferat medicus: potiſſimum vero Betle Indicum ſuaviſſimum excitat odorem. Quæ tamen omnia, & præſertim ambra, moſco, aut Zibeto delibutas chirothecas deponat, ad ſtrangulatione ex utero vexatas accedẽs medicus, nam ex harum rerum odore facilè excitatur ſymptoma, aut ſi

Mundities. *Figura.* *Geſtus corporis.* *Odores.* *Quinti medici hiſt. 6. Epid. 4.* *Hiſt. alia.* *Ingratum odorem emendantia.* *Betle.*

jam adſit, ingraveſcit. Nec deſunt qui viro gravi indecorum eſſe putent moſcum, ambram, & ſimilia quaſi muliebria redolere.

Introitus ad patientem.
Bis in die viſitetur patiens.

Introitus ad ægros placidus eſto, iſque nec nimis frequens, nec admodum rarus: id fiet, ſi bis in die accedat, tametſi nonnulli ægri à ſæpius viſentibus afficiantur moleſtia: alii crebro ſe inviſi magnopere lætantur, & medici non aliter quam Angeli cujuſpiam adventum expectant. Acceſſum igitur ſuum moderabitur ſecundum ægrotantis affectionem, & ſemper gravitatem quandam adjunctam comitati retinebit, ex qua intelligi queat, languentis ſalutem maximæ ſibi curæ eſſe. Meminiſſe inſuper in ingreſſu oportet, & ſeſſionis, & auctoritatis, & breviloquentiæ, & reſponſionis ad ea, quæ occurrunt, ac promptitudinis ad miniſteria, ut nihil tamen cum perturbatione fiat, viſitabit, diligenter iis occurrens, quæ per errorem fieri ſolent. Quidam tamen ſunt medici, qui maximè contra hoc præceptum peccant, & eò uſque inſaniunt, ut etiam in dormientium conclavia pedibus ſtrepentes, aut vociferantes ingrediantur: ob quæ expergefacti ægroti illis iraſcuntur, & maximè ſe eſſe læſos conqueruntur. Providere igitur debet medicus, ut neque intempeſtivè accedat, neque petulanter, aut cum ſtrepitu, garrulitate, elatâ voce, aut inceſſu, aut aſpectu, aut alio quovis modo indecoro: quidam enim extenti ac patentes introeunt ac ſedent: nonnulli fracti & molles: alii incurvi & abjecti, qui omnes exceſſus devitandi ſunt, & inter eos mediocrem eſſe tentandum eſt. Jam verò ſermones cum ægris rectè à medico inſtituantur, ſintque graves ac ſine ſolœciſmis, docti, non agreſtes, neque ſtolidi, ſemperq; monendi ægri, ut bono animo ſint: quidam ſummè fatui ſunt, qualis ille Erophilei medici, qui ægroto interroganti, *moriar*? hoc carmen reſpondens ſuccinuiſſe fertur:

Sermones. Gal. 6. Epid. 8.

Et Patroclus obiit, qui te præſtantior ipſe.

Et Calionates medicus ab ægroto ſimiliter interrogatus, *moriar*? reſpondit, *pulchra de ſtirpe creatus, ni te Latona creaſſet.* Novi ego alterum, qui cum una mecum ad patientem medicum etiam ingrederetur, & ille laborioſè noctu dormiviſſe diceret, recitavit alta voce Hipp. aphoriſmum: *ubi ſomnus laborem facit, mortale.* Meritò igitur commendavit Hipp. circa ægrotantem œconomiam, atque in morbo interrogationes, quæ narrat, qualia & ut accipiendi ſermones. Nam ægroti ſemper ſunt puſillanimes, & ſuſpicioſi, & multi medici adeo imprudentes & loquaces,

Fatua quædam oſtentatio. 6. Epid. 2. 30.
Ægri puſillanimes ſunt.

quaces, ut quidquid in mentem venit, narrantes commiſceant triſtia & atrocia, unde ægroti in triſtitiam aguntur, & de ſuo morbo periculoſius aliquid cogitant, timentes ne id, quod narratur, ſimile quidpiam ſit ei, quod ipſi patiuntur: & ſæpe aliorſum ægri ſermones, ac dixerant medici, transferunt, ut ſi medicus, accidiſſe quendam ex potu aut cœnâ intempeſtivâ graviter læſum eſſe dixerit, ut æger melius ſibi caveat: & ægrotus interpretetur, dictum hoc eſſe, ut ſe graviſſimè jam & lethaliter affectum eſſe ſignificaretur. Videat ergò medicus, quæ & qualia loquatur, & ut accipiendi ſint ſermones: conſideret, quæ ad languentem, quæ ad aſſiſtentes dicere conveniat: ad medicum enim ſpectat, utrumque ſui officii admonere, non tamen eadem utriſque ſignificare, ſed illum exhortari, ut juſſis pareat, hos ut diligenter ea exequantur: illi proſpera polliceri, his certiora dicere. Itaque ipſo audiente ægroto, nunquam periculum ſignificet, etiamſi res planè ſit deſperata, plurimum enim juvat, ad majorem medicinarum operationem, ſi firmam ſalutis ſpem infirma concipiat languentis mens.

Sunt præterea medici nonnulli, qui aſperè erga laborantes ſe gerunt, & cum illis rixantur acerbè, nec norunt eorum inobœdientiam reducere, & moroſitatem quodammodo ſublevare, qui propterea ipſis odioſi ſunt: ſicut alii è contrario ſerviliter adulantes, ob idipſum contemptui ſæpè fuerunt. *Eſto igitur*, ut inquit Galenus, *terminus in medicando, quem non tranſibit is, qui ex arte generosè contra morbum pugnat, ut tutò medicetur: eius verò, qui dolorem ſedat, ut vires cuſtodiat: ubi ultra pergitur, crudelis hominis officium facit, qui una cum morbo vitam quoque homini aufert: qui vero cubantis delitiis ſubſcribit, adulatoris.* Et certè, quemadmodum ægro medicum odioſum videri non convenit, ita neque contemnendum, ſed humanum, moderatum, & ſuavem: niſi enim medicum æger, uti numen quoddam, admiretur, nunquam illius præceptis obtemperaverit; ideoque aſpectu, voce, corporis habitu, & actionibus gravitatem, uti diximus, retineat, ægrotantemque præceptis morem gerere præcipiat, ut infrà docebimus. Quæ verò ſuperius dicta ſunt, cuncta Hippocrates comprehendit his verbis: *Introitus, ſermones, figura, veſtis ægrotanti, tonſura, ungues, odores.* His enim omnibus apud vulgus captatur opinio.

Aſperitas deponenda.

MEDI-

MEDICI PRIMUS ACCESSUS AD ægrotum: quæque in ipſo circumſpectio, cautio, ſolertia, & providentia ſervanda ſit.

CAPUT V.

PRÆDICTO jam modo medicus ad patientem accedens, nec in tenebris, nec à capite ægri reſideat: ſed illuſtri loco adverſus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis percipiat. Tunc deindè ſilens oculos in terram vel ægri vultum prudenter defigens, placidè ſalutans aſſiſtentes, & compellans patientem, multiplici interrogatione ad ægrum & aſtantes facta (ſolet enim vulgò dici, inviſos eſſe percontatores exceptis medicis) celeri cogitatione communes illos percurrat ſcopos, ſexum patientis, ætatem, temperamentum, anni tempus, aeris conſtitutionem, corporis habitum, virium robur, conſuetudinem, vitæ inſtitutum, morbi naturam, ipſius cauſam, & ſymptomata, quæ omnia trito hoc diſticho comprehendi ſolent:

Scopi 13. à quibus indicationes ſumuntur.

Ars, ætas, forma, regio, complexio, virtus,
Mos, & ſymptoma, repletio, tempus & uſus.

Quod ſi primâ illâ acceſſione ad ægrum, morbi & reliquorum exactam notitiam adipiſci nequeat, alterâ ſaltem aut tertiâ perfectiſſimè intelliget, nam qui harum rerum ignarus ad quartam diem accedit, non medicus ſed molaris lapis à Galeno judicatur. Poſteaquam igitur patienter audiverit languentis querelas, & aſſiſtentium relationem, forma decubitus erit conſideranda, ac reſpirandi facilitas, & an ſtertat, vel anxius ſit. Tunc jam prudenter quærat, an morbus cum rigore, frigore, horrore, pandiculatione, aut oſcitatione invaſerit: & an calor immodicus aut ſudor aliquis fuerit ſubſecutus: quamdiu jam ægrotaverit, quo cibo uſus ſit, antequam in morbum incideret, nunquid qualitatem habuerit prædictum morbum excitandi: totaque anteacta vita an ſedentaria fuerit, vel laborioſa: appetatnè, an cibum faſtidiat & ſitiat: vomuerit, an ad vomitum propenſionem habuerit, aut mordicationem oris ventriculi, vel palpitationem cordis, maximè ſi fuerit fœmina, tumq; etiam

Quærenda ab ægroto.

etiam accuratè ab aliqua ex adſtantibus fœminis ſenioribus voce modeſtâ, aut ſeorſim de menſtruis interrogabit. Præterea an alvus reſpondeat, aut etiam immodicè fluat: an nimium biberit vel comederit: adſitne vigilia, diſplicentia, inquietudo, aut mentis læſio aliqua, quam itidem ex ſermone deprehendet, ſi aliud pro alio reſpondeat: adhæc numquid doleat parte aliquâ corporis, præſertim capite: & an tumorem vel duritiem ſentiat hypochondriorum: ſuppreſſanè fuerit aliqua conſueta evacuatio: tuſſiatnè nilque effatu dignum ejiciat: an dyaliſmo, ſeu nimiâ ſalivatione vexetur: deinde ad linguam inſpiciendam ſe convertat. Et an aliqua præceſſerint indicia, quærat, eaque cum illis, quæ medicus antequam ægrotus narrarit, collegerat, conferre oportet.

Pulſus attrectatio. Tunc vero vultu maturo, & ad meditationem compoſito, ac ſolicitâ quâdam deliberatione pulſum utriusque brachii quatuor ſuis digitis decenter extentis attrectet, & obiter carnis temperiem percipiat, exploretque, num vitale robur, cum iis, quæ narrantur apparentque, conſentiat, & pulſus differentias conſideret, tùm ſecundum omnem dimenſionem, tum etiam ſecundum fortitudinem aut debilitatem, celeritatem aut tarditatem, frequentiam aut raritatem, potiſſimum verò num aliqua intermiſſio deprehendatur, aut convulſio, quo in caſu illicò inſpiciat cutem brachiorum, præſertim pectoris & dorſi, ut de punсticulis, ſi forte adſint, certior fiat: poſtmodum ad urinæ deveniat inſpectionem in loco luminoſo, ad quem tamen radii ſolares non pertingant, & de eâ interrogabit, quâ horâ fuerit ejecta, & an in eâdem matulâ. *Vrinæ inſpectio.* Quibus perceptis, ejus differentiam contemplabitur ſecundum ſubſtantiam quidem, an tenuis ſit, vel craſſa, perſpicua aut turbulenta: ſecundum quantitatem verò an multa vel pauca, reſpectu potus præcedentis: ſecundum colorem etiam, & contenta, ſi arenulæ vel filamenta adſint, vel ſimile aliquid, tacito indicio interrogabit, an dolores ſentiat in dorſo vel pube. Quinetiam egeſtiones videre non recuſabit, & ſputa, ſi forte in pelvi ſint aſſervata, ut de naturali facultate certior fiat & de pectoris ſtatu. *Egeſtiones & ſputa.* Oportet tamen videre, quæ interrogas, ut ſcilicet nil omittas eorum, quæ ad agnitionem morbi & cauſæ conferre poſſunt, nec tamen ſis nimius, quidvis ubique citra delectum interrogando: ſed ita, ut & ægrotus ipſe, & qui adſunt, intelligant, te non longè abeſſe à notitiâ eorum, quorum ſuſcipis curationem, ita bonam de te concipient opinionem, & ægrotus melius obtemperabit, & aget con- *Admonitio.*

S fiden-

fidentius. His igitur, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſedulò perceptis, ægroto morbũ, & cauſas ipſius quadantenus expones, ut per te magis, quam per ſe ipſum ea cognoſcat: atq; adeo te admirans, ſapientem & excellentem prædicabit, ac fidem majorem tibi adhibebit, alacriorq; natura contra morbum inſurget, eumq; facilius ſuperabit. Eſt enim medicus optimus, qui plures ſanat: plures autem ſanat, in quo plures confidunt, & plus valet interdum confidentia ægri de medico, quam medicus & cuncta medicamenta. Idcirco Hipp. dixit, medicum uti providentiâ optimũ eſſe, eâ autem utitur, dum per commemorationem præteritorum, & conſiderationem præſentiũ, de futuris prænunciat adſtantibus & amicis languentis: ea tamen prænuncianda ſunt, quæ certò eventura cognoveris: ita videbunt, te nunquam eſſe cauſam mortis ejus, qui moritur, ſed ſalutis ejus, qui reſtituitur. Nam ex præcedenti prænotione medicum extollunt homines, & nomen ejus cum utilitate & honore mirificè ſolent celebrare. Interea verò interrogabit medicus, an patiens uſum medicamentorũ facilè ferat, vel ſanguinis miſſionis, vel clyſteris: & primo hoc acceſſu laboranti id medicamentũ adhiberi curabit, à quò minus abhorrere intellexerit: modò id fiat citra curationis diſpendium. Ea etiam concedet, per quæ morbũ nequaquam exaſperans, ægroto rem gratam voluptatemq; afferat, veluti ſi fructibus quibusdam veſci ſaluberrimis, aut gratiſſimo Julepio uti permiſerit, quæ omnia cum laborãtis utilitate cõcedũtur, & ægros medicis obſequentiores reddunt. Nam quos libenter aſpiciũt, illis magis obtemperant: inde eſt, quòd cibos faſtidienti quidã ſæpius perſuaſerunt, ut ſe ad eos adſumendos cogeret, cùm nullus alius id antea perſuadere potuiſſet: ita pater & mater filio, & viciſſim filius patri aut matri, & amic⁹ amico. Et inſuper ad ægrotũ omnibus juſſis obœdientẽ reddendũ magnã vim habet, ſi pro certo ſibi perſuaſerit, magnã inde ad ſe utilitatẽ proventurã. At illis, quos moleſtè vident ægri, etſi utilia coſũlant, tamen obœdire recuſant. Jubeat igitur ex miniſtris illos duntaxat adeſſe, quibus maximè delectatur: & ex viſentibus ii, qui gratiſſimi ſunt, ſolummodo admittantur, & apud ipſum cõmorentur: alii verò aut cubiculũ non ingrediantur, aut diutiùs corã eo non verſentur. Quòd ſi quis accedat illũ viſurus, ſalutaturusq; & nuntio accepto præſenti medico aut lætari aut magnopere contriſtari videatur, tunc medicus cum is ingreſſus fuerit, quẽ laborans non libenter aſpicit, paulo poſt aliqua veroſimili ratione quietem ægroto conferre dicat, ita fiet, ut omnibus ab eo rece-

Medicus optimus quis.

1. Prog. 1. Prædictio.

Gratificandum ægroto.

Confidentia ægri.

Quinam admittendi ad ægrotũ.

recedentibus,& una cum nō amicis, amici etiam egreſſi, paulò pòſt introire poſſint. Oportet utiq; ſemper medicū ab ægrotantiū domeſticis perconctari,quibusnā ipſi delectentur,&ea jubere inferri in conclavia, ubi jacent. Sane mollia tactū reficiunt: flores & ſuaves odores odoratū: rami virides,ſtirpes,fontes artificiales,& variegata quædā viſum:modulamina ac ſuaviſſimę voces auditū.Ubi notandū quod tū in auditu, tùm etiā in viſu quædā ipsū ſenſum tantūmodo movent: alia per ſenſum animum etiā exhilarant aut conturbant : ideoq; nil eorū, quæ triſti animo ęger auditurus ſit,ipſi nuntiari debet,ſed jucunda omnia atq; oblectantia. *Senſus reficientia.*

UTILISSIMA QUÆDAM PRÆCEPTA circa actiones medici erga patientes.

CAPUT VI.

POſteaquam omnia,quæ ſuperiùs recenſuimus, maturè apud ægrotantem medicus conſideravit, & eum ſpe ſalutis erexit,aliquid præter diætam ſtatim ordinabit,ne videatur nauta ex commentariolo,& nō niſi ex libro facere medicinam; Potiſſimū vero ubi poſt alios medicos fuit accerſitus: nam ſemper tùm temporis de te majus aliquid ſperant, quàm alii hactenus præſtiterūt. Propterea cognitis prius ex aliis,quę ipſi antea adhibuerint,ad aliud remedii genus,quod tamen tibi videatur efficacius,te converte;ne ſi eadē repetas, inutiliter accerſitus videaris. Ac ſi morbus fuerit acutus de ſanguinis miſſione,purgatione,cucurbitulis,clyſtere aut ſimili alio præſidio cogitandū erit : ſi Chronicus, de balneo, potione ſudorifica,fontanella,chalybis uſu, aut ſtupefacientibus,ſi dolores vel fluxiones,aut vigiliæ immodicæ vexant. Verum ſi ordinato hodie remedio cras accedens ſenſeris patientem meliùs habere,non illico utilitatē medicamento tribuas : quia fieri ſolet interdū, ut neglexerint, & non ſint uſi ac te irridebunt, dum tribuis ſucceſſum pharmaco non adhibito; prius igitur aut per famulum ex pharmacopœo noſcas, an parare curaverint,aut aliter certò id reſcire tentabis. *Admonitio.*

Quod ſi morbus ex eorum genere eſt,qui per diœtam ſolam poſtulāt curationem,eā ordinata aliquid etiam medicamentorū adhibebis, eorū nempè,quæ nocere non poſſunt &loco diætæ plurimū adjuvare valeāt, ne te inertem dicant, & cum tu medicamenta ignoraveris, naturam morbum curaſſe affirment. Quod tum maxime præſtandū,cùm patiens

Digitized by Google

ex eorum numero fuerit, quibus cum medicamentis res ſemper eſſe ſolent: ſunt enim quidam adeo valetudinis ſoliciti, ut niſi crebro pharmacis utantur, de ſuâ vitâ actum eſſe putent. Et curationem, quæ per alimenta fit, vulgares non tribuunt medico, ſed naturæ aut coquo, cùm tamen nullibi magis eluceat prudentia medici; ut & boni ducis, cum videt, adverſarii vires ex ſe diſſolutum iri, quò tempore majoris virtutis ac ſcientiæ militaris eſt, ſi ſe in caſtris prudenter contineat, quàm ſi hoſtem intempeſtivè adoriatur. Nec tamen propterea mihi placent medici illi, qui perpetuo intenti lucro, ſemper volunt videri aliquid facere, quia norunt homines liberalius illis perſolvere, per quorum medicamenta reſtitutos eſſe exiſtimant. Quinimmo regula eſſe debet ei qui ſalutem ægrotantis ſibi proponit, ut ſi quando æquè benè reſtitui poſſit, cum medicamentis aut ſine illis, potius abſtineat, præſertim ab iis, quæ movere aut alterare poſſunt: tùm ut impenſas vitet, tùm ne natura in poſterum debilitetur, tùm denique, quia multa mota nocent, quæ ſi non moverentur, non nocerent, & (ut cum Jureconſultis loquar) *ſatius eſt intactam litem relinquere, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere.* Quippe quibus per alimenta reſtitui ſanitas poteſt, penitus abhorrendus eſt uſus medicamentorum, unde illud: *Quos natura domat, fruſtra medicina fatigat.* Cæterum nunquam duo remedia ſimul præſcribas & languenti electionem permittas, quia tunc vacillat, ac neutri fidit, teque ut minùs conſtantem accuſat. Unum igitur ad unum finem oportet duntaxat proponere, quaſi in illo ſolo poſt DEUM ſalus conſiſtat. Nec timidè unquam quidquam admonere oportet, ſed quòd maturè excogitaveris, id audacter & graviter exequendum curabis: ita fiet, ut nec temerè, nec timidè quidquam adminiſtretur. Ut enim timiditas impotentiam, ita audacia ignorantiam artis ſignificat.

Regula.

Unum remedium duntaxat proponendum. Nil timide faciendum.

Admonitiones aliæ.

In morbis diuturnis cum unico remedio diu non perſeveres, quia natura aſſuefacta illud contemnit, & uti dici ſolet, *ab aſſuetis non fit paſſio.* Ægrotantem ultra vigeſimum diem non viſitabis, ſi convaleſcit, niſi denuò rogatus, ut convaleſcentiæ etiam aſſiſtas: ita valedicere jam velle præ te ferens, numquid tuam præſentiam adhuc requirat, expiſcaberis, & non decet medicum prudentem & gravem dimiſſionem expectare. Quod ſi juvenis ſit medicus, & uſq; ad vigeſimum primum diem patiens neque ſalutem conſequatur, neque convaleat, ut ſimul alii collegæ convocentur, inſinuet, nam uſq; ad hunc dierum terminum libenter ſe concredunt.

Digitized by Google

credunt patientes medico, cui fidunt: deinceps diffidere incipiunt, & ſi quid mali contingat, calumniantur: ſi enim intra primos dies quis moriatur, tribuitur viribus ægritudinis: poſtmodum ſi pereat, erroribus adſcribitur medicinæ.

Non oleat phthiſicorum ſputa, ſed per famulum domeſticum olendum curet. Linguam & palatum, eorum maximè qui lue venereâ aut febribus malignis infeſtantur, per dierum intervalla inſpiciat, quia ſolent partes illæ aut nigreſcere, aut malignis aphthis ſcatere periculum portendentibus. Curet inſuper, ne diu patiens ſupra dorſum cubet, nam ibi, & juxta os ſacrum, ac Iſchia ulcera ex longo decubitu fiunt, ſordida, putria, interdum curatu difficilia. Jam verò ſi in prædicta lue aut aliis morbis ſudoribus opus fuerit, ſudet patiens in cubiculo, in cujus camino vel fornace lignorum ignis accendatur, nequaquam autem carbones, à quorum halitu æger facilè ſuffocatur, & ab eorum incluſis vaporibus, clauſis præſertim januis & feneſtris: aſſiſtens etiam præſtò adſit, qui per intervalla interroget patientem, & accurrat, ubi opus fuerit, alioſque vocet, ſi quid ſiniſtrè contingat. *Sudandum ubi ignis carbonum non ſit.*

Hydropicos, empiematicoſvè nunquam aperiri jubeat, niſi conſentientibus propinquis, patre nimirùm, matre, & liberis, fratribus aut ſororibus ægrotantis, præſenteque primario aliquo viro, quibus proteſtabitur de ambiguitate ſucceſſus, cum tamen unica illa ſit via ad ſalutem: ejuſdemque præcepti meminerit in extirpatione ſcyrrhi, natæ, boſcii, & aliorum ſimilium tumorum, ex quorum ſectione ſolet interdum hæmorragia ſequi incompeſcibilis. Et quamvis Hipp. non permittit, ut tota humoris quantitas ex pectore aut ventre una vice extrahatur: permittendum tamen, ut major ſaltem pars effluat, nam poſt primam curationem plerumq; humor peccans ad aliam partem ſe convertit, & extrahi nequit. Si ex pulſu, reſpiratione, & aliis ſignis languentem haud diu ſupervicturum cognoverit medicus, antequam ad ipſum revertatur, de ejus ſtatu certior fiat per famulum, aut honeſtâ aliquâ occaſione prætextu interrogandi, aut admonendi de re aliqua. Verùm ſi imprudenter aut parum fortunatè revertitur ad domicilium ejus, quem obiiſſe reperit ex inſperato, vel quia diu abſuerat medicus: vel quia in praxi parum exercitatus: vel quia morbus de genere proditorum fuit, in quibus prognoſtica ſunt omninò incerta, vultu ad triſtitiam compoſito, prævidiſſe quidem obitum poterit inſinuare, rediiſſe tamen, *Hydropici & empiematici quibus cautelis aperiendi.* *Circumſpectio cum patiens in extremis eſt.*

men, & conſolandi gratiâ, ut amicus, & ut cognoſceret, qua hora obierit, vel ſimile quidpiam intra veracitatis limites prætexat. At in quibusdam locis nil horum neceſſe eſt, quia ubi primùm expiravit infirmus, illicò aut fores clauduntur, aut feretrum, ſive ſandapila, ſindon, vel aliud ſignum præ foribus adeſt, quo in caſu ædes præterire licet nullo facto dubitationis vel admirationis indicio. Porrò ſi quem judicaverit vitæ brevioris à primordiis generationis, aut ob morbum aliquem ſæpius recurrentem, id ipſi non ſignificet; contrahunt enim inde homines odium perpetuum in medicum, & ejus aſpectum poſtea ſemper exhorreſcunt, præſertim ſi alioqui ſatis ſibi robuſti videntur atque longævi: &, teſte Cicerone, probi hominis non eſt amicis impendentes calamitates denuntiare, quas vitare non poſſint: nec boni medici, quanquam id ſæpè intelligat, dicere ex illo affectu moriturum patientem: imprudentis verò fuerit, certos quosdam morbos, quos homines vehementer exhorreſcunt, ægrotantib⁹, etiamſi illis laborent, patefacere, utpote Epilepſiam, arthritidem, malancholiam, luem veneream, quibus tàm viri quam fœminæ divexantur. virgines vero potiſſimum ob ſtrangulatum uteri exacerbantur, quia inde exiſtimant earum laſciviam palam fieri. Caveat igitur prudens medicus, ne unquam eam nomenclaturã morbo tribuat, ex qua patientem maximè offendi ſuſpicetur: ſed alio velet nomine, ni & ab ipſius patientis, & à totius familię gratia cadere velit.

Uſus quorundam locorum.

4. De divinat.

Vulgaribus hominibus & mediocris ſortis, aut artificibus, etiamſi ditioribus, nec ſumptuoſa, nec difficilia remedia proponat, quia his non aſſueverunt, & plerumq; ſumptus valetudini præferunt. Ad nobiles aut præcipuos viros extra urbem acceſſitus omnia apud ipſos ſedulò præſtabit: ſed nõ ita facilè proficiſcatur, nec niſi decenti & honeſto comitatu ab illis transmiſſo. Quod ſi morbi alicujus longioris curationem ſuſcipiat, certam ſanitatem non promittat, ſed optimã ſpem ſalutis præbeat, & omnem diligentiam adhibiturum polliceatur: injecta etiam opportunè mentione aliorum, quos eodem morbo laborantes antea viſitaverit, & reſtituti fuerũt. Si verò, ut apud ipſos diu hæreat, poſtulârint, & pretium ut ſignificet, urgeant, longè id ab ingenuis medicis abeſſe reſpondebit, ut de pecunia ſint ſolliciti, ſed de ægrotantium ſalute: ad eos verò pertinere, medici & rerum ſuarum habere rationem, & quid præſtare velint, declarare. Licebit tamen per amicum aut miniſtrum alicujus auctoritatis ſervato decoro inſinuare, quantã incommoditate ab urbe,

Sumptuoſa vulgaribus non præſcribenda.

Profectiones extra urbem.

Pacta non fiant cum ægrotis.

urbe, domo, & familiâ abſit, quos deſerat patientes, & ordinariæ praxis interruptionem.

Cum ſecularibus & illitteratis hominibus nimiam familiaritatem exercere non decet, quia ſapientibus ſemper detrahunt, & aſſidua converſatio contemptum parit. Nec objicias, captandam eſſe auram popularem, nam ſeparatione melius conſequêre, quam idiotarum convictu, qui in dedecus magis redundat, potiusque dum raram ſui copiam facit medicus, in majorem exiſtimationem admirationemq; venit: ideo nec cum ægri familiaribus plures commiſceat ſermones, quam neceſſarios ad curationem, civilitatemq;: niſi litterarum cultores ſint, cum quibus de medicinæ aut aliarum artium ſtudiis opportune & ſapienter conferre licet, & optimum eſt.

Cum ſecularibus medicus non multû converſetur.

DE PROVIDENTIA ET CAUTIONE medici circa prognoſticum: ratione cujus aliquot caſus repentini & inſperati recitantur.

CAPUT. VII.

IN prognoſtico niſi certiſſima & infallibilia ſalutis aut mortis indicia adſint, ſit medicus ambiguus: in promiſſionibus moderatus, ſanitatis tamen potius ſemper ſpem præbeat, quàm certam mortem prænunciet. Si enim à medico deſtitutus infirmus poſtea (quod ſæpè fit) caſu vel natura reſtituatur, magnam incurrit infamiam. Et verò ſi ſanitatis ſpem præbuerit, & mors ſequatur, ignominia tanta non eſt, quia potuerunt incidere multa, errores, exceſſus, ac novus morbꝰ, & facilior eſt à ſanitate ad mortem commutatio, quàm à morte ad ſalutē, quæ naturæ curſu eſt impoſſibilis. Neq; verò adduci ſe unquā patiatur medicꝰ, ut periclitanti ægroto mentionē condendi teſtamenti ipſe injiciat: maximū enim momentū ad ſalutis deſperationē affert, ſi ille cui poſt Deum maximè ſit commendata, malè de illâ ſervandâ ſperare ſignificet. Quod ſi primariū aliquem virum aut prædivitem moriturū præſenſerit, ipſum quidem bona ſpe erigat, conſanguineis verò ſeu aſſiſtentibus prænunciabit rei ſtatū, & ut res ſuas cōponat, admonebit, ne impoſterū controverſiarū inter heredes culpā in ipſum conjiciant; id tamen cautè faciendū, periculum magnū ſubeſſe

Maius infamia periculum in prognoſtico ad mortem quam ad ſalutem.

Condendi teſtamenti medicus nō faciat mentionem patienti.

Aſſiſtentibꝰ teſtamenti mentio facienda.

Digitized by Google

ſubeſſe affirmans: contingunt enim monſtra in arte, ſicuti in natura,& poteſt evenire,ut uno dimiſſo alter vocetur medicus,ægrotusq; reſtituatur nô ſine maximo prioris dedecore. In hac tamen neceſſitate & urgentià,ne lites & odia inter heredes oriantur, denuncietur potius per propinquos aut theologos,quid facere oporteat, ab ipſo verò medico,ſi fortè tum accedat aut præſens ſit,hilariter potius,& vultu,qui bonam ſpem præſe ferat,eſt conſolandus infirmus, admonendusque ut cogitet, nec propter teſtamentum factum citiùs moriturum, multos condidiſſe,qui poſtea multos annos ſupervixere, & adhuc ſuperſtites ſint.

Sanitas non promittenda. *In prognoſtico quæ excipienda ſemper ſint.*

Verum enimverò ſanitatem nunquam promittat certam, ne Deum offendat: ſi enim ſanus & robuſtus certus non eſt de craſtinâ die, tantò minus æger & infirmus: & eſt deteſtanda temeritas,certam polliceri ſalutem; abſurdum quoq;, in promiſſione non excipere cauſas naturales & adjuvantes, verbi gratia, obœdientiam ægri, & diligentem applicationem remediorum: impium verò non excipere ſupremam cauſam à quâ cuncta inferiora diriguntur, conſervantur, & pendent, divinam ſcilicet voluntatem: ſtultiſſimum autem, non excipere caſus ſubitos & fortuitos, ad bonum vel ad malum, qui quoniam poſſunt, uti diximus, ſanis accidere, multò magis ægrotis impendent; ideo prudenter dixit Martialis:

O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium,
Nemo tam divos propitios habuit,
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.

Lib. 7. c. 53. *Repentinis caſibus extincti.*

Et præter exempla alia,quæ Plinius affert plurima, Anacreon Poeta,ut auctor eſt Valerius Maximus, acino uvæ paſſæ extinctus eſt: Fabius ſenator in lactis hauſtu pilo ſtrangulatus legitur: nullis etiam evidentibus cauſis duo Cæſares, Prætor, & Dictatoris Cæſaris pater, & Quintus Fabius Maximus in conſulatu ſuo obiere: Mitridates quoque ſenior Rex Ponti: Genſericus Rex Vandalorum: & Alaricus imperator morte repentinâ intercepti fuerunt,nec non Alphonſus ſeptimus Rex Hiſpanię, qui in itinere ſub arbore quadam exceſſiſſe fertur: & Aldebuntus Rex Anglorum in cœna nimio vini hauſtu cecidit, ut & Andragoras quidam de quo idem Martialis:

Lotus nobiſcum eſt, hilaris cœnavit & idem,
Inventus mane eſt mortuus Andragoras.

Quid? quod & Adrianus Papa obiit, cum muſca in os involaverit, quæ

Digitized by Google

quæ quia nulla arte eximi potuit, præcluſit illi ſpiritum, atque ita ſuffocatus eſt: & Paulus ſecundus Pontifex dum poſt cœnam cum architecto ſermonem traheret, repentè apoplexiâ mortuus eſt: Quo eodem morbo Franciſcus Petrarcha obiit in agro Patavino. Baldum inſignem Juriſconſultum morſum in labio à canicula, quam in delitiis habebat, neglecto vulnere obiiſſe ferunt: ſimiliterq; ex antiquis Euripidem, Diogenem, & Lucianum ex morſu canis mortem contraxiſſe legimus: Chilon Lacedæmonius, victore filio in ludis Olympiis, exſpiravit gaudio: Sophocles, & Dionyſius Siciliæ Tyrannus ſimiliter obiere, uterque accepto victoriæ nũcio; mulier Romana, filio ex clade Cannarum poſt falſum nuncium incolumi viſo, immodica periit lætitia. Æſchylus Poeta in Sicilia, mœnibus urbis egreſſus, aprico in loco reſedit, ſuper quem aquila teſtudinem ferens, eluſa ſplendore capitis, quod erat capillis vacuũ, eandem perinde ac lapidi illiſit, ut fractæ teſtudinis carne veſceretur, quo ictu mortuus eſt poeta, ut refert idem Valerius Maximus: & Æmilius Lepidus incuſſo pollice limini cubilis expiravit. Nimius profecto ſim, ſi inopinatas mortes ex contemnendis affectibus recenſere velim: ſufficiant igitur hæc infelicia miſerabiliũ caſuum exempla, quæ medici prævidere minime poſſunt. Enimvero felicia etiam innumerabilia extiterunt, quæ Plinius recenſet, nos cum delectu pauca tantummodò recitabimus. Jaſon Pheręus deploratus à medicis, vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoſte. Alius vomica in gutture laborabat, quem medici curare non poterant, accerſito per jocum nugivendulo larvato medico, qui omnibus ægrotantibus clyſterem & capitis tonſuram inculcabat, id ipſum huic etiam præcipiente, patiens ſubito cachinno commotus, vomicam aperire ſenſit & convaluit. Seidelius refert, podagricum, quem per angiportum ſervi deferebãt, in ſella cum obvium videret urſum, è vinculis elapſum, frementem & à perſequentibus irritatum, præ metu aufugientibus ſervis ipſum quoq; conſternatũ, ſubitò vires ex terrore ſumpſiſſe, & in pedes ſe conjeciſſe, quibus antea uti non poterat, atque ita convaluiſſe. Idem fere Valeriola accidiſſe meminit paraylitico, ædibus conjunctis conflagrantibus: & alteri contracto, qui repentinâ irâ percitus ita corpus exagitavit, ut confeſtim diſtentis crurum nervis poplitibusq; emollitis, ſine ullo dolore incedere, & erectus ſtare cœpit, cum incurvo corpore annos ferè ſex conſtitiſſet, qui deinceps ſanus evaſit. Auctor introdu-

Gaudio repentino mortui.

Inopinati caſus ad ſalutem.

2. Obſer. 4.

ctorii ſcribit, capram ſuffuſione laborantem viſum recuperaſſe, cum caſu in oculum impreſſiſſet ſtipitem acutiſſimum. Innumera ſunt hujus generis alia, quæ quia extra artem exiſtunt, ea ſemper in prognoſtico medicus excipiat.

QUATENUS ET QUIBUS IN REbus ægrotis gratificandum ſit.

CAPUT. VIII.

OCcaſione eorum, quæ ſuperioribus capitibus, quinto præſertim & ſexto, hujus libri, obiter dicta fuerunt, quædam examinanda ſeſe offerunt: *Primum* an liceat gratificari ægrotis: & quidem dubium non eſt, fieri interdum medicos odioſos patientibus ob rigidam aſperitatem, & in minimis etiam imperioſam quandam moroſitatem. Nam ut ſunt aliqui juſtitiæ ac veritatis perfervidi zelatores, qui per ſummam injuriam ſummo utuntur jure, & ex nimio zelo nonnunquã impetu potius quodam quàm judicio feruntur, ad reprehendenda, & caſtiganda vitia, & in ea re modum excedunt: ita perfecti alioqui in arte medica viri in circumſtantiis quibusdã curationis ſæpe deficiunt, dum neq; valde ſitientibus potum, neque ingenti cibi faſtidio divexatis, alium cibum concedunt, quàm quem ipſi vehementer interdum reſpuunt & abominantur, ac ſic dum nimis exacti videri cupiunt, crudelitatis notam ſubeunt. Ad id faciendum hac ducuntur ratione, quia in ægrotis appetitus eſt depravatus, nec niſi nociva quæq; admittit, & reliquæ naturales functiones in iisdem ex proportione non operantur: Cum igitur iis, qui ſani ſunt, delinquere minimè tutum ſit, haudquaquam id ægris ſine nocumento contingere atque periculo, itaque eſſe luxuriantis per morbos naturæ inſolentiam refrænandam: nemo enim in ſua cauſa prudens eſt, tantò minus, quando à naturali ſtatu & propria integritate recedit, quod naturæ languenti evenit, ut fervoris morbi ac virium impatiens per fas & nefas remedium interdũ quærat, & in eo, quod appetit, ſæpe plus damni, quàm auxilii inveniat: quia tametſi qualitas utilis, ſubſtantia fere intolerabilis, ac tempus minime opportunum ſit: exemplum eſt in picà mulierum, quæ carbones, cretam, teſtes, & abſurda quæpiam ad inſaniam uſq; appetunt: Et intenſa febricitantium ſitis initio acceſſionis, & morbo adhuc

Medici odioſi cur ſunt.

Simile.

Arg. quib. gratificandum non eſſe quidam contendũt.

Nemo in ſua cauſa prudens.

Digitized by Google

huc crudo exiſtente: etenim febri quidem egregiè tum temporis adverſatur potio, ſed morbi materiam reddit contumaciorem, quod natura ignorat, quia id quod per accidens fit, ab eo quod per ſe eſt, diſtinguere neſcit: & tamen expetitum à naturâ remedium prodeſſe ſæpe potuiſſet, niſi per accidens obeſſet magis.

Quæ profectò omnia etſi vera omnino eſſe alii fateantur, nil tamen aliud convincere dicunt, quàm valdè lædentia, & plane nociva languentibus concedenda non eſſe, in quibus nō tàm gratificari, quàm perniciosè adulari medicus videretur, patientes in apertiſſima conjiciens diſcrimina. *Quæ* verò paulo deteriora ſunt, ſed ſuaviora, melioribus ſed minus ſuavibus eſſe præferenda Hipp. docuit, quod facientes nō ſolum languenti gratificamur, ſed inſuper utilitatem ipſius procuramus, tum quia, quod jucundius eſt, ventriculus arctiùs amplexatur, quod plurimum ad concoctionem facit, proindeque non ſolum non eſt deterius, verum etiam utilius interdum evadit, quam natura ſua melius ſi neque complectitur neque concoquitur. *Altera* ratio eſt, quia talis cibus aut potus ſanitatem facilius familiariusque conſervat, atq; morbum promptius demolitur, tàm propter majorem ſimilitudinem, quàm propter vehementiorem contrarietatem, quorum ſola natura ipſa exquiſitè conſcia plerumque eſt. *Tertia*, aſſignatur ratio ad quam etiam exiſtimo Hippocratē maximè reſpexiſſe, quod ſic patienti honeſte & licite gratificamur, quod itidem remedii genus eſt, aliis non poſtponendum, & ſæpè in parvis rebus gratia ineſt & utilitas. *Quarta* ratio ab experimento deſumitur, quandoquidem ij, qui præcepta medicorum religioſiſſime obſervant, conſpiciuntur pluries aut gravius nihilominus in morbos incidere, quàm eos, qui liberiori, non tamen prorſus licentioſa victus ratione utuntur, & qui planè inviti medicorum ſtrictiſſimis edictis obtemperant, miſerè macerari, ubi illud etiam libenter audio, quod dici ſolet: *medicè vivere, eſt miſere vivere:* cum interim alii, qui conſuetudini parcè indulgent, & ſuavius vivunt, & acceſſiones rariores, interdum etiam mitiores habere ſoleant: tùm quia illi nimis properè à conſuetâ vivendi ratione ad contrariam interdum tranſeunt, cum tamen natura ſubitas, quantumvis ad meliora, mutationes non tolerat: tùm quia cibi, qui præſcribuntur, plerumque ab invito ventriculo aliud appetente, & aliis aſſueto, recipiuntur, unde fieri vix poteſt, ut debitè

Rationes pro altera parte.

Prima. *2. Aph. 38.*

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Properè à conſuetis nō eſt tranſeundum.

Digitized by Google

amplexentur, alterentur, & concoquantur: & non ex his, quæ devorantur, ſed ex his, quæ bene conficiuntur, in ventriculo fit nutritio. Et interdum vinum etiam polygophorum aſſuetis & extra paroxiſmum denegatur, unde crudi generantur humores, & impacti, ac tenaces, qui morbos contumaciores reddunt: ſubindeque ægri emaciantur, decolores fiunt, & tardè aut nunquam priſtinam recuperant appetentiam & colorem. Ego verò, ut quid cenſeam, candidè aperiam, priores quidem diætæ nimio rigore, poſteriores immodicâ vivendi licentiâ ægrotis conceſſâ à recta curandi ratione exorbitare exiſtimo: Et horum quartam rationem in eo penitus claudicare, quòd eos, qui præcepta obſervant medicorum, pluries propterea ægrotare concludere videtur, cùm potiùs, ſæpius eorundem præceptis utantur, quia pluries ægrotant, gravius utique laboraturi, niſi uterentur.

Gal. 11. Meth. 15. Vinum non ſemper denegandum.

Sit igitur concluſio, quemadmodum in pharmacia, ita etiam in diæta non ſolum ad morbum, verùm etiam ad naturam & conſuetudinem ægrotantis eſſe reſpiciendum, atque ita uni proſpiciendum, ut non videamur alterum neglexiſſe. Quæ morbi ratione obſunt, indicanda ſunt: non tamen ſi æger impenſius illis inhiet, aut alioquin ſit aſſuetus, ita prohibenda, ut nil eorum guſtare liceat: *conſueta*, inquit Hipp. *longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent.* Cum igitur medicus morbi ratione diætam ordinaverit: accuratè etiam perpendat, quid natura vel conſuetudo commodè perferre poſſit, aut non poſſit, & ſi videt, ventriculum hos aut illos cibos avidiſſimè expetere, cum delectatione aſſumere, ac probè concoquere, qui aliàs morbi ratione nõ convenirent, ſedulò moneat, ut parciùs illis utatur, nonnihil etiam correctis, præfatus tamen læſionem, & non morbi, ſed conſuetudinis, & gratificandi causâ ea concedere, eâ tamen lege, ut inpoſterum viciſſim in reliquis obœdientem ſeſe præbeat. Ex hac enim medici liberalitate plerique obſequentes evadunt, ſi aut frigidum potum, aut fructus ſalubres æſtuantibus, aut vinum, quibus alias inutile non eſſet, illis permittas: quæ tamen ſi noeiva prorſus ſint, nequaquam concedi debent. Sic utrique indicationi ſatisfiet, & ei quæ à morbo deſumitur, & illi, quæ à naturâ & conſuetudine: nam quod ſapit, nutrit, & quod parum eſt, parum nocet: & in victus ratione plus & pernitioſius peccatur in quantitate, quàm in qualitate cibi: neque enim de veneno loquimur, & etiam dici ſolet: *parum veneni non nocere.* Et exigua noxa futura languentis obœdi-

Concluſio.

5. Aph. Conſueta minus moleſta.

Plane nocivà nõ ſunt concedenda.

obœdientiâ emendari poterit, magna deleri non poterit, quia aut morbum producit, aut extremum periculum infert. Atque hæ propriæ ſunt, quæ ab Hippocrate dicuntur *gratiæ laborantibus*, ad quas omnia, quæ fiunt circa decumbentem, debent eſſe comparata. Hac itaque ratione multorum calumnias declinabunt medici, qui ob contrarium certatim, ut homines crudeles & inhumani, accuſantur: & hoc inſuper lucri conſequentur, ut in multis aliis, uti diximus, ægros habeant obſequentiores, cum ipſis in quibuſdam nonnihil indulgeri animadvertant, niſi fiat, medicum averſaturi, & nullum ejus præceptum obſervaturi: Quippe cum aliquid largiatur, minus appetunt, nam *Gratia quæ dicantur.* *Ægri obœdientia ut comparetur.* *Gal. 6. Epid. 8.*

Quod licet ingratum eſt, quod non licet acrius urit.

Quia aquæ furtivæ dulciores, & panis abſconditus ſuavior, nam

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata.

Quâ quidem ſolertiâ & prudentiâ multos à vetitis cibis abduces faciliùs, quâm ſi ſeveriſſimè prohiberes, præſertim eos viros, & ejus nationis, qui ingluviei dediti, & affectibus ſuis parere ſoliti ſunt, regulis medicorum inſueti, nec eiſdem ſe ſubjicere norunt. Aliter pronunciandum de iis, qui medicamentis aſſuevêrût, & in illis regionibus degunt, aut nati ſunt, ubi medicina ſuum habet decus, & ſplendorem. Hi enim potius medicum accuſarent ac deſpicerent, ſi eorum affectibus & inordinato appetitui indulgeret. Sed aliud præcipere eſt, aliud permittere: nec afflictis afflictio eſt addenda. Ideo quemadmodum in humanis actionibus multa amicis dantur, temporibus multa, multa etiam locis: ita præſtat in morborum curatione aliquid tempori largiri, aliquid regioni, ætati aliquid, aliquid etiam conſuetudini, cùm præſertim morbus chronicus fuerit, aut in frigida regione, ubi non tanta eſt morbo-borum acuties, aut partes occupaverit ignobiliores. Quod tamen quatuor cautelis fiat; *Prima*, ut iis quæ ratione morbi non conveniunt, æger parcius utatur. *Secunda*, ut obſervet, à quo cibo potuvè juvari aut lædi maximè contingat. *Tertia*, ut ſi modum exceſſiſſe cenſeat, vomitu aut evacuatione deponat ſuperfluum. *Quarta*, ut diſtinctionem à nobis propoſitam de aſſuetis aut non aſſuetis medicinæ medicus diligenter obſervet, quia, uti dici ſolet, Jupiter nec Pluvius nec Serenus omnibus placet. *Moderationes.* 1. 2. 3. 4.

LICEATNE MEDICO ÆGRUM FALLERE valetudinis gratia.

CAPUT IX.

DIctum fuit ſuprà, fauſta omnia languenti eſſe renuncianda, idcirco quæſtio diſcutienda venit, diſſenſionis plena, & omnino controverſa, liceatne medico ægrotum decipere ſalutis cauſa: idque ex mente Hippocratis, Galeni, & reliquorum philoſophorum. Et quidem Hipp. *in Epidemiis* ſæpius deceptionem ſuadere videtur, & Galenus in commentario addit aliquando falſa eſſe adjicienda. Plato vero *tertio de republica* quamquam mendaciũ habere in animo ſummopere omnes ſemper odiſſe dicat: tamen nonnunquam eſſe utile, & quaſi pro medicamento, adjungit, ideoque publicis medicis concedendum, & viris rempublicam adminiſtrantibus: vel hoſtium, vel civium causâ, ad communem utilitatem: Privatis autem hominibus minime. Nos politicis ultimam Platonicæ ſententiæ partem relinquentes: priorem de medicis confirmari poſſe exiſtimamus, quia ægri ſuapte natura ſuſpicioſi cum ſint, & formidoloſi, accuratiſſimè non ſolum verba, & ratiocinationes, ſed geſtus & nutus medicorum obſervant, à cunctis, quæ vel ex vultu medici colligunt, ſibi metuentes; prudentis ergo medici fuerit, quæ ægro metum allatura putârit, aut animi perturbationem, eâ ſimulatione tegere: quia ut ſcribit Celſus, *ægros ſecuros agere convenit, ut corpore tantùm, non etiam animo laborent:* ideo ſi quæ ſunt, quæ exaſperatura eorum animos ſint, optimum eſt, eadem ægrotantium notitiæ ſubtrahere; quamobrem Damaſcenus ſalutem ægro perpetuò promittendam, etſi de ſalute deſperemus, præcepit. Alia enim eſt ſimulatio, qua veritas tacendo ſubtrahitur, aut quovis velamine circumtegitur: alia, quâ falſum pro vero exprimitur. Prima non modò inculpabilis, quinimo ſuo loco & tempore digna laude virtusque reputanda cenſetur: qua ratione David, ut evaderet manus regis Lachis, habitum mutavit, & inſanum ſe finxit. Nec verò ſimulare ſolum ac fingere, ſed interdum mendacio uti medicum oportere, plerique cenſent, ut ſalutem æger artificioſe conſequatur. Hoc ſe feciſſe Galenus publico teſtimonio confirmavit, dum clanculum ſcammonium in ſero lactis illuſtri mulieri hauriendum

Margin notes: *6. Epid. 4. 8. 6. Epid. 5. 12* — *Platonis ſententia de mendacio.* — *Ægri ſuſpicioſi ſunt.* — *Lib. 3. c. 5.* — *In Aphoriſmis.* — *Simulatio duplex.* — *24. Math.*

endum dedit: & nos indies non ſolum puerulis, ſed moroſis etiam hominibus morbo tentatis pro vino granaterum ſuccum, pro aquâ medicatâ potioné exhibemus, & in cydonioru̅ conſervâ, aut rotulis, rhabarbarum ſive ſcammonium occultamus, mortem conſanguineorum, aut amiſſionem bonorum cælamus, & fauſta pro triſtibus ſupponimus: ac immorigeros nacti patientes, majora, quàm ſint, fingimus mala, ut exquiſitæ victus rationi, & medicis auxiliis aequieſcant. Sic oſtentato ignito cauterio uterus collapſus ad ſuam ſedem ſæpe reducitur: & in extremis malis non videtur abs re, aliud ſentire, aliud loqui, ne ad deſperationem adigatur infirmus. Hinc ipſe Galenus majora interdum fingenda eſſe, quàm ſint, ægrotantibus vitia, utile eſſe adſtruit, ut quos vera dicendo ſervare non poſſes, eos minis, terriculamentis, periculique oſtentatione, niſi medico pareant, reſtituere tentes. *6. Epid. s. m.*

Pugnat ex altera parte Ariſtoteles, qui *quarto Ethic.* omne genus mendacii, qualecunque fuerit, vituperans memorabilem illam pronunciavit ſententiam, mendacium per ſe improbum eſt ac vituperabile: verum autem probum ac laudabile. Et *primo elench: ſapientis*, inquit, *eſt non mentiri, de quibus novit, & mentientes alios manifeſtare.* Sed enim Ælianus in libro *de varia hiſtoria* refert, Pythagoram dicere ſolitum, duo hæc præclara data eſſe hominibus à Deo, *vera dicere, & beneficia in alios conferre.* Quorum utiq; ſententia hâc unicâ validiſſimâ ratione confirmari videtur. Mendacium per ſe eſt malum & fugiendum; quod ſecundum ſe malum ex genere eſt, id nullo modo bonum fieri poteſt, quo enim aliquid bonum ſit, requiritur, ut ad id omnia rectè concurrant: eſt enim bonum ex integrâ causâ, malum ex ſingulis defectibus; mendacium autem eſt malum ex genere, quia eſt actus per ſe inordinatus, nimirum ordini Dei & naturæ contrarius, quandoquidem voces homini datæ ſunt ad ſigna eorum, quæ ſunt in mente, ideoque contra naturam eſt, ut quis verbis dicat id, quod in mente non habet, immò contrarium. Inde igitur fit, ut mendacium ſecundum ſui intrinſecam rationem, naturalem obliquitatem & deformitaté in ſe contineat, & pervertat Dei ac naturæ ordinem. His accedit, quod non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, utpote furari, ut des pauperibus, vel ut à ſummo periculo quempiã liberes.

Cap. 7. *Ariſt. ſententia de mendacio.* *Lib. 12. Pythagoræ dictum.* *Ariſt. ratio co̅firmatur.* *Mendaciu̅ per ſe malum.* *Vox homini cur data.* *Secunda ratio.*

Ut tamen adeo diſſentientes contrariasq; inter ſe ſententias componamus, nonnulla præmittere oportebit. *Primum* eſt veritatem in tempore & loco tacere, non tantùm ſine vitio, ſed etiam cum laude licere.

Digitized by Google

Mendaciū duplex.

cere. *Secundum* plurimum intereſſe inter mendacium nocivum, & mendacium officioſum: quippe illud ſemper eſt inutile & vituperandum; hoc etſi falſum, ſenſum perutilem tamen auditoribus generat; ſpectandus igitur ſemper eſt animus, & ſenſus: conſilium etiam, propoſitum, & voluntas intuenda, ne quid quis egerit, ſed quo voto egerit, inquirendum: ex quo fit, ut prudenter quidam aſſimilaverint mendacium helleboro, quod ſi abſque ſummi diſcriminis neceſſitate accipiatur, maximi ſit exitii: ſi vero præſente exitiali morbo ſumptum fuerit, ſit ſalubre. Ita inſuper mendacio utendum, uti medicamento & condimento, hoc eſt, nunquam magnopere mentiendum aut ſine magna proximi utilitate. *Tertiò* præmittendum, duplicem eſſe dolum; malum, nimirum qui eſt machinatio quædam alterius decipiendi causâ, cùm aliud agitur, aliud ſimulatur, & comprehendit omnem calliditatem ac fallaciam, ad circumveniendum, fallendum, decipiendumvè alterum adhibitam, teſte Vlpiano & Labeone. Bonum vero dolum veteres dixerunt ſolertiam quandam in rebus agendis, maximè ſi adverſus hoſtem latronemq; quis machinatur.

Mendaciū ſimile helleboro.

Dolus duplex.

Lib. 4. ff. de dolo malo.

Aſſertio.

His ita curſim annotatis, ſit conſtans aſſertio, licere medico pleraque ſalutis ægroti causâ fingere, pleraque diſſimulare, polliceri etiam multa, quæ animum in bonam ſpem erigere ipſi poſſint: neque id turpitudinis loco aut vitii uſpiam haberi poſſe: quin potius ſine ulla nominis ac famæ jacturâ, ſine ulla probitatis ac innocentiæ maculâ licere interdum medico fallere, & veritatem obtegere, ut quod ſalutis ægri cauſa facere inſtituit, & veritate nō poteſt, dolo bono & arte quadam moliatur. Neque id quicquam illius prudentiæ, probitati, ſapientiæ, famævè obſtare, quia bonus dolus eſt ſeu ſolertia quædam atque prudentia, veluti cùm medicus reluctantem ægrum, & invitum nihilque tale cogitantem vel ſecat, vel urit, vel carthartico purgat, vel afflicto læta renunciat, aut triſtia cælat: in quibus ſi quid mendacii ſubeſt, id certè officioſum eſt, & in gratiam infirmi excogitatum, & non nocendi, ſed proficiendi voluntate prolatum. Ariſtoteles vero & Pythagoras de eo mendacio intelligendi videntur, quod aut inutiliter profertur, aut cum noxâ alterius. Et adjuncta ratio optimè concludit, mendacium ſemper eſſe malum, non tamen in caſu neceſſitatis deceptionem officioſam poſt ponendam eſſe nocivo candori ſeu veritati, quam ſine crimine ac nocumento exercere non poſſes. Sic Abrahamus videri voluit frater

Ariſt. & Pythag. dicta interpretantur.

uxo-

uxoris: Jacobus patri dixit, ſe eſſe Eſaum primogenitum ejus. Et obſtetrices Ægypti infantes Hebræorum, ac Rachab Jerichuntis exploratores terræ ſine crimine, immo perutili ſervarunt mendacio: Et utiliori multò, quàm ſi quis vera nunciando alii detrahat, aut ſeminet inter fratres diſcordiam. Verum hæc exempla divinioris altiorisque ſunt contemplationis ac ſecretioris ſenſus. Cæterum niſi magni cujuspiam boni acquirendi: aut propulſandi mali cauſa mendacium proferatur, ſemper malum eſſe conſtantiſſimè aſſeveramus, propterea dicebat ſanctus Job: *Donec ſupervixerit halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquantur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium:* Cap. 27. & Regius propheta: *odiſti*, inquit, *omnes, qui operantur iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium:* & Salomon dicebat: *verbum mendacii longè fac à me.* Pſalm. 5. Prov. 12.

Si itaque prudentem, & benè tum animo, tum diſciplinis inſtructum ægrum nacti ſimus, vera illi de morbi ſtatu inſinuare licebit, ut de quo metus non ſit, quòd vera audiendo perterreatur: ſi modo id à medico oportunè, leniter, & ſine acerbatione fiat, alias ſi nunciaverimus, morbum in infelicem omninò exitum tendere, hominem quantumvis philoſophum & animo bene conſtitutum magnopere conſternabimus ac in totum perdemus. Si vero fuerit timidus decumbens, ut plerique omnes eſſe ſolent, tunc diſſimulare multa, ac tegere oportebit: immo omnia, quibus ipſe meliori animo futurus ſit, dicere: neque tamen (uti monet Galenus) magnopere mentiaris: quod ſi ob extremam laborantis formidinem ſalutem polliceri coactus fueris, egreſſus ſaltem aſſiſtentibus vera dicito. Quin etiam ubi gravis metus adeſt, ſine certâ tamen deſperatione, indicare neceſſariis periclitantis oportebit, in difficili rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel eam ignoraſſe, vel hominem fefelliſſe videaris. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt, ita contrarium faciunt hiſtriones, parvam rem attollentes, quò plus præſtitiſſe videantur, aut gloriæ, aut lucri causâ: qui quoniã verecundiæ limites ſemel transierunt, ut ſunt homines futiles, ac nugarum prodigi, immodicè & incredibiliter nugari volentes, impoſſibilia ſæpiſſime fruſtra pollicentur: medicus tamen prudens & gravis ſalutem ubique non polliceatur, nec niſi illud addiderit, ſanitatem quidem affuturam, Deo auxiliante, ægro verò omnia rectè agente, & medici præceptis obtemperante, ac ſervatis ſervandis: deniq; in prognoſtico magna cautione ſemper opus eſt,

Concluſio. 6. Epid. 8. Agyrtarũ mos in prædicendo. Medicus ſalutem non polliceatur.

Digitized by Google

ne aut nimium blandiendo mitiorem, quàm revera ſit, morbum jactantes, eo graviore reddito, in ignominiæ labem incurramus: aut nimium ſeverè agendo, inanem metum ægro incutiamus.

DE UROMANTIA, SIVE INSPEctione urinarum: plures agyrtarum fraudes, & vulgi errores deteguntur.

CAPUT X.

EX dictis conſtat, optimum medicum oportere ſedulò veritati adhærere: nunc autem dicamus, illud inprimis cavendum, ne ægri mendaciis medicũ circumveniant, permoniti etiam, non mereri audire veritatem aut bonum conſilium, qui fraudulenter agit aut interrogat, quod malũ & medicis & ægrotis perniciosiſſimum eſſe ſolet. Nullibi autem plures technas experieris, quàm dum vulgares homines urinam ad medicũ domi inſpiciendam mittunt. *Errores vulgarium circa inſpectionem urinæ.* Ex qua, ſi Deo placet, ſexum, ætatem, gravidationem, & qua parte corporis laboret patiens, immò ad quam mundi plagam habitet, & in qua platea divines requirũt, & ex ſuperſtitione quadam pleriq; ad hoc opus dies dominicos eligunt. Quidam ex plauſtro ceciderat, & medicũ alioqui peritiſſimũ calumniabatur, quod nec boves, nec rotas in urinâ animadverteret. Alius mihi ipſi objecit, quod etſi debilem ventriculum ex urina cognoveram, tamen eam debilitatem ex vitro, unà cum Cereviſiâ more gentis devorato, non protuliſſem: Cum tamen ex urina de his etiam quorum indicium eſſe poteſt, judicium fallax ſæpiſſimè ſit atque incertum, ob plurimas cauſas ejus certitudinem impedientes, unde illud:

Vrina fraudes aperit diſcretio pulſus.

Cauſa erroris & initium in inſpect. urin. Cauſa verò, propter quam hanc conſuetudinem inſpiciendi lotia in ædibus amplexi ſunt, à plebeis hominibus orta videtur. Hi enim veterum laudabilem urinæ intuitũ apud primarios conſiderantes, ex quo ſimul cum aliis indiciis probè deſumptis, ex pulſu & vultu ægrotantis, ac prudenti relatione eſſentiam morbi cognoſcebant, & proſpere curationem inſtituebant, talem deinde curationis eventum urinis duntaxat adſcripſerunt: nam vulgus rationis propemodum expers, quæ oculus cernit

cernit, tantummodò judicat. Hinc tandem uſque adeo hominum ingeniis imbuta eſt hæreſis,ut ægrè extirpari queat, poſteaquam vulgares homines exiſtimârunt,omnem curationem ex lotii inſpectione pendere,& arbitrati ſunt, totam artem medicinæ ex eadem ſolummodo derivari. Addiderunt perniciosiſſimo errori vires plerique ſycophantæ & agyrtæ, qui dum ſtrophis & impoſturis utuntur, nil non ex hac uromantia prædicere ſe poſſe affirmant, & fraudibus ſuis ſimpliciores homines indies magis magisque dementârunt,ut liberiùs ab imperitis hominibus nummos harpagari eloculareque poſſint,adeo quæſtus avidi,ut dulce illis lucrum ſit etiam ex mendacio: ipſi verò omnium rerum præſertim medicinæ rudes atque ignari,quippè,quid bonos deceat,non curent;quid famam perſtringat,neſciant: magnificè inſuper promittentes ſanitatem,quam in poteſtate non habent,etiam incurabilium morborũ ſub capitis ſponſione: nam levia ingenia,quia nihil habent,nihil ſibi detrahunt: & quia morborum differentias,cauſas ac ſymptomata ignorant, omnis dolor qui in ventre hæret, apud eos colicus eſt: pueri ſemper vermibus laborant: mulieres uterino morbo: gravidæ flatibus conflictantur: ſi tuſſim habeant,ægri pectus frigore concretum ariolantur, licet pleuritis,phthiſis,aut pulmonia fuerit: ſi circa juncturas quis dolorẽ ſentiat,ex lotio divinabunt gallicam eſſe luem: præclari hi uroſcopi,omnia ulcera rebellia cancros appellant: nec deſunt ex his nugatoribus,qui urinas circa ſpecula contemplantur, ut rei novitate major turba ad eos confluat: nonnulli ex annulo, necromantici ac magi peſſimi, impii,& capitali pœna digni, urinas judicant, & magiam dæmoniacam cum præclarâ ac penè divinâ arte medicâ confundunt: & digitum tali annulo inſignitum,dum urinas inſpiciunt, auri admovent, fingentes ex incluſo dæmone morbi ſtatum & naturam reſcire: alium novimus,qui urinam deguſtabat,dignam ſcilicet labiis lactucam: quidam circino urinas metiuntur: ita unusquisque ex iſtis præſtigiatoribus aucupia ſua exornat, ut in caſſes & numellas non ſolum ruſticos & plebeos, ſed etiam interdum cives paulò imperitiores ad ſe trahant: alii neſcio quibus ſuperſtitionibus in dijudicandis urinis, uti videri volunt, modò in hanc, modò in illam cubiculi partem curſitantes, modò in media luce ad candelas ardentes,modo ad ſolem deflectentes, lotium mira aſtutia cõtemplantur, jam matulã agitãtes,mox odorãtes,jam guttatim defundentes: nonnulli urinas ponderantes,& alias nugas præ ſe ferentes.

Fraudes quærundã.

Ignorantia circumforaneorum.

Impoſtura uroſcop.

V 2 Alii

Alii mirâ aſtutia utuntur, & in cubiculo prope aream ſito ſeorſim ſedent, dum famulus aut ancilla à deferentibus lotia morbum altiori voce expiſcatur, ita ut ipſi in latibulo audiant: tunc deinde per remotum oſtium evocantur, ut urinas inſpiciant: ipſi verò quaſi fatidici, quæ per ſervum aut ancillam audierant, ex urinâ divinare fingunt, cum magno ſtupore rudiorum, ad quorum aucupium matulas ipſas, aut ſtramineas thecas pro foribus ſuſpendunt, ut à pleriſque ſpectari poſſint, quaſi inſignia diverſorii. Verum hos tenebriores ad tenebras mittamus, & ad Orcum, ne alios poſt hac ad Orcum mittant, & cur domi inſpiciendi urinam conſuetudinem optimi quidam medici admiſerint, inveſtigemus: Quod, ut ego quidem autumo, quidam avaritia illecti fecerunt: alii eò ducti, licet inviti, ne ſine praxi vacui & otioſi haberentur, niſi enim eam admitterent, judicarent eos, vetulæ præſertim & imprudentes homines, plane inutiles ac imperitos, adeò perverſa idiotarum ſimplicitas eſt, & nimis ſtulta in urinarum divinatione confidentia atque credulitas. Quibus acceſſit altera cauſa, ſtulta nempè quorundam decumbentium parſimonia, adeo enim ſordidè avari quidam ſunt, ut ſi medicum ad ſe accerſerent, & in illum pluſculum pecuniæ impenderent, ſe planè exhauriri putarent. Idcirco ſibi perſuaderi patiuntur, medicum ex urinis quemlibet morbum cognoſcere, & ejus curationem inſtituere poſſe, ac remedia deſcribere, citra morbi & cauſæ cognitionem, quod tamen fit cum magnâ pernicie ægrotantis, & cum majori ſæpè incommodo, quàm utilitate, quia ex medicamentis ita præſcriptis medici mortem pro vitâ ſæpiſſime propinarunt: alii cùm non ita locupletes eſſent, coacti fuerunt, ne ſi urinas allatas ab ædibus ſuis, ad alios, qui eas libenter inſpiciunt, ablegarent, vitam ſuſtentare non poſſent, & adeò crevit conſuetudo, ut etiam quidam peritiſſimi & probi medici de cautelis urinarum tractationes compoſuerint, inter quos Gordonius eſt, Arnoldus Villanovanus, & diſertiſſimus Joannes Fernelius.

Avaritia. Vrina domi cur à quibusdam inſpiciatur. Otium. Parſimonia decumbentium. Tenuitas facultatum.

Nos ut hac in re aliquid ſtatuamus, optimum fore præmittimus, ſi conſuetudo hæc depravata à medicis emendaretur, quod ita difficile non eſſet, ſi omnes conſentirent, & imperitos rectiùs inſtituerent, ſinguli in ſua urbe: ita homines hac in re edocerentur, & juſtus honor arti haberetur: nec eſſet, quod medici timerent calumnias circulatorum, ſi omnes in unum conſpirarent. Interea tamen ſi rectè facere per alios non licet, rectè ſentire cum ſapientibus licebit, atque ita media via proceden-

Autoris ſententia.

Digitized by Google

cedendum cenſemus, & quandoquidè pravã illã conſuetudinè domi inſpiciendi urinam planè exterminari non poſſe animadvertimus, quamvis peritiſſimus quiſque contra eam ſcribere aggrediatur, ut inſpiciatur admittimus, & ut prudenter tùm ex illâ, tùm ex dictis latoris morbi natura, quoad fieri poterit, dignoſcatur, & ſignificetur: non tamen ex eâ ſolâ medicamenta præſcribantur, præſertim in morbis alienis à jecore, renibus, ventriculo, & genere venarum, quos urina facile prodit, ne aliter facientes, minùs certi de virium robore & aliis circumſtantiis ægri & morbi infirmum in perniciem deducamus. Eſt enim urina ut plurimum fallax nuncius, ſiquidem in morituris aliquando apparet, ſicuti ſanorum. Nec dubium erit, quin ſi morbi generalitates aliquot prædixerit medicus, illum ſtatim velit patiens cum utilitate ſuâ accerſiri.

Vrina quibus cautelis domi inſpicienda.

Vrina fallax nuncius.

EXERCITATIO JUDICANDI EX urinis: ſeu de cautelis ſervandis in urinarum inſpectione.

CAPUT XI.

Quandoquidem igitur jam ita mos inolevit, ut medici etiam docti multa de abſente ægroto ex ſolâ urinæ inſpectione augurentur: & quilibet ſe ad eorum imitationem ſtudet accommodare, captandæ gloriæ & utilitatis deſiderio: Aut quia ſolent indigna artificia interdum magnis probiſque ingeniis abuti: aut quia compellit domeſtica commoditas, vulgarium ſtultitiâ frui, & nugas tantopere cupientibus, nugis quodammodo obſequi, quia mundus decipi gaudet: ac multi non ſolum ruſtici, ſed etiam cives præcipui ſunt, qui ex ſolâ hâc inſpectione urinæ requirunt, ut medicus nulla non prævideat atque divinet. Et plurimi mortalium in eo verſantur errore, ut exiſtiment, artem medicam divinatricem eſſe: & medicum nullâ aliâ ratione adiri poſſe, niſi cum urinis, in prima acie collocatis, nil interim de languentis conditione cauſiſvè morbi adjungentes, interdum quia verentur has profari, ut quando uxores à maritis acceptas plagas diſſimulant: interdum quod ipſos pudeat aliis palàm facere, ut qui lue venereâ ſunt infecti, & quæ furtivos conceptus gerunt: maxima vero ex parte, quia credunt medicum omnes morbo-

rum cauſas eorundemq; ſymptomata ex ſolo lotio cognoſcere poſſe, aut, ſi non poſſit, medicum non eſſe, voluntq; ex unâ illâ contemplatione præſcribi ſibi medicamentum, quo ſemel ſumpto malũ depellatur, & ni id conſequantur, ſtatim primo medico neglecto ad alterum ſe conferunt & ad tertiũ: Idcircò pauca hîc adſcribam præcepta, quibus inſtructus medicus gloriã ſibi comparare queat, non ſolum citra famæ & probitatis diſpendium, verum etiam cum fructu non exiguo ægrotantium, qui alioqui à medicis peritis reſiliunt & impoſtoribus ſalutem committunt: nec mirum, cùm admodum loquaces hi ſint, & jactabundi, nec ſolum illicita, ſed immodica & impoſſibilia crebrò blaterent, quia idiotis placere mirificè norunt.

Impoſtores iactabundi ſunt & loquaces.

Itaq; cum quis acceſſerit urinam deferens, non ſit medicus promptus ad conſilium adhibendũ, ſed conſideret priùs latoris conditionem: deindè antequam urinam inſpiciat, interrogatiunculam cautè præmittat: nimirum, quamdiu ſit quod ægrota hæc perſona (tacito ſexu & ætate) male habet? poſſit ne adhuc ſua exercere munia? ſubitò an lentè morbus invaſerit, & quàm vehementer? ut hinc ſaltem conjectura fiat acutusnè, an diuturnus ſit morbus. Nuncius, qui alioqui expectat, ut omnia divines, illicò adeo incautè reſpondet, ut ex articulo facile cognoſcas, ſitne vir an fœmina; quod ſi adhuc cælet, ulterius interrogandum, unde contraxerit ægritudinem? benè an malè ſe habeat ad cibũ & potum? dormiatne noctu? & an ſedes habeat naturales? ſentiatnè tumorem in pedibus, vomitũ, ructum aut difficultatẽ reſpirationis? Per hunc utiq; verborum circuitum, quo ſtultorũ mens ſæpe irretitur, facilè jam aut febrem, aut ventriculi debilitatem, aut viſcerum obſtructiones, aut aſthma poteris conjicere: nil tamen pronunciabis, antequã perſpicias urinã, ex qua & non ex prægreſſo ſermone omnia elicere præ te feres, ſic enim plus in admirationem ducuntur, ac fidunt. Quod ſi ruſticus aut lator quilibet adeo ſit aſtutus, immò ſtultus, ut nil ad quæſita reſpondere velit, ſed dicat (ut interdum ſolent) ex urinâ ea omnia, quæ interrogas, dignoſcere debes, & ob eam cauſam te accedo: Tunc conſiderandum, quæ ſit ſtatio anni: quæ cœli conſtitutio: qui morbi graſſentur: quibusve regio ſubjecta eſſe ſolet, aut patientis natio. Nam ut plurimum Hiſpani, Itali, & Galli, morbis melancholicis, febribus, & lue venereâ infeſtantur: Angli ventriculi flatibus, & gonorrhœa, ex nimio cibo: Germani & ſeptentrionales fere omnes viſcerum obſtructionibus ex aſſiduâ crapu-

Cautela in inſpicienda urina.

Interroganda.

Ruſticorum contumacia.

Morbi peculiares diverſis nationibus.

Inditia ex natione.

Digitized by Google

crapulâ & impeſtivis compotationibus; Hi ergo in hiſce ſemper metuendi ſuſpicandique ſunt affectus. Sed enim ſi morbum recentem dicat, aut non ita pridem incepiſſe laborare, de febre, aut pleuritide, aut ſi urina pauca eſt, diſſenteria: Si verò jam pridem decubuiſſe, de obſtructione, arthritide, hydrope, tuſſi, catarrho, & ſimilibus morbis longis indicium erit: adhæc ſi juvenis ſit, æſtate fervidâ, cœliq; ſtatu, & regione calidâ, poſt victum calidum exercitationemque immoderatam ſuſpicio oritur febris ardentis, aut intermittentis bilioſæ, aut diſſenteriæ, aut pleuritidis, & horum quidem illius potiſſimum morbi, qui tum temporis maxime graſſatur. Si verò ſenex eſt, qui laborat, hyeme pluvioſa, & in regione humidâ, fieri vix poteſt, quin tuſſi, deſtillatione, aut gravedine, aut ventriculi imbecillitate affligatur, præſertim ſi natura humidior, crapulæ ac vinolentiæ deditus deſtillationum morbis ſoleat conflictari. *Ex diuturnitate morbi.* *Ex ætate.*

Tandem hiſce jam conſideratis egregium illum laticem ex ſtraminea theca jubeas efferri, ac urinam inſpice, cujus color, intemperiem: ſubſtātia craſſa aut turbulenta, humoris vitium: confuſio, putredinem: contenta, ſedem affectam: multa urina, potum nimium aut renum caliditatem attrahentem: pauca, alui fluxiones denunciabunt. Ita jam acervatim & per generalitates quaſdam recenſenda, quæcunq; ex urina & deferentis colloquio cognoveris. Porro applicata manu ei corporis regioni, in quâ damnum eſſe conjicis, confeſtim applaudunt nuncii, aut patientes, & reliqua palàm faciunt. Solas autem haſce corporis partes imperitorum vulgus nominibus deſignare novit, caput, pectus, latus, à ſummâ ſcapulâ ad coxendicem, ſtomachum à claviculâ uſque ad umbilicum, ventrem, dorſum, & artus. Cum igitur ullo modo pars dolens (nam dolorem maxime infeſtum omnes inprimis animadvertunt) deprehenſa fuerit, quæcunq; hanc ſymptomata premunt, enarrabis: hoc ſemper ante oculos habens, quòd cùm duo ſint ſignorum præſtantiſſima genera, pulſus & urina: pulſus lethalis pernicioſior eſt ſemper lethali urinâ: & ſalubris urina ſalubri pulſu tutior; igitur quia ſæpe interrogant, poſſitnè infirm⁹ ex illo morbo emergere, reſpondebis, ſi ita videtur, poſſe quidem, adhibitis tempeſtivè adhibendis. *Ex urina ipſa.* *Cautela.* *Signa præſtantiſſima duo pulſus & urina.*

Jam verò urina alba & ſpicea ventriculi & jecoris debilitatem frigiditatemque demonſtrat, ſubindeque ructus emitti, præſertim ſi ſpuma adſit: ventriculum à paſtu diſtendi ac dolere; caput gravari: *Vrina alba quid ſignificet.*

corpus

corpus languere univerſum: & errata in victu commiſſa olim fuiſſe. Si antiquum eſt malum, corpus cruditatibus ſcatere, vividum periiſſe colorem, lienteriam, pedum tumores, & cachexiam impendere. Cum vero alba, ſimul craſſa aut turbida fuerit, quoniam à craſſæ lentæque pituitæ dominio fit, enunciat caput dolore concuti, aut gravi ſomnolentiâ tentari: viſcera humoribus multis impediri: inteſtina atque hypochondria flatibus diſtendi: & colicum dolorem imminere: ventriculum nauſea aut vomitione pituitoſa premi: hæc ſi ſimul confuſa apparebit, aut quotidianam, aut lentam febrem urgere, & ea ſymptomata, quæ haſce febres ſolent comitari. Urina verò aurea, ſi tenuis fuerit, jecoris calidam intemperiem, ſitim, corporis extenuationem, vigilias, ſomnum turbulentum, manuũ volas, plantasque pedum impendiò calidas ſignificat. Ea ſi craſſa ſit, bilem flavam exuberare, & exagitari, hancque vomitione reddi: Os jejuno amareſcere: animi defectiones obrepere: ventriculum & præcordia incaleſcere, idque fere cum ſiti & crebrâ dejectione, quæ diſſenteriam minatur, corpus pruritu ardere, aut ſcabie fædari. Eadem ſi confuſa exiſtat, tertianam, aut ardentem febrem affligere, capitis dolorem, vigilias, delirium, ſitim inexhauſtam, aliaque harum febrium ſymptomata. Rubra, ſi tenuis aut mediocris ſit, ſanguinis efferveſcentiam indicat, capitis pulſantem dolorem, & gravitatem, membrorum tenſivam laſſitudinem, & ſi confuſa fuerit, ſynochum putridam ejusque ſymptomata. Sic & ex aliis urinæ coloribus judicandum; nam ſi crocea, admodum agitata viridis appareat, icterus ſubeſt: ſi craſſa & rubea, jecoris ſcirrhus vel phlegmone; ſi tenuis & clara, cum circulo plumbeo, melancholicus morbus, atque ita de mœrore, metu, inſomniis turbulentis, rugitu ſiniſtri hypochondrii, cordis palpitatione narrandum erit. Si ſpumoſa valde, flatus: quod ſi bullæ per ſummam urinæ coronam diſpoſitæ ſint, quia è longinquo deſcendit, caput dolore aut humoribus gravari denunciandum eſt: & ſomnolentiam ac ſenſuũ tarditatem adeſſe: ex iisque aut paralyſin, aut gravioris defluxionis ruinam inſtare: aut ſi certa deſtillationis ſigna deprehendantur, humorem in cervicem, aut ſcapulas, aut in latera atque thoracem, aut in pulmones cum tuſſi aut in artus, & articulos procumbere: & ſi cum deſtillatione febris ſigna adſint, pleuritim urgere: ſi verò cum deſtillatione, oleaginea ſit urina, phthiſin vel ineſſe vel inſtare: vel ingentem renum calorem ipſorum pinguedinem colliquantem. Ex

Alba & craſſa. *Confuſa.* *Aurea tenuis.* *Aurea craſſa.* *Confuſa.* *Rubra tenuis.* *Crocea.* *Circulus plumbeus.* *Spumoſa.* *Oleaginea.*

arenu-

Contenta in urina quid ſignificent. Copia.

arenulis, nephritidem; ex ſquamis, veſicam affici; ex filamentis, dolores circa ureteres & inguina; ex copia urinæ externæ noctis potus abundantiam dignoſces: quod ſi optimâ apparente, æger tamen conqueratur, de morbis pectoris aut externarum partium præmonendum erit. Et quæcunque hactenus diximus tam viris quàm fœminis communia ſunt.

Mulierum urina.

Cæterum accedunt interdum mulierculæ cum urinis, & petunt ut medicus eas inſpiciat, illas ſi ſubridentes, aut pudore quodammodo ſuffuſas, dum tecum colloquuntur, animadvertis, indicium eſt à fœminâ aliquâ, eaque juniore miſſas, & unum ex duobus ut plurimùm contingit, ut aut quæ furtivo concubitu fuit uſa, & menſes ei deficiunt, ſcire velit an gravida ſit; aut alia honeſta mulier propter alias cauſas: aut certè quæ ſterilis in conjugio degit, ſterilitatis cauſam ſcire cupit. Utcunque ſit, rectè ac prudenter feceris, ſi dicas, nolle nec etiam debere id, quod ex urinâ cognoſcis, alteri palàm facere, quam ipſi perſonæ, cujus eſt urina: nam ſi primum erat, illico medici admirantur ſcientiam, qui fraudem noverit, & laudant ſecreti habitam rationem.

Indicia gravidationis ut deſumenda.

Quod ſi rogaverit, an gravida tibi eſſe videatur, tum conſideratis gravidationis indiciis à nobis poſitis libro *de univerſa mulierum medicina*, ſi omnia aut pleraque conveniant, prudenter & caute reſpondebis, tibi quidem ita videri, ſed ut certiùs id poſſis aſſeverare, requiri etiam patientis præſentiam, ut ex pulſus obtrectatione ulteriora inchoati hominis indicia deſumere queas, reliquis tacitis, quæ cùm ad illam veneris, quaſi aliud agens, ſtudioſè interrogabis.

Sterilitatis cauſa indicia.

Si ſterilitatis cauſam ſcire cupit, aut menſtruorum retentionem, ſi urina tenuis, pallida, & cruda ſit: aut quod virile ſemen non retineat, licebit pronunciare: hæ enim duæ ſterilitatis cauſæ præcipuæ ſunt ac communiſſimæ.

Ex duplici urina quomodo prima dignoſcatur.

Si patiens duplicem ſervaverit urinam, & utramque circa auroram emiſerit, quæ intentioris coloris, & magis concocta eſt, ac fæculenta, illa eſt prima: ſi verò ante mediam noctem ac circa concoctionis tempus emiſſæ fuerant, quæ minus rubet, nec adeo concocta eſt, illa eſt prior.

Vrina viri.

Sciendum præterea, urinam viri craſſiorem eſſe quàm fœminæ: quod ſi interdum tenuis illa etiam ſit, tamen fœminæ urinam rariſſimè craſſam eſſe contingit, itaque ex craſſitudine & confuſione plerumque viri eſſe conjectabis.

Liquores alii ut dignoſcantur.

Verum ſi liquor alius, loco urinæ, à peſſimis & fraudulentis hominibus medico offeratur, ipſum tentandi aut irridendi gratia, fraudem cognoſcet, quia

Digitized by Google

reliqui liquores, cum deſtituantur calore nativo, hypoſtaſin, ſeparationemque non habent: aut utique odor vini ſeu alterius liquoris deceptionem deteget: urinæ verò jumentorum dignoſcuntur, quia ut plurimum ſunt ex albo citrinæ & confuſæ, ac valde craſſæ, & inſuper quia urina hominis ex propinquo craſſior, ſi vero manus extendatur cum urinali, tenuior & clarior apparebit: è converſo vero, ſi ſit alius liquor, ut rectè Gordonius notavit. Denique ſi plures ſimul cum urinis accedunt, cum ſingulis ſeorſim loqui prudentis erit, non præſentibus aliis, ne ſi forſan unam & eandem reſponſionem duobus dare oporteat, id ſemper dicere videaris.

Vrina jumentorum.

Hiſtoria de ruſtico urinam afferente.

Pro coronide hujus capitis ad majorem exercitationem duas appendam hiſtorias lepidas, ſed tamen veras, ut accepimus. Ruſticus in Galliâ rigidâ hyeme urinam ad medicum deferebat, is interrogans, an uxoris ſit? affirmat Ruſtic⁹, ſed inſpice, inquit, numquid alia in ea animadvertas, medico, cùm urina optimi coloris eſſet, ſuſpicio orta eſt de dolore externo, cumque ſubeſſe pronunciavit: Papæ, clamat ruſticus, rectè divinaſti: ſed unde dolor quem in latere nunc livido factò ſentit? Medicus audiens de colore livido facile conjectavit, eundem ex caſu, aut percuſſione contigiſſe: ideo rogavit, nunquid uxor cecidiſſet: ruſticus medicum demiratus, ad ipſum ſe convertens: magiſter, inquit, ſi mihi poteris dicere, unde nam illa ceciderit, habeberis à me inter omnes facile primus: medicus ſtupiditatem coloni animadvertens & ædium rationem evoluens, per trabes aut ſcalas delapſam eſſe protulit: per Deum, rurſus inquit ruſticus, ſi noveris ex lotio, per quot ſcalas ceciderit, te artificem apud omnes decantabo: hic medicus vix riſum compeſcens, conſiderans tamen ruſticorum cubicula non admodum alta eſſe, per duodecim circiter ſcalas cecidit, inquit: cui ruſticus, inſpice diligenter urinam, nam plures eſſe debent: medicus oculos in terram defigens aliquid novi præmeditabatur, deinde vultu compoſito inquit, lubrica admodum via eſt præ nimio gelu, nunquid cecidiſti in itinere, & urinæ aliquid effudiſti? ruſticus, ut erat homo ſimplex, medicum ut vatem aſpiciens, cecidi, inquit, ac nonnihil urinæ effuſum eſt: Tunc medicus magna cum auctoritate, amice, inquit, eo in loco, in quo cecidiſti, reliquas ſcalas inquiras, nam hic in matulâ eas non habeo: ſic ruſticus medici eruditionem & experientiam extollens, ad caſam rediens, ſui ſimilibus rem geſtam cum magnâ admiratione & applauſu

enarra-

Digitized by Google

enarravit. Altera hiſtoria hæc eſt: Medicus fuit in Belgii urbe ob urinarum inſpectionem celebris, ad quem ruſtica cùm urinam mariti deferret, priùs deflectebat ad fœminam, cujus maritus colonus erat: hæc ſciola ſibi oblatam occaſionem fallendi medicum nacta rogat ruſticam, ut urinam ſibi deferendam tradat, & ſic medicum accedit: is animadvertens poculum, in quo urina erat, herba obturatum, quam noverat, in uno certo loco creſcere, aſpiciens fœminam, quam agnoſcebat callidam, dolum ſubeſſe ſuſpicatur, quare hoc prævertens, dum urina ex poculo in matulam transfunderetur, hæc inquit, urina nō eſt nobilis nec civis, ſed ruſtici potius, nec ex hac civitate defertur, immo per talem portam civitatis, quicunque urinam detulit, intravit: hoc audito, attonita eſt nobilis fœmina, & ultrò morbum coloni depinxit, ac medici eruditionem non poterat ſatis mirari, exiſtimans, ex urina omnia prædixiſſe. Hæc, quamvis futilia, allata ſunt, ut Tyrones medici exempla habeant, ad quorum imitationem vulgarium erroribus in ſeriis ſatisfacere poſſint. *Hiſtoria altera.*

QUÆ SINT ÆGROTANTIUM, QUÆVÈ AſSIſTENTIUM PARTES IN MORBORUM CURATIONE.

CAPUT XII.

SAtius tamen ſemper fuerit, ægrotantē & aſſiſtentes ſuarum partium admonere diligenter. Nam juxta primam Hipp. ſententiā *in aphoriſmis*, non ſolum oportet ſe ipſum præſtare medicū opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſiſtentes, & exteriora. Porro ęgrotantis munus erit, una cum medico morbo ſeſe opponere, ut enim ipſe Hipp. inquit, *ars tribus conſtat morbo, ægro, & medico artis ſeu naturæ miniſtro*: ægri autem eſt, unà cùm medico morbo reluctari. Quod facilè obtinebit, ſi protinus à principio ſignificet medicus, ad morbum expellendum non ſatis eſſe ipſum officio ſuo fungi, ſed opus habere ipſius ægrotantis obœdientia, ſic enim fiet, ut duobus oppugnantibus morbus ſuccumbat. Nam ſi æger medico reluctetur, & aut fraudulenter agat, aut medicamenta rejiciat, aut aliter ſe gerat in victus ratione, quàm medicus prēſcripſerit, morbus neceſſariò ſuperabit, quia, ut Galenus citato inquit, *neq; hercules contra duos.*

1. Epid. 2. 55.

Ægroti munus.

Ægroto quæ ſunt perſuadenda. Sed enim plurimum ad prædictam obœdientiam comparandam faciet, ſi æger intelligat id, quod Hippocrates libro *de arte* protulit, medicum ſana mente, ſanoque corpore rem aggredi, & arte valere, quâ morbus
1. propulſari ſolet: ægrum vero neque quâ parte, neque ob quam cauſam laboret, cognoſcere, dolentem ob præſentia, timentem futura, morbo plenum, & conſilii inopem, quæ ex uſu ſunt ignorare, & noxia ſæpè expetere. Nec abs re erit, ſi ad eandem comparandam obœdientiam medicus ſeipſum coram ægrotis prudenter ac modeſtè commendaverit, aliosque recenſuerit, qui ejusdem opera à ſimilibus morbis fuerint liberati: Non quidem propter inanem gloriam aut lucrum, ſed ut obſequentiores, & magis confidentes reddat ægrotantes, ut Galenus in commentariis ad librum de iis, quæ in medicatrina fiunt, ſapienter annotavit. *Medico ſeipſum laudare quando liceat.* 2. *Li. 2. tex. 1.*

Confidentia ægri ad curationem facit. Nam, ut ſæpius inculcavimus (neque enim vitium eſt, quæ valde neceſſaria ſunt ſæpius repetere) confidentia ægroti plurimum ad ipſius ſanitatem facit: quippe multi ob ſolam confidentiam in medico, fuerunt
3. perſanati: alii quia medico confidentes nil quicquam à præceptis ipſius recedere auſi ſunt. Ideo oportebit (quæ quarta erit perſuadendi ratio) medicum in omnibus locum ſervare, quem tenet, ut copioſè à nobis *capite quarto huius libri* proditum eſt. Quinto nunquam aſſeverare debet *Medicus ſervet locum quem tenet.*
4.
5. medicus, aliquod auxilium poſſe morbum penitus expellere, quod leves homines faciunt, quia poterit fortaſſe non conferre, & periclitabitur
6. concepta de medico opinio ac confidentia. Sexto, ad eandem rem plurimum etiam conducunt, quæ de ratione gratificandi ægroto ſuperius diſſervimus. Verum dices, quid prodeſſe poteſt ad curationem confidentia, quæ nihil aliud eſt, quàm animæ rationalis affectio ex opinione rei deſideratæ? Reſpondeo, maximi eſſe emolumenti, quia affectio illa, & alacritas movet calorem naturalem, quod eſt animæ inſtrumentum, contra morbum, & cauſam ipſius, ideò dicebat Avicenna: *Attende diſpoſitionem infirmi cum credit, ſe convaleſcere: aut ſani, cum credit ſe ægrotare: multoties enim contingit ex hoc, ut cum corroboratur forma in anima eius patiatur ex ea ipſius materia, & proveniat ex hoc ſanitas aut infirmitas: & eſt actio hæc efficacior, quàm id quod agit medicus inſtrumentis ſuis & mediis.* *Confidentia quid & quo modo proſit.*

Aſſiſtentes. Per *aſſiſtentes* quidam intelligunt medicos juniores, aut nondum promotos, vel eos, qui nuper doctoratus inſignia fuerunt conſecuti: ſic Bartholomæus Vicarius in libro quem *de ægrotantium optimo aſſiſtente* inſcripſit, in quo medicum potius inſtituere mihi videtur; quæ ſingulis morbis

morbis conveniant remedia, non aliter atque alii practici, prolixe repetens: cum tamen Hippocrates citato aphoriſmo aſſiſtentem à medico apertè diſcriminet. Alii *aſſiſtentes* vocant non ſolum familiares, qui ægroti curam habere ſolent, verum etiam reliquos artifices, quibus medicus in curatione indiget, quos peritos in ſua arte eſſe oportet, ne ipſorum errores in medici redundent ignominiam. *6.Epid.ſ.1.* Sex autem ſunt artes, *Sex artes medico famulantes.* quæ Galeno teſte medico famulantur, pharmacopœa, ars infundendi clyſteres, ars aperiendi venas, ars obſtetricandi, coquinaria, & famulitia propriè nuncupata: Quarum omnium medicus peritus ſit, ut artificum errata cognoſcere, emendare, aut ſaltem effugere poſſit. Nos reliquis nunc omiſſis, de quibus ſuis locis ſermo erit, per *aſſiſtentem* hic intelligimus, ægrotantium aſſiduum miniſtrum, & omnium, quæ ægrotantibus accidunt, ſedulum contemplatorem. *Aſſiſtentes qui ſint.* Is igitur, ſive vir ſive fœmina ſit, eligatur, qui in ægrotantium cura fuerit ſæpè verſatus, cum ipſis noctu dieq; commoratus, & quoad fieri poteſt, morbi motus, ſymptomata, & ipſius ægrotantis actiones noverit contemplari, eaq; omnia advenienti medico enarrare, & inſtituta remedia ſuo tempore ægris ex præſcripto medicorum adminiſtrare, & clinicis mulieribus mandare, ut diligenter ea, quæ ad cibum & potum corporisque munditiem ſpectant, exequantur, & ut matulę, & ea vaſa, in quibus excrementa deponuntur, munda ſint ac perpolita. *Aſſiſtens qualis eſſe debeat.* Neque unquam, ſi fieri poteſt, ab ægri latere diſcedat, qui ſi ad ſomnum fuerit proclivis, & per morbũ aut imminentem acceſſionem dormire non conveniat, jucundis narrationibus, ſalibus, & ſermonis ſuavitate vigil contineatur. *Aſſiſtentis munus.* Advenienti verò medico obviam ibit aſſiſtens, & hilari vultu cum eo ad ægrum ingrediatur, ac ſi per vires liceat, permittat, ut quæcunque acta fuerunt, quidvè boni aut mali ſenſerit, intermedio ab ultima viſitatione tempore, infirmus proferat, ſin minus, eadem ipſe exponat. Tunc deindè medico lotium inſpiciendum offerat, & recrementa vel ſputa, ſi opus ſit, aut quæ vomitu ejecta fuerint: vel ſanguinem, qui è naribus fluxerit: ſi quid verò ab ægro in narratione fuerit prætermiſſum, ipſe ſeorſim ſignificet. Quod ſi plures advocentur medici, & conſultatio inter ipſos ſit celebranda, curet aſſiſtens, ut in altero cubiculo, ſeu in ipſarum ædium aula, ex quà æger medicos audire nequeat, ſedilia ſint parata, inter quos inferiori loco ſedeat aſſiſtens, & primus diligentiſſimè enarret, quæ eo usque acta fuerint, prompteque ad quæſita medicorum reſpondeat. Poſtmodum

cuncta, quæ medici agenda ſanciverunt, memoriæ mandet, & ſingula, quæque ſuo tempore, exequatur: caveatq; quidquam ægro exhibere, quod vel à medicis non fuerit præordinatum, vel cum illis non antea communicatum. At enim quia nonnulla præcipiunt medici, à quibus æger interdum maximè abhorret, ſuperiùs allatis rationibus ea aſſiſtens infirmo artificioſè ſuadeat, adjungens, maximũ ex iisdem juvamentum percepturum, quæ ſi non adhibeantur, fore ut morbus vel protrahatur vel vitæ periculum inferat. Cæterum eligantur aſſiſtentes languenti familiares & grati, quique pro ipſius ægrotantis arbitrio loquantur aut taceant, bonaque ſemper ipſi nuncient, nec nominent coram ægro eos, quos ipſi eſſe infenſos norunt. Adhæc alacres ſemper ſint, nec tædio affici præ ſe ferant miniſterii, quantumvis prolixi & moleſti: ſed hilari ſemper animo præſtent, quæ ab ægroto imperantur, placideque ferant ipſius gemitus & querelas, impigri ſemper nec moroſi, ſingula tempeſtivè exequentes. Curent inſuper, ut omnia languenti arrideant poculenta & eſculenta, & quæcunq; videt, quæque tangit: albæ ſint mappæ, & mantilia candida, & vaſa omnia, quibus utitur æger, nitida, menſa floribus & aliis ornamentis eluceat: nitor enim iſte non ſolum languentis animum exhilarat, verum etiam appetitum revocat & inſtaurat: lectus parandus modò humili, modò in ſublimi loco, amplus vel anguſtus, mollis aut durus, pro ægrotantis arbitrio & indigentia: corpus vero multis ſtragulis non fatigetur: quod ſi ægrum permutare in alterum lectum vel cubiculum opus ſit, citra ægrotantis moleſtiam ac dolorem id fiat: feneſtræ etiam occludendæ, vel aperiendæ, prout morbus & temporis conſtitutio poſtulaverit: parietes ſericis ornamentis vel aulæis ornentur, quibus inſint gratæ ægrotanti picturæ: ſuffitus & irrorationes fiant ex odoribus ſuaviſſimis: aquarum ductus ex vaſis pulcherrimis in alia ſonora & arridentia, quæ vaſa ornentur floribus, frondibus, & fructibus viſui gratiſſimis, & odoriferis. Cibus tempeſtivè offeratur, prout medicus præceperit, quâ in re maxima requiritur aſſiſtentis diligentia atque induſtria, ne aut languida natura obruatur, aut diutius inediâ protractâ deficiat. Cùm enim hac in re ſani impunè non errent, infirmi profectò multò majora ſentiunt nocumenta; ſæpè etiam per morbos præſertim acutos in apertum vitæ diſcrimen deducuntur. Quod animadvertens olim ego, laborante dilectiſſima ſorore mea Beatrice de Caſtro, jecoris graviſſima inflammatione, lubens volui & medici

Aſſiſtens qualis eligendus.

Menſa.

Lectus ægroti.

Cubiculũ.

Cibus.

dici & aſſiſtentis officium præſtare, & per integros quatuordecim dies ab ipſius latere nunquam diſcedens, quater interdiu, ter verò noctu Priſanam exactiſſimè paratam exhibebam, (nam ab alio cibo penitus abhorrebat) ita menſuratis temporum intervallis, ut neque vires deficerent, quod accidebat, ſi protraheretur ſorbitio, nec gravaretur natura, ſi intempeſtivè exhiberetur. Aſſiſtens verò, de quo agimus, ſedulò curet, ut lotiones pedum & capitis, Balnea, unctiones, fomenta, frictiones, & reliqua miniſteria, ſedulò ac jucundè perficiantur: ſudor à vultu præſertim quàm commodiſſimè abſtergatur linteis calidis ac minimè humidis: & in ipſo ſudore aliquid ſorbendum guſtandumvè exhibeatur, ut vires recreentur. Ad aſſiſtentes inſuper pertinet, exteriora omnia vitare, quæ languenti nociva eſſe queunt, ut quæcunque iram vel concitare valent, aut triſtitiam, ex intempeſtivis nuntiis, afferre: vicinorum etiam tumultus, canum latratus, ædium pulſationes, præſertim quo tempore ſomnum capere vult infirmus, & maximè convenit: vel ſi alias diu fuit inſomnis, quo in caſu aliquid etiam poſtibus alligari ſolet, ut pulſantium ictus minimè percipiantur, aut janitores adſint, qui advenientes de tranquillitate moneant. Quamvis autem pleraque ſunt, quæ ipſi prohibere non poſſunt, ut tonitrua, fulgura, inſultus latronum, ædium ruina, defluxus aquarum, incendia, & ſimilia quæpiam: poterunt tamen artificioſe curare, ut quam minimum de ipſis reſciſcat ægrotus.

Lotiones & inunctiones.

Sudoris abſterſio.

Tumultus arcendi.

UT MEDICUS SE GERERE DEBEAT CUM IIS, QUIBUS MENS NON CONſTAT.

CAPUT XIII.

Verùm ut eò, unde digreſſi ſumus, oratio ſeſe referat, ad medici ulteriorem inſtructionem revertamur. Is ad melancholicos ſive maniacos, ſive etiam phreneticos accerſitus, ſive patiens ex amore inſaniat, ſive ex eo, quod opibus aut honoribus ceciderit, aut foro ceſſerit, quod plerumque fit ſive ob aliam cauſam externam internamvè: Et rurſus ſive ex iis ſic, qui cum perpetuo & alto ſilentio, aut vehementi

timore

timore, ſummovè furore inſaniunt: ſive ex iis, qui cum riſu & hilaritate, aut quavis alia ratione deſipiunt, prudentiſſimè ſeſe gerat, & non niſi bene comitatus ad eos accedat, ac cum maximâ cautelâ pulſum tangat, miniſtro interea clanculum monito, ut alterum brachium caute retineat: ſolet enim per intervalla effrænis humor impetum facere, & laborantes impellere, ut quaſi feræ & immanes beluæ obvios dentibus, unguibus, & pugnis inſolenti rabie petulanter invadant; & nonnunquam ita furioſè rem agunt, ut amicos atque aſtantes, immo etiam medicos ipſos, præſertim ſi antea eis tacitè infenſi erant, aut verberibus, aut morſibus, aut aliis injuriis lædant, & ſecreta depoſito pudore palàm faciant, moreſque propè ferinos exprimant: Torvos, intrepidos, attentoſque habent oculos, ſemperque aliquid mali meditantur, & decipi ſuſpicantur, ac ſibi inſidias ſtrui, quia in ſingulis depravata eſt functio principis alicujus ſeu rectricis facultatis, ideo alii vates ſe augurantur, & de rebus futuris multa pollicentur: nonnulli ſe potentes eſſe exiſtimant, atque etiam Reges, ideoque huic comitatum, alii ducatum, aut gratiam aliam more principum concedunt: alii in novam ſpeciem ſe transformatos putant, unde aut gallorum, aut cuculorum, aut aliorum animalium voces, geſtuſque imitantur: alii fictilia ſeu vitrea vaſa ſe eſſe autumant, idcirco ne ab aliis lædantur, cedunt: plerique quamvis mortem pertimeſcant, eam tamen exoptant, ac ſibi conſciſcunt. Theophilo medico ægrotanti prudentia ſuper erat diſputandi, & alios cognoſcendi, cæterum tibicines angulum domus, ubi decumbebat, occupâſſe, aſſidueque pulſare inſtrumenta putabat, ideò exclamare non deſinebat, ut domo ejicerentur, cui ſanè ſola imaginatio læſa erat. Alter fores intrinſecus occluſit, ac ſingula vaſa per feneſtram promens, accedentes rogabat, num projicere juberent, quoad tandem ab alto omnia projecit ac fregit, huic ratiocinatio potiſſimum vitiata fuerat. Nonnulli, ne terra eos abſorbeat, verentur: Alter fuit timens, ne Atlas, quem mundum ſuſtinere putabat, gravatus ſub tanto onere, ipſum à ſe excuteret, atque ipſe cum illo collideretur, & omnes homines cum ipſo perirent. Alii venenoſum pharmacum accepiſſe ſuſpicantur, & ſuſpitionem interdum confirmant viroſi ac peregrini ructus. Nonnulli etiam dæmones ab adverſariorum præſtigiis ſibi immiſſos eſſe credunt, & ita incantatos. Quidam neque omninò caput ſe habere putavit, ad quem excogitâſſe dicitur Philotomus, referente Aetio, poſt reliquam curationem

Varii melancholicorũ errores.

Hiſtoria.

Alia.

Galenus 3. de locis, 7.

nem plumbeum pileum, à quo gravatus caput ſe habere intelligeret. Alius cum ſe mortuum eſſe putaret, & ideo cibum potumque reſpueret, ab iis qui ejus curam gerebant, in cubiculo detentus fuit comedendi tempore adventante: tunc alii, qui eò loci abſconditi erant, candidâ mortuorum veſte induti mortuos ſe eſſe finxerunt, ad menſam nihilominus lautiſſimis cibis refertam diſcumbentes: is vero, qui mentis errore laborabat, admirabundus, &, qui nam ſunt iſti? interrogavit: cui illi; mortui ſumus, reſponderunt: at hic; aſſumuntnè mortui cibos? tum, lautius, inquiunt, & uberius, quàm dùm vixerant, qua ratione ei perſuaſerunt, ut cibum unà caperet. Alium novi, qui mori vehementer cupiebat, affirmans ſe eſſe præcitum, & ejus peccata graviora, quàm ut remitti poſſent; ideo ſublimati copiam devoraverat: hunc exhibitis medicamentis, quibus venenum evomuit, admonui, ut ſe non interficeret, ne pœnas tantò citius delictorum lueret: tunc deinde remediis adhibitis convenientibus ad ſe rediit. Alii ſerpentes ſe in corpore habere exiſtimant, quibus dato levi pharmaco in laſſanum ſerpens injiciatur, quaſi à medicamento expulſus. Quidam tumorem ingentem in latere habere ſibi perſuaſerat, cui emplaſtris nullius efficaciæ adhibitis, indies maturari abſceſſum medici perſuaſerunt, quoad tandem lanceolâ ſuperficieten' tacto loco clanculum ſuper cutem, alii liquorem mixtum ex lacte & ſanguine effuderunt, qui pus referret, quo viſo ceſſavit imaginatio. Nec deſunt, qui brachiis, cruribus aut aliis membris carere arbitrantur. Infinitum propemodum eſſet enarrare varia ſymptomata, & miros errores, qui ex mente commotâ proficiſcuntur. Nam (quod Ariſtoteles literis tradidit) ut vinum potantium naturæ & moribus, ita melancholia laborantium conſtitutioni ſe accommodat; idcirco non ſolum medicus ſui corporis & auctoritatis prædictâ ſecuritate & cautelâ rationem habeat: ſed dabit inſuper operam, ut æger ſummam erga ipſum præſtet obſervantiam, nequid coram eo temere & abſque ratione audeat. Quod ſi nec auctoritas, nec minæ proſint, verbera adhibeantur & ligaturæ.

NON ESSE ACCEDENDUM AD ægrotos, niſi rogarint: qui verò rogant, quatenus viſitandi ſint.

CAPVT. XIV.

1. Ratio. HOc præceptum maximè eſt obſervandum, nam ſi medicus
non requiſitus viſitet patientem, reddit ſe ſuſpectum aut
nimiæ ambitionis, aut quæſiti lucri; hiſce enim, & non be-
nevolentiæ, homines tribuunt viſitationem. Et inſuper ſi
2. non vocatus accedis, certus eſſe non potes de confidentiâ,
1. Prognoſt. quam in medico habere patientem oportere ex Hippocrate dixi-
mus: perit itaque jam altera bonæ curationis circumſtantia, quia con-
ſtat infirmum per fidem, quam in te habeat, ſeſe tibi non commit-
tere: & per hanc tuam ſpontaneâ viſitationem liquet, ſibi non perſuade-
ri, tuâ indigere operâ, ſiquidem tu potius te ipſum inſinuas & obtrudis:
nec tenetur ad compenſationem ullam, quandoquidem de ejus animo
medico non conſtat, an officium hoc ſibi præſtari voluerit, ab eo, qui
tacitè declaravit, ſibi ſatisfactum eſſe, ſi modo acceſſum ſuum patiens
3. permitteret. Adhæc aut notus erat & familiaris patiens, priusquam
ægrotaret, aut non; ſi notus & te deſpexit, propterea fecit, quia tua o-
pera ipſi grata non erat: ſi verò ignotus, inepta tua viſitatio fuit, & ſi
quid ſiniſtri acciderit, ſuſpicione non vacabis; ideoque viſitatio non re-
quiſita inutilis eſt, indecens, ac ſuſpecta, atque adeo nullo modo faci-
enda, niſi forte admodum familiaris ſit patiens, aut mentem habeat læ-
ſam, & electione privatâ: aut cognatus languentis fuerit alius medicus,
quem cognationis gratiâ vocavit patiens alioqui tibi familiaris, quo in
caſu eum poteris ſemel inviſere nō ut medicus, ſed ut amicus: & quam-
vis pulſum attrectes, & urinam inſpicias, non tamen revertaris, niſi
vehementer rogatus, immò te excuſabis præſentiâ alterius medici, cu-
jus operam modeſte ac decenter pro tua auctoritate commendabis.
4. Quarta ratio eſt, quia patientem gravabit, & morbum fortaſſè augebit,
dum teneri ſe putat ad perſolutionem ei, quem non vocaverat. Sunt
enim quidam adeo avari & ſordidi patientes, ut omnem medicam o-
pem negligant, dum pecuniæ metuunt, malintque diris cruciatibus
torqueri, quàm duplicem curationis impenſam tolerare, ex quâ adeo
ma-

Digitized by Google

moleſtantur & anguntur, ut morbus interdum duplicetur, & ipſi periclitentur. Non eſt igitur accedendum ad ægrotos, niſi rogârint: & peccant vehementer medici, qui miſerorum naviculatorum more, undique vectores oſtiatim cogentium, interdum etiam vociferantium, ut officium ſibi præſtari patiantur, ægris perſuadent, quidam per mulierculas, pharmacopœos, ac vulnerarios, quos ad id quaſi conductos habent, ut noſcant, ubi ſint patientes, apud quos aut aſſiſtentes eorum operam prædicent, quæ per ſe & propriâ virtute nullâ fortaſſis laude digna fuiſſet. *Simile.*

Porro è converſo peccant medicorum cognati aut amici, qui medicos, etiam non requiſitos, teneri eos viſitare in ſuis morbis mordicus contendunt: & alii, qui adeo ſunt moroſi & tenaces, ut medicum non niſi obiter & indirectè ad ſe vocent: aut ſaltem ſperent, quoad, ut amici, ab ipſis viſitentur, ut poſſint eorum operâ gratis uti, nil curantes, ſi interdum malum augeatur: quod ſi ipſos interea non viſitent, aut etiam minimè moniti non frequentent, medicos accuſent minus ſynceræ amicitiæ aut benevolentiæ. Si verò objicias, nec ipſos ad id non requiſitos medicorum res tractare, reſpondent: tanti momenti eſſe valetudinem, ut etiamſi ipſi res tuas non curent, tu tamen tenearis eorum ſalutem non contemnere, nec eam cum aliis rebus conferre. Quod avaritiæ cauſa plerumque faciunt, quia ſic minùs ad remunerationem teneri arbitrantur, ubique tenacitati incumbentes. Verùm ſi qui tales hypocritæ reperiuntur, trabem prius ex propriis oculis removere debuiſſent, quàm de feſtuçâ in viſu alterius judicare: Anteponunt miſeri, ſiniſtre ratiocinantes, exiguum ſumptum propriæ valetudini, & volunt, ut medicus alienam ſanitatem ſuis laboribus & commodis anteferat. Volunt inſuper à medico & à ſe ipſis res ſuas tractari: medici vero res nec ab ipſis, nec à medico: deinde tu qui affinitatem aut cognationem prætendis, & propterea ad te priùs gratuito accedendum, quàm ad alios, finge medicum, cujus peculium ſit ejus profeſſio, tot habere in civitate cognatos decumbentes, ut ei nihil diei ſuperſit pro aliis: nonne vides quàm egregiè res proprias negligens, ipſe & familia eſurient? unde hic victum & reliqua ad vitam neceſſaria comparabit? unde quæſo familiam alet? quod ſi affluens ſit, cur tamen totam vitam in eorum ſalutem gratis impendet, qui ipſius cauſa nec horula fortaſſe occuparentur? At, inquit, ſi me amat, omnia hæc meæ valetudini poſtponere debuiſſet. *Tenacium ægrorum mores.* *Affines.*

 Sed,

Digitized by Google

Sed, avare *ut ameris amabilis eſto*: neque ſperare debuiſſes, ut ardentius te quiſpiam amet, quàm tu ipſe, qui propterea te minus amabilem reddidiſti, quia captioſè & fraudulenter cum amico agis.

Dubium. Major eſt ambiguitas ſi quando diſſidium incidit inter medicum & cognatum, qui durante diſſidio morbo corripitur, teneaturnè medicus illum non vocatus viſitare. Cui affirmativè reſpondeo, exemplo profeſſorum Salmanticenſium, inter quos etiamſi magnæ interdum ſimultates intercedant, ſi quis tamen decumbat reliqui etiam diſſidentes ob ſtudiorũ communitatem eum ſolent peramanter viſitare, neq; vero minor eſt cognationis quam ſtudiorum conſenſus. *Salmanticenſium. mos.* Si vero cognatus decumbens aliũ vocavit ad ſe medicum, ibi major erit perplexitas, & ſalvo decorō vix illum poterit accedere, quia addidit injuriam diſſidio, & præſertim ſi ſit adeo refractarius patiens, ut acceſsũ medici cognati non libenter paſſurum intelligamus; ſed generoſus ac prudens medicus bono malum vincat, & ea omnia ſuperet, non conſiderans quid patiens mereatur, ſed quid ipſum deceat, ac Dei eloquium pertimeſcens. *Dubium alterum.*

Convaleſcentes ut viſitandi. Jam vero convaleſcentes, qui ex morbo aliquo gravi & dubio, Dei beneficio & operâ medici, fuerunt liberati, ſi accedente medico ſignificêt, primarium aliquem virum apud ſe habere, aut aliam excuſationem prætexât, ut in ſequentem aut alium diem viſitationẽ differat: non eſt, quod gravis medicus ulterius accedat, donec patiens per nuntium expreſsè id poſtulet: nullius enim etiam principis viri præſentia, urgente neceſſitate, medici impedit acceſſum: qui ſi ſemel denegatus fuit, ſuſpicio oriri poteſt, ne ſi adhuc perſeveres viſitando, ſalarii nondũ accepti causâ id facias: & errant medici interdum, hâc in parte nimium importuni & contumaces. *Hiſtoria.* Primarius quidã vir è morbo convaleſcens, templũ adiit, medicus, qui ab eo pro ſingulis viſitationib⁹ coronatũ accipere ſolebat, domi eum non inveniens ad templum ſe confert, & magno ſupercilio ſine ejus permiſſione id factũ affirmat: at ille, coronatũ porrigens; accipe, inquit, toties vi extortum tributũ, contra quod nec templũ quidem mihi aſylum eſſe potuit; quo reſponſo medici avaritiam caſtigavit.

Quoties viſitandi ægroti. Cæterum vocatus medicus bis in die accedat patientem, ſi morbus fuerit acutus, pluries etiam, ſi acutiſſimus: ſi vero chronicus ac diuturnus, ſatis fuerit ſemel in die eum viſitare: poſt quadrageſimũ diem alternis diebus, aut etiam bis in ſeptimana, niſi æger primarius ſit, aut prædives, & indies cupiat viſitari, nam & id pleriq; faciunt etiam per ſani-

ſanitatem, valetudinis conſervandæ gratiâ. Neque erit abs re, immò ad civilitatem maxime pertinet, ſi poſteaquã convaleſcens honorarium obtulit, & per hoc jam ſatis bene valere declarat: tamen ſemel adhuc aut iterum opportunè illum inviſeris, ac ne putet propterea ad ulteriorem gratitudinem teneri, illud præmittendum, hactenus illum uti patientem, nunc ut amicum viſitare, ut quem ægrotantem videre doluiſti, jam ſano & incolumi de valetudine graculeris. Obiter hîc advertendum, ut non ſolum manè, verum etiam à meridie, & ſingulis horis, quibus ægrum accedit, urinam medicus inſpiciat, in acutis, ut concoctionis indicia, & perſeverantiã dignoſcat, quod Galenum feciſſe legimus. Magno etiam ſtudio cavendum, ne urina vento perturbetur, aut frigore congeletur, aut alio quovis modo immutetur, donec ſeparatio contentorum fiat: ut vel hinc innoteſcant nugatorum impoſturæ, qui ex urinis interdum etiam per aliquot milliaria allatis, & aeris inclementiâ perturbatis, tanquam in ſpeculo, cuncta pronunciare audent, adhæc garruli: cum vero de morborum cognitione, ſignis, cauſis, indicationibus, & curatione diſſerendum eſt, plane muti & inertes.

Vrina bis in die inſpicienda.

9 Meth. 4. 2. Prog. 20.

LICEATNE MEDICO AUXILIUM denegare poſtulanti.

CAPVT XV.

NOn ſolum invitos, ac id non expetentes non eſſe viſitandos, verumetiam diligentem habendũ eſſe delectum eorũ etiam, qui noſtram operam implorant, neque omnibus indifferenter medicas auxiliaresq; manus adhibendas, plerique arbitrantur. Et inprimis inimicis & hoſtibus negandã eſſe operam medicã affirmant, idq; maxime, vitandæ ſuſpicionis cauſa, ſi quid humanitus accidat: deinde etiam ex amicis intemperantibus, & medicorũ præceptis minimè audientibus: tertio barbaris, & bonorũ omniũ contemptoribus hominibus, eiſq; apud quos, ut antea diximus, optimæ diſciplinæ, & ipſa ars medica inſania judicatur, quibus nõ magis ſcripta ſit medicina, quàm brutis: immò multo minus, ſiquidem his ſua quædam recte ſcribatur; iis vero, quos diximus, nulla convenienter aut ſcribi, aut factitari poſſit, ut & aliis, qui pendẽtes ex ipſius fortunæ nutu honeſtiſſimas artes & diſciplinas, ceu virus quoddam, torvè intuentur:

Hoſtes.

Intemperantes.

Barbari.

& cum

Digitized by Google

& cum interim equos ſuos & canes artium exercitiis erudiant, & famulos nullius artis peritos contemnant, curentq; & agros & cęteras poſſeſſiones excoli, ſolos ſeipſos negligunt, ablegantq; ab omni liberali inſtituto, ne hoc quidem intelligentes, animam habeant necne. Addunt inſuper, non debere medicos ſeipſos, paulò gravius laborantes, curare, eo quod, ut in hoſte, quantumvis rectè agente medico, ſi quid ſiniſtre contingat, defutura ſuſpicio non ſit: ita in ſeipſo, conjuge, aut liberis affectis rectum ſemper de rebus propriis judicium auferatur, quia nemo perpetuò in ſua cauſa prudens eſt, juxta illud Platonis: *omne amans fallitur ſupra id quod amat.* Atque hæc quidem conſuetudo (incipiam enim ab eo, quod ultimo propoſitum fuit) optima mihi quidem videtur, ut alii ſaltem adhibeantur, qui citra animi perturbationem de morbo judicent, & abſque timiditate remedia conſiliumque adhibeant, ſi verò æger medicus adeo ſit debilis, ut mens etiam langueat, totam ipſi curationem in ſe recipiant. Nec obſtat Cicero, dicens: *Noli imitari medicos malos, qui in alienis morbis profitentur, ſe tenere medicinæ ſcientiam, & ipſi ſe curare non poſſunt:* Id enim de illis intelligatur, qui ut Patroclus neglectâ fortiſſimi Achillis haſta, ejus arma ſibi tantùm aſſumebat: Sic enim illi nomen induunt medicorum, cùm tamen veram medicinam nunquam attigerint. Cæterùm barbaros & intemperantes homines quantumvis agreſtes, truculentos, incultoſque, & remediis parum aſſuetos à beneficio medicinæ nequaquam excludendos eſſe cenſemus: iis enim medicamenta denegare non aliud eſſet, quàm pueros non inſtituere primis literarum elementis, quia interdum præceptoribus iraſcantur: & videmus medicinâ jam florere apud eas gentes, quæ Hipp. & Galeni temporibus nullam ejus notitiam habuerant, quia vertuntur omnia, & ineſt rebus cunctis quidam veluti orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita mutentur hominum mores. Neque etiam video, quomodo vir ſapiens & eleganter eruditus, Julius Alexandrinus, hoſti auxilium penitus denegandum eſſe adſtruat: ſi enim ei, quem contra nos armatum vidimus victo tamen, ubi gratiam implorat, manum porrigimus, & vitam ipſius ſervamus, quia magnis animis adverſus proſtratos ſuccedit humanitas, & tunc præcipua laus clementiæ eſt & beneficentiæ, cum iræ cauſæ ſunt juſtiſſimæ: ſane nec humanitati, nec rationi conſonum videtur, ut auxilium implorantem deſtituas. Sed audiamus hac de re Alexandrini ſpecioſam magis quàm firmam rationem. Quemadmodum, inquit, libera-

Medici ſeipſos non curent.

Barbaris auxilium denegandū non eſt.

Hominum mores mutantur ut tempora.

Hoſtium curatio ſuſcipienda.

Iulii Alexandrini lapſus.

Alexandrini argumenta.

Digitized by Google

liberalitas nomen ſuum amittit, ſi indignis confertur, ita beneficentia, quæ promiſcuè omnes fovendos ſuſcipit, ab officio ſuo recedit, & beneficentia eſſe deſinit, maleficaque evadit, ſi perditiſſimis hominibus accommodetur. Potuiſſet id confirmari auctoritate magni Hippocratis, qui ſpretis præmiis, quæ illi offerebantur ampliſſima ab Artaxerxe potentiſſimo perſarum Rege, opem ſuam totius Græciæ hoſti præſtare recuſavit. Verum enimvero debet apud medicos fragili rationi præponderare multorum exemplis confirmata Ariſtotelis ſententia, dicentis, artes ſcientiaſque omnes finem ſemper ſuum ſolummodo curare, non ulterius ſollicitas, an quid extra finem eveniat, & bonone an malo ceſſurus ſit finis. Præſertim vero noſtra hæc medicina, quam probitatem & bonitatem conjunctam habere diximus, reſpicit ſemper ſanitatem, ut bonum quiddam. An verò bono ceſſura ſit ad eos, qui reipublicæ præſunt, pertinet inquirere: neque verò facienda ſunt mala, ut eveniant bona; eſt autem crudelitas per ſe aliquid malum. Potius ergo humanitate & beneficentia hoſtium animi leniuntur, ita ut aut minus infenſi ſint, aut etiam amici evadant: & rarò ex vita unius hoſtilitas pendet: ſæpe verò benevolentiâ ipſius omnium adverſariorum animi mitigantur. Quod probe intelligentes prudentiſſimi principes hoſtes ſuos beneficentiâ ac humanitate ſuperarunt.

Ariſtotelis dictum.

Rationes contra Alexandrinum.

Carolus quintus Romanorum imperator Saxoniæ ducis filium bello captum, vulneribus tamen fœdatum, humaniſſimè curari juſſit. Feſſanus Rex ægrotans à Luſitaniæ Rege Joanne tertio, cum quo bellum gerebat crudeliſſimum, medicum poſtulavit, qui meum Avunculum, cui idem, quod mihi nomen fuit, eò liberaliſſimè miſit, hoc adjungens, ut omnem adhiberet diligentiam ac ſedulitatem in curatione barbari Regis, cujus ope liberatus fuit à graviſſimo morbo. Joannes Sareſberienſis ex Frontino refert, ad Fabricium Romanorum ducem Pyrrhi Epirotarum Regis medicum perveniſſe, pollicitum ſe venenum daturum Pyrrho, qui Regi proditorem detexit, monens, ut ſibi caveret, atque eâ fide Pyrrhum compuliſſe ad expetendam Romanorum amicitiam. Et verò ſacræ literæ apertiſſimè monent, non eſſe in pace belli ſanguinem profundendum: profundit autem & interficit, qui, dum poteſt, ſanare non vult. Aliud ſentiendum eſt, ſi contra principis mandatum id faceret medicus, quia tunc peccaret non in medendo, ſed in edicti transgreſſione. Aliud etiam, ſi amicos contemneret, ut precio prodeſſet ini-

Clementiæ exempla.

1. Regum.

Admonitio.

inimicis, quod Hippocrates facere recuſavit, haud dubiè non recuſaturus, ſi Perſarum ſinguli ejus operam imploraſſent, aut ſuos deſerere voluiſſet: & eſt admodum diverſum, ſuis penitus dimiſſis ad hoſtes juvandos tranſire, quod Hippocrates meritò detrectavit, nec nos admittimus: ſed id monemus, ut quemlibet particularem auxilium poſtulantem curandum ſuſcipiat medicus, ſuſceptumque omni ſedulitate tractare ſtudeat, ſive Chriſtianus ille ſit, ſive Judæus, ſive Turca, ſive Gentilis: omnes enim humanitatis lege ſunt colligati, & omnes pariter à medico tractandos eſſe humanitas poſtulat. Eſt enim non ſolum ineptus, verumetiam impius eorum error, qui in Epicuri dogmata lapſi, ſativos homines fuiſſe putarunt, vel ſaltem quoſdam populos terræ parentis indigenas eſſe crediderunt: quod quaſi nobilitatis decus Athenienſibus tribuit Ariſtides, &, ut auctor eſt Bodinus, Altamerus auctoritate Taciti & aliorum Germanos in ipſa Germania genitos, nec ab ulla gente derivatos refert. Et Polydorus Virgilius Britannos in mediterraneis ſitos, nec aliunde adveniſſe Cæſarem ſecutus affirmat. Qui omnes magno errore & ſcelere obligantur, tum quod ea, quæ Moyſes divinus hiſtoricus in ſacris literis de originibus teſtata reliquit, ineptiſſimè oppugnant: tum etiam, quòd nulla gentibus illis origine, quàm à patrio ſolo tributa, eas ab aliorum ſocietate, & amicitia omnium divellunt. Nam præter cætera, quæ divinum Moyſen ad origines ſcribendas impulerunt, illud non minimum fuiſſe videtur, ut omnes homines, ad quos ea fama perveniſſet, intelligerent, ſe eſſe conſanguineos, & eadem generis conjunctione ſociatos, quod ad amicitias ſtabiliendas plurimum valet: Adeò, ut pleræque gentes & armati exercitus ſola cognationis ſpecie inimicitias depoſuerint: quâ etiam cognatione, & gentilitatis vinculo ductus medicus, omnes æquali ſedulitate tractare tenetur. Immò ut omnis ſuſpicio removeatur, neſcio quid plus curæ ac ſollicitudinis in adverſario adhibendum, ut malitiam, ſi qua in eo fuerat, bonitate ſuperemus.

Epicuri Altameri. Taciti lapſus. De hominū origine.

Ita fiet, ut quod de ſuſpicione adducebatur, facile ſuperetur, ſi ad eos accerſamur, qui aut nobiſcum apertâ exercent inimicitiam: aut quos aliàs nobis infenſos eſſe novimus, poſtea in periculo poſiti, per eos, quos amiciſſimos eruditioris celebriorisque medici eſſe ſciunt, à quo unicè poſt Deum ſalutem pendere arbitrantur, ſummis precibus impetrant, ut eiſdem opem ferat: Si deinde depoſitâ omni arrogantiâ atque ſuperbiâ

Digitized by Google

ſuperbiâ odium benevolentiâ compenſes: & crimina, damna, ac peſſima quæque antea molientes beneficentiâ vincas. Illud etiam curabis, ut alter medicus adſit, aut doctus aliquis vir in alia facultate, qui rationes tuæ curationis intelligat, in quâ parum aut nihil recedes à regulis medicorum, quas canones vocant, quamvis individui ratio aliud poſtulare videatur. Et ſchedulas in pharmacopolio adſervari jubebis, ne ſi quid deterius accidat, ſiniſtrè illud interpretari queant: quin potius candorem & ſedulitatem tuam oſtendere ubique poſſis. Porrò non tenetur medicus capitis periculum ſubire, & ad hoſtes aut incultos principes curandos ſe conferre, apud quos ſui juris minimè futurus ſit, quod inconſideratè faciunt illi, qui ſe barbarorum fidei temerè committunt, adeo interdum imprudentes, ut valetudinem etiam ſub capitis ſponſione polliceantur, minime experti, quàm ſint incerti in medica arte mortis aut ſalutis eventus. Hoc feciſſe legimus Manem illum, quem propterea mortuo filio, quem curandum ſuſceperat, excoriari juſſit Rex Perſarum. Et noſtro ſeculo Joannes Daniæ Regis frater, ſponſalia cum filia magni Moſcoviæ Ducis celebraturus, febri correptus fuit: eum cùm inviſeret Dux ipſe, curam decem medicis, quos ejus valetudini præfecerat, anxiè commendavit, minis etiam additis, ni convaleſceret, fore ut omnes unà capitis pœnas luerent: quod utiq; mortuo ſponſo factum fuiſſet, niſi legati Daniæ inſtantiſſimè interceſſiſſent. Quod tamen periculum non evaſerunt alii, qui patrum noſtrorum memoriâ pollicitationibus ingentibus pellecti præfectos Turcarum, quos Baſſas vocant, ſanare polliciti, cum perficere non potuiſſent, quod promiſerant, capite mulctati avaritiæ ſuæ pœnas dederunt.

Medici barbarorum principum fidei ſe non committant.

Medici à Barbaris trucidati.

AN EXPEDIAT INGRATOS CONtemnere: & medicum interdum alias artes exercere.

CAPUT. XVI.

MAjorem multoque difficiliorem ambiguitatem involuere videtur id, quod ſuperiori capite de ingratis afferebatur: nam ſi opem ferre perſeveres iis, à quibus antea in ſimili diſcrimine conſtitutis, remunerationem non accepiſti, contemnunt: ſi deneges, avaritiæ

Ingrati mores ac conſuetudo.

ritiæ accuſant & crudelitatis. Sed enim quidam adeo ſunt ſordidi, ut propriam valetudinem negotientur, & ſui ubique ſimiles ac lucro intenti, hic etiam operam medicorum lucrari aſſueverint: nullo tamen beneficio, ſed fraude potiùs, ubi ab uno morbo convaluerunt, ſolo tenacitatis ſuę ductu medicum mercede defraudantes, ſi ipſos aut ſuorum quempiam ægrotare contingat, ad alterum confugiunt, & ad tertium: quia ita naturâ comparatum eſt, ut eorum conſpectum homines fugiant, quos quaſi creditores ſuos aſpiciunt, quin etiam interdum, ubi modum beneficia ita excellerunt, ut exſolvi nequeant, iis pro gratia odium redditur, unde multæ in eruditos ac præſtantiſſimos viros & medicos calumniæ. Hujus rei cauſam affert Ariſtoteles, quia ii, qui bene-
9. Eth. 7. ficia contulerunt, magis ſolent amare eos, in quos beneficia ſunt collocata, quam ii, qui acceperunt, eos qui contulerunt: nam unuſquiſque plus amat opus, quàm ipſe ab opere amatur: & plerumque homines immemores ſunt: unde fit, ut debitores quidem velint ſuos creditores non eſſe, hi vero de ſalute quoque creditorum diligentiam adhibeant: ſimiliter ii, qui beneficia collocârunt, volunt eos eſſe, erga quos fuerunt benefici, utpote gratias accepturi: illis vero cura reddendi non eſt: Hæc Ariſt. verùm ingrati illi poſteaquam ſic medicos fefellerunt, juſto Dei judicio tandem in immanes tortores incidunt, quibus nullo auro ſatisfacere poſſunt, & ab eis tamen excarnificantur, exoſſantur, & non ſanantur, ut denique habeant ſuas labra lactucas. Alii, quibus medicus notus aut amicus eſt, hâc etiam utuntur fraude, & ne ad gratitudinem teneri videantur, medicum non vocant, ipſi tamen inſinuant malè habere, ut dum eos veluti amicus inviſit, ejus opera gratis fruantur. Nec deſunt, qui omni depoſito pudore eum, cujus operam ſemel & iterum uſurpârunt, quando iterum corripiuntur, accerſere non vereantur, quia dicunt hoc officium humanitatis, aut neceſſitudinis vinculo ipſis deberi: & medicum non poſſe ſalvâ conſcientiâ opus vocationis ſuæ laboranti denegare. O miram avaritiæ cœcitatem! O egregium tenacitatis inventum! Faciet quidem medicus, quæ ſui ſunt officii, in proximi neceſſitatibus, nil commotus hominum perverſitate. Tu verò, qui abalienas illius à te animum manifeſtâ culpâ tuâ, & ingratitudine vituperanda, qui fit, ut in teipſum non inquiras priùs, & ſcandali auctor eſſe deſinas, ac deteſtandæ illius confuſionis, quam in univerſam hominum ſocietatem hac ratione introducis?

Digitized by Google

cis? fac enim perinde theologos gratis eſſe in officio: milites gratis præliari: jureconſultos abſque præmio cauſas agere: magiſtratus & Principes ipſos abſque honorario rempublicam gubernare: & denique miſeris operariis, qui manu victum quærunt, diurnam detrahi mercedem, & devenies tandem in manifeſtum contemptum divinæ legis, quæ jubet, ut non ſinas operarii mercedem apud te pernoctare.

Quæ tamen omnia animo magno atque infracto à medico bono ſunt toleranda, & potius accuſant avari patientis mores, fraudes, & perverſum de rebus judicium, quam medicum monent, opem cuiquam eſſe denegandam: & nemo adeo tenax eſt & avarus, qui ſi videat, ſemel & iterum tenacitatem ſuam & malitiam medici beneficentiâ compenſari, demum pudibundus gratum ſe non exhibeat: immo plerumque vidimus, eos, qui in levioribus affectibus tenacitatis vitio laborarunt, tandem monitos graviori aliquo & periculoſo morbo, liberaliſſimè ſe geſſiſſe erga medicos: ut etiam illos, qui imperitis medicis aſſueverant, à quibus nocumenta potiùs quam utilitatem experti fuerant, & idcirco nec medicos ullo in pretio habuerant, nec medicinam ullam eſſe exiſtimaverant, experti ejus beneficia à doctis & peritis medicis, liberaliores multo & medicinæ fautores maximos evaſiſſe, uti enim jure illos contemnebant, ſic poſtea hos meritò magnifecerunt. Præſtat igitur ſimplicem videri, aliorum perverſitatem contemnendo, quàm malum opem denegando: & plerúmque homines non amant, niſi eos, quos facile decipiunt, aut decipere exiſtimant. Nec propterea contemptui erit medicus, ſi ſervato decoro, dignitate, & loco, quem tenet, ita erga hos ſe gerat, ut minimè imprudens aut ſordidus videatur, præ ſe ferens, aliquid ſaltem de diligentiâ erga eos remittere, ita fiet, ut ſe morigerum & gratum præbeat patiens: ſin minùs, generoſi animi eſt, cui multum tribuit, plurimum adhuc tribuere velle. *Concluſio.*

Si verò major civium pars eo vitio laboret, & adeo pleriq; omnes ſint inculti, ut nec juſtâ methodo artem tractare liceat, nec debita laborum præmia capere; nec ab ipsâ civitatis communione, aut à principe medico publicum aſſignetur ſtipendium, ut par eſt: Tūc veniam merentur illi, qui de alio vitæ genere ſuſcipiendo deliberant, in quo honeſtè vitam tranſigant. Nam, ut refert Plutarchus, *in vita Solonis*, mercaturam etiā juſtis de cauſis exercuerūt Solon, Plato, Thales Mileſius, & Mathematicus *Alias artes exercere medico quando liceat.* *Philoſophi qui mercaturam exercuerunt.*

maticus Hippocrates: Quæ utique cauſæ niſi interveniant, ſatius multò fuerit, totam vitam, quæ reſpectivè breviſſima ſane eſt, in ſtudio artis medicinalis inſumere. Cùm enim longiſſima ſit, nemo noſtrum ad illam abſolvendam ſufficit, niſi impenſiori ſtudio illi perpetuò incumbat, quoniam ea eſt hujus ſcientiæ magnitudo, ut excedat vitam hominis, quantumlibet diligentis, ac laborioſi: nam & judicium & ratio ipſius artis eſt perdifficilis, quod multitudo ſectarum & opinionum in eâ aperte demonſtrant: neque enim ſi veritas eſſet inventu facilis, tot ac tanti viri, qui illam perquiſiverunt, unquam fuiſſent in tam contrarias ſectas diſpertiti: Et cum tàm rapidè data nobis temporis ſpatia decurrant, nil ejus perdere oportet, nec per luxum, nec per negligentiam alienis rebus impendere, ne ultimâ cogente neceſſitate, quam ire non intelleximus, tranſiiſſe ſentiamus: & cum Senecâ poſſimus dicere: *Non accepimus brevem vitam, ſed fecimus, nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus.* Et verò ut medicinæ magnitudinem Hippocrates oſtenderet *in Epiſtola ad Democritum* dicebat, ſe ad finem ejus nondum perveniſſe, etiamſi jam ſenex eſſet: ſibique videri, majorem reprehenſionem quam honorem artis eſſe aſſecutum. Et Galenus, non poſſe unumquemque pro ſuo arbitrio artem diſcere medicinalem, aſſeverantiùs adſtruit, quæ longa ſit: ſed eos tantum, quibus ſuppetat tempus ad diſcendum, & ſit natura ad hoc aptior: nam præter artis magnitudinem, & vitæ brevitatem, experimentum etiam eſt periculoſum, materiæ ratione, hoc eſt, humani corporis, ut jam antea luculentiùs prodidimus. Atque idcirco Joannes Damaſcenus prudenter conſulit, non eſſe credendum ei, qui deditus ſecularibus negotiis, negligit fundamentum medicinæ ac philoſophiæ; qui ſollicitè vacat commodo temporali, non ſolùm inutilis, ſed nocivus eſt in medendo, inquit Villanovanus; & qui, non ut ſapiat, ſed ut lucretur, addiſcit facultatem, quam eligit, efficitur abortivus. Quas utique difficultates cum ego à juventute in arte medicinali animadvertiſſem, candidè ac ſanctè affirmo, nullùm unquam mihi obtigiſſe tanti ponderis negocium, nullamvè tam gravem occupationem, quæ integrâ aut mediocriter conſtante valetudine impediret, quo minus aliquot diei vel noctis horas huic arti impenderem: ſæpius etiam non citra maximum ipſius valetudinis diſpendium, ac rei familiaris detrimentum. Si quid verò temporis in alio exercitio conſumpſi, quieti detraxi humanis laboribus debitæ, non ſtudiis medicinæ, quæ nunquam intermiſi,

Ars medica cur longa.

Lib. de brevitate vitæ.

Damaſceni dictum.

Villanovani.

Auctoris ſtudium.

miſi, etiamſi debita laborum præmia non affulgerent. Quippe hujus artis pelagus adeo immenſum eſt, ut ſemper aliquid novi aut invenire, aut conſtituere, aut docere & ſcribere liceat, illudque inſuper cogitavi, non tam præclarum eſſe ex arte parare divitias, quàm talem callere artem, quæ & animum excoleret, & fractâ navi ſimul cum poſſidente enataret.

SINTNE DEPLORATI PENItus relinquendi.

CAPVT XVII.

Doctrina eſt Galeni, in morbis exitialibus, quorum ſummum vigorem mors excipit, nihil omnino agendum eſſe, ſed ſolum eâ artis parte utendum, quæ prognoſtica dicitur: recordantibus nobis, deploratos non eſſe curandos, ſed ſolum finem morbi prædicendum, ne eventus noſtro adſcribatur errori, neve apud vulgus infamentur præſidia, quæ aliis fuêre ſaluti: non ſolum enim medicus ſuæ exiſtimationis, verum etiàm opinionis remediorum curam habere debet. Et Celſus *prudentis hominis eſſe*, inquit, *eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, ne ſpeciem ſubeat ejus occiſi, quem ſors ipſius peremit: & ne qui morbi rigore periit, medici aut ignorantiâ aut negligentia periiſſe videatur.* Quæ tamen omnia cum limitatione intelligenda veniunt, hoc eſt, dummodo nulla remaneat ſalutis ſpes, ut idem Galenus prodidit. Nam quando poteſt vita ad tempus ſaltem produci, cum prædictione agendum aliquid eſt, ut de hectica marasmoide admonuit, in quâ neceſſarium & utile conſilium Thucydidis eſſe affirmat, aliquid agentes periclitari; quibus enim alia ſalutis ratio non affulget, & quæ unica videtur, ea dubia eſt, neceſſum omninò fuerit, adverſis periculis ire: & quantò ſatius eſt aliquid nonnullâ fiduciâ vel cum periculo facere, quam ſpe adempta certò perire: tantò utique ſatius eſt potentibus præſidiis pugnare, quàm nihil agere: quia, ut idem Celſus dicebat, *melius eſt anceps experiri remedium, quam nullum*, id quod etiam Poetam non latuit, dum inquit:

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Quia longe violentiùs ex neceſſitate, quàm ex virtute, pugnatur: ideoque ſolent milites exercitati dicere, nil eſſe fortius deſperatis: nec ullum

11. Meth. cap. 10.
4. Derat. vict. 12.
1. Aph. 8.
2. Aph. 19.

pernicioſiorem hoſtem, quam quem audacem anguſtiæ fecerunt. Aetius de apoplexia inquit, interdum affectum permittere & cogere aliquid temere tentare: quemadmodum enim in naturâ accidunt monſtra, ſic etiam in arte, dicente Averroe: & nonnullos abſque ſpe mirabiliter ſanari dicebat Avicenna: & optimè Philo monet tum maximè plerumque Deum adeſſe, cum hominum auxilia deſunt: Soletque inopinata ſalus interdum accidere: & acutorum morborum incertæ ſunt prædictiones ſalutis aut mortis; idcirco impium eſſe, ſic ægrotantes deſerere, Trallianus ſentit.

Quær. 2. lib. 2. c. 26. 7. Col. 11. 4. Quær. 2. c. 10. Philonis dictum. Lib. 7. c. 11.

Concluſio.

Ex quibus pro concluſione conſtat, præcedente prædictione de periculo & diſcrimine vitæ, ægros nõ eſſe relinquendos in extremis periculis, dummodo, ſi certa mors ſit, præſagiatur, & nullum eximium fiat auxilium. Si verò unica ſpes reliqua ſit ſalutis, quamvis dubia, & in remedio magno poſita, omnia experiri licebit auxilia, & interdum temere; nam ſæpenumerò evenire ſolet, ut quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvet. Sed quâ ratione poſſit medicus patientis ſtatum cognoſcere, docuerat Galenus in prognoſticis, dicens: *ſummam totius præſagitionis in morituris convalituriſq; eſſe, quoties vis ægrotationis, cum ægri facultate confertur.* Si enim morbus vehementior eſt, æger omnino morietur; ſi debilior, quàm ægri facultas, liberabitur. Neque enim contingit, febrem aut ægritudinem, in qua omnia ſigna ſecuriſſima ſunt, neque illam in qua ſunt omnia maxime pernitioſa, alteram quidem non ſolvi; alteram non occidere ægrotantem. Propterea nomen *criſis* è foro translatum eſſe ab ipſo Galeno accepimus: ut enim judicium forenſe ſine reo, accuſatore, teſtibus, patrono, ac judice conſtare non poteſt: ſic in morborum judiciis iſthæc licet invenire. Rei perſonam æger, qui judicandus eſt, repræſentat: accuſatoris vicem morbus implet, neglectæ enim victus rationis, contemptæq; ſalubritatis æger à morbo convincitur: teſtium loco in morbis ſunt ſigna, quorũ teſtimonio vel evaſurum, vel moriturum ægrum deprehendimus: patronum eximium natura ægrotantis agit, quę virium robori innixa, quoad poteſt, ægrũ ſervare, & à morbi injuriâ vindicare ſtudet: judex in hâc ægri cauſâ patrono ſemper favens, medicus ipſe eſt, qui, uti diximus, pro fortitudine viriũ ægrotantis, aut imbecillitate, & pro variâ morbi naturâ, aut magnitudine, vel ſymptomatũ ſævitiâ, aut lenitate, de ægrotantis futurâ ſalute, aut morte, judiciũ profert: quod quidem judicium præſenſio, præcognitio, prædictio, ſeu præſagium à medicis nuncupatur.

Temeritas quando utilis. 2. Prog. 6. Locus Galeni celebris.

Criſis nomen.

NON

Digitized by Google

NON ESSE SUSCIPIENDAM CURAtionem incurabilium morborum: & quinam illi ſint:

CAPUT XVIII.

Superiori confinis eſt hæc diſputatio, quæ ut accuratiùs enodetur, ſciendum priùs morbum aut eſſe curabilem, hoc eſt, quem poſſibile ſit amovere, & qui actu ſæpè amovetur, non tamen ſemper, & neceſſariò: vel incurabilem & inſanabilem, qui nimirum neque curatur neque tollitur, ſed hominem eo correptum aut brevi tempore interficit, aut ad mortem uſque concomitatur. Et horum quidem alios per ſe tales eſſe, id eſt, non capaces curationis: alios naturâ ſuâ non plane incurabiles, ſed per accidens, id eſt, cauſâ alterius rei, quæ curationem non admittit. Nos omnes curſim percurremus, & quinam illi ſint, quorum curationem prudentem medicum ſuſcipere non expediat, obiter admonebimus. *Morborum diviſio.*

Per ſe igitur inſanabilem dicimus eum, cujus natura & ſpecies ſimpliciter talis eſt, ut nullâ arte vel ope humanâ ſanari queat, in quocunque ſit ægro. Per accidens vero incurabilem ſtatuimus eum, cujus remedia certa & contraria non ignorantur, arteque omnino ſanabilis exiſtit, quoad ſpeciem, & ſæpius curatur, verumtamen in hoc vel illo individuo propter impedimenta curationem non recipit. *Morbus incurabilis per ſe. Per accidens.*

Prioris ordinis incurabiles ſunt pleriq; omnes morbi hereditarii & congeniti, ut cœcitas nativa, ſurditas, gibboſitas, aut congenita fatuitas, quę nulla omnino arte curari poſſunt: & multò minus defectus originalis membrorum, & reliqui morbi in numero deficiente, veluti cum oculus effoſſus eſt, vel auris abſciſſa, & à cõmunitate ſpiritus, caloris, vitæq; penitus ſegregata. Ad hæc elephantiaſis ex utero contracta, calculoſa & Podagrica diſpoſitio, quæ etſi aliquando ſummâ curâ & victus accuratiſſimâ obſervatione nonnihil ſublevari queant, nunquam tamen proclivitas ad hæc mala ita eximitur, quin leviſſimo errato commiſſo redeant. *Hereditarii morbi.*

Maraſmus etiam torridus curari non poteſt, neq; hectica ſenectutis, fieri enim nequit, ut ſolidarum partium conſummata ſiccitas ſanetur, nam ſi fieri id poſſet, fieri utiq; poſſet, ut non ſeneſceret ille, qui eâ victus ratione uteretur. Et, ut inquit Avicenna, *ſi eſſet ei ingenium, eſſet mortis ingenium.* *Maraſmus.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſi adhibentur quandoque remedia, non alio iſtud fit fine, niſi ut interitus aliquantiſper differatur, & protrahatur miſera vita. His adjungunt plerique peſtilentem luem validiorem, quam etſi aliqui evadunt interdum, id non niſi in lenta ac miti peſte accidere affirmant, & rarò opem medicam locum habere in atrociori illâ, ubi ſola fuga remedium ſit, & neque eâ curetur, ſed cavendi, ac præſervandi cauſa fiat: illud tamen certum eſt in peſtilentiâ graviſſimâ aliquot interdum leviter affici, quibus remedia proſunt & utilia ſunt. Illis inſuper adjungimus apoplexiam fortem, & continui notatu dignas ſolutiones in præcipuis viſceribus: de quibus Hippocrates dicebat, *veſicâ diſciſſâ, aut cerebro, aut corde, aut ſepto transverſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut jecore lethale eſt*: ibi tamen lethale de iis, quæ magnâ ex parte, non verò neceſſariò contingunt, eſt intelligendum: quâ etiam ratione non omnes præciſè morbos hereditarios, ſpecie ſua incurabiles eſſe, cenſemus, ſed eos potiſſimùm, qui in compoſitione ſunt aut in numero: & quamvis Galenus cor vulneratum mortem neceſſariò afferre dixerit, tamen recentiores medici quædam annotaverunt exempla paſſionum cordis non levium in continui ſolutione, quas ſuſtinuerit aliquando, diu vivente homine. Verùm ego eas ibi genitas paulatim eſſe dixerim potiùs, quàm confertim illatas. Sic neque confirmatus cancer, nec phthiſis curatur, quæ cum pulmonis tetra exulceratione conjungitur, unde illud Ovidii:

Pestis. *Apoplexia.* *Vulnera viſcerum principalium.* *Cancer confirmatus.* *Phthiſis.*

Cernis ut è molli ſanguis pulmone remiſſus,
Ad ſtygias certo limite ducat aquas.

Sphacelus. Præterea neque ſphaceli ullum remedium eſt, ſed catenus patiens ſanationem conſequitur, quatenus vita interdum non extinguitur, & pars mutilata cicatrice obducitur, de quo illud ejusdem Poetæ:

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Convulſio ex ſiccitate. Hiſce adjungere licet convulſionem ex ſiccitate, magnos hydropes & antiquos, ac nodoſam arthritidem.

Morbi incurabiles per accidens. Divina voluntas. Per accidens incurabilium cauſæ cum ad pleraque capita reduci poſſint, primo loco collocamus divinam voluntatem, interdum enim juſti tolluntur, ne videant ventura mala: & impii ac ſcelerati brevi vitâ puniuntur: ſcriptum enim eſt: *viri ſanguinum & doloſi dimidium non attingent dierum ſuorum.* Anthiochum & Jeroboami Regis filium inſanabilibus morbis Deus afflixit, & Oſiam, quòd contra legem ſacrificaret, leprâ:

Digitized by Google

leprâ: Joram Regem Juda cruciatu inteſtinorum lethali: Ahaſiam Regem Iſraelis, quod magos conſuluiſſet. Et quis quæſo reſtitueret manum Jeroboam Regis extentam contra prophetam? *percutiam te plaga Ægypti, & ulcere, atq; ſcabie inſanabili*, Moyſes inquit, ex ore Dei, quis eos ſanaret? aut quæ vis humana Heliodorum percuſſum ab angelis. Cæterum ut morbi à Deo immiſſi incurabiles ſunt ope naturali: ita præter ſpem & cauſas naturales Deus hominem interdum ſanat, & miraculoſę ſanationes, quæ per homines ſanctos à Deo fiunt, ſunt penitus inimitabiles. Jobum eousque miſerrime afflictum, ut à vertice capitis ad plantam pedis non eſſet pars ſana in eo, ſanum fecit Deus: & vitam prorogavit Ezechiæ Regi, cui antea obitum denunciaverat: & vox cæleſtis honorantibus parentes defert promiſſionem vitæ longævæ: & impiis vitæ brevis pœna proponitur: Eliſæus propheta Naaman Syrum à lepra liberavit. Hæc tamen cauſa, quam veram & certiſſimam eſſe conſtanter aſſeveramus, non eſt ſemper prætexenda ignavis, inſciis, & avaris hominibus, qui vel metu ſumptuum, vel perverſitate morum, remediis non utuntur, quaſi perpetuò Dei voluntas ſit, miraculoſe & præter naturæ ordinem hunc mori, illum reſtitui. Sed quando omnia, quæ fieri potuerunt, ritè facta ſunt, & tamen morbus interimit, tũc demum ſtatuendum eſt, ita Deo viſum fuiſſe. Agricola ſementem facit, & terram arat: cœlum & aer fœcundant res naſcentes: niſi tamen adſit benedictio divina, fruſtra illa omnia fiunt, quia ſecundæ cauſæ primam ſemper præſupponunt.

Error quorundam notatur.

Secunda cauſa primam praſupponunt.

Poſt hæc numeramus morbos, qui præſtigiis diabolicis excitati, infeſtare homines ſolent per magos, vetitis ac ſceleratis artibus, incantationibus, veneficiisvè immiſſi, quorum cauſa cum ſit ſupernaturalis, cui naturale nihil eſt contrarium, incurabiles haud dubiè arte medica exiſtunt, neque ei ullâ ratione ſubjiciuntur, quia naturæ limites transſcendunt, ſive veri morbi ſint, ſive apparentes.

Morbi præſtigiis excitati & veneficiis.

Tertio loco ſtatuitur fatum phyſicum ſive naturæ neceſſitas, quod ferè coincidit cum hectica ſenectutis, de qua ſuprà verba fecimus, & quidam etiam ſunt, qui antequam eò perveniant, decrepiti fiunt, in quibus deſtillationes & gravedines non maturari dixit Hippocrates: nec ſimiliter in iis curantur perfectè unquam ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, viſus & auditus hebetudines, cæterique id genus affectus, qui eò magis ſenibus accidunt, quò imbecilliores partes aliquas à

Fatum phyſicum.

Digitized by Google

juventute habuerint; qui enim longi ſenibus accidunt morbi, magna ex parte inſanabiles totam vitam comitantur. Si igitur aliquis iſtorum morborum in ultimo ſenio accidat, contentus medicus ſit, ſi ita mitigare eum poſſit, ut tolerabilis fiat, neque ſubinde increſcat: omnimodam vero ſolutionem non tentet, quia impoſſibilis eſt: eos vero, qui à nativitate morbi ſunt, in numero aut compoſitione, perinde atque eos, qui à Deo immittuntur, aut à dæmone, nec non conſummatam aſcitin, tympanitin, phthiſin, maraſmum, & nodoſam arthritidem prudens medicus ſaltem ſolus non attingat, quia ſanitatem nunquam conſequitur, & plus inde ignominiæ quàm utilitatis aut gloriæ reportabit.

UNO EODEMQUE TEMPORE plurimos non eſſe in curationem ſuſcipiendos.

CAPUT XIX.

Medicorum quorundam oſtentatio.

Gloriantur plerique de numero ægrotorum, & ut ex frequenti praxi exercitatorum nomen ſibi comparent, ſimulant interdum eos habere, quos non habent: multo mane ſurgunt, & à meridie domum revertuntur, cùm tamen interea otioſi totam peragraverint civitatem, aut circumjacentes campos. Neque hoc tacebo, noviſſe me quendam, qui in frequenti ac populosâ urbe, ut vulgarium animos ad ſe traheret, initio præcipuæ cujusque plateæ gradum ſiſtebat mulæ, qua celeriter incedebat, & de ſinu depromptâ chartâ catalogum languentium, quos viſitaturus eſſet, perlegere oſtentabat. Alii jubent, ut omnes, qui laborant, aut eorum miniſtri, certâ quâdam diei horâ illos conveniant, aut urinam mittāt, ut ſinguli hâc arte frequentiam admirentur. Sed hi non advertunt, negligi hoc pacto medica præcepta, quæ docent, ab uno medico multos ſimul curari non poſſe: eumque eſſe optimum artificem ac idoneum, qui non diu ab ægro recedit, ut Celſus docet, & qui interdum apud ipſum pernoctat. Neque enim aliter poterit exactè conſiderare acceſſionum tempora, pulſuum differentias, & quâ potiſſimum horâ imbecillis patiens ſit, ſubindeque cibandi horam convenientem, niſi aſſiduè ægro aſſideat. Quod certe perpendere debuiſſent illi, qui

Optimus artifex. Lib. 3, c. 4.

queſtui

quæſtui duntaxat ſervientes, cùm ægrum aliquem adeunt, quamprimùm ſe ab illo acceptâ mercede liberari cupiunt: tunc deinde alium viſere, quo aliam mercedem habeant: cui rei adeo intenti ſunt, ut fruſtrà ſæpè accedant, minùs, quàm par erat, de victu ac medicamentis ſolliciti: ſæpe etiam nec morbi circumſtantias percipientes. Demus autem, bis in die de more viſitandos eſſe patientes, qui quæſo fieri poterit, ut quadraginta aut centum etiam ægrotis uno die ſatisfieri queat, ſi modò tempus & horam decubitus mente tenere oportet: & curſum ac motum ægritudinis in ſequentibus diebus: quibus inſuper remediis hactenus uſus fuerit, & quibus in poſterum utendum ſit, quem cibum aſſumpſerit, quibus ſymptomatibus fuerit divexatus, quidvè ſingula portendant, quæ fuerint vires patientis per unamquamque morborum ſtationem: adhæc de omnibus ſigillatim interrogare, ac ultima primis connectere. Quocirca quoties ab uno patiente ad alterum excurrit medicus, conſiderare in itinere debet, in quo ſtatu eum heri reliquerit, quid facere juſſerit: & quid hodiè, ſi hâc aut illâ ratione eum inveniat, faciendum ſit. Ob quam cauſam exiſtimo Hippocratem dixiſſe, medicum eſſe oportere vultu meditabundo & ſubtriſti. *Conſuetudo prava.*

Quæ cùm tam multa ſint ac difficilia, prudens & cordatus medicus vires ſuas ſemper metiatur, nec plus oneris unquam ſuis humeris imponat, quàm ferre conſcientia poſſit: Præſertim verò ſi plures eodem tempore periculoſis ægritudinibus laborent, qui crebriùs inviſendi ſint: aut alioqui ejuſmodi ſint affectus, ut niſi frequenter ad patientem veniat, multa & pernicioſa errata committi poſſint. Quo in caſu, Galeno ſuadente, quoties non ſatis tutò ægri ſalus ſolis aſſiſtentibus commiſſa videbitur, etiam aliquando pernoctabit medicus apud ægrotum: nec tamen id quidem faciendum ubique, niſi cum maximè neceſſitas urget. At enim multò minus pluribus ſatisfacere poterit, ſi cum medicis aliis interfuturus unà ſit ægrorum curationi: nam conſultationes tempus requirunt, & medica ſtudia, ut poſſit interdum, ſi ita opus eſſe contingat, aliorum ſententias doctè & nervoſè refutare, propriamque ſtabilire. *Concluſio.*

Itaque ſi plures curandi ſuſcipiantur, nemini ſatisfieri poteſt, ideoque multi pereunt: non igitur niſi temerarii medici id faciunt, quorum etiam quidam certam pollicentur ſalutem, cum ſit jam propinqua mors: & ne quiſquam eorũ caſſes effugiat, dulci ſpe fovent eos etiã, qui

Digitized by Google

mortem evadere nequeunt, & acerbiſſimos, periculoſiſſimosque ac lethales morbos verbis attenuant; leviſſimos vero & ſalubres aggravant, ambitionis & lucri gratia: demum propriâ incuriâ ex levi morbo ſævum, ac vehementem faciunt, ex parvo magnum, ex brevi longum, ex benigno perniciosum, & pro ſanabili penitus incurabilem introducunt. Unde fit, ut poſteaquam imperiti hi & incauti, quibus vulgus aliquandiu credidit, ſæpiùs errando exiſtimationem injuſte acquiſitam, juſtè tandem amittere cœperunt, eorum errata vulgares homines, nullâ factâ diſtinctione, doctioribus etiam medicis deinceps imputent, hosque cum indoctis eodem plane loco habeant, atq; adeo ars ipſa præſtantiſſima in contemptum veniat. Nec tamen inficias imus, errata hæc vulgarium medicorum cedere interdum in majorem bonorum exiſtimationem & utilitatem, non tàm quia graviores reddunt morbos, quos utique curare oporteret, quàm quia contraria juxta ſe poſita melius innoteſcunt, iis præſertim, qui ex unguibus norunt æſtimare leonem.

Errata vulgarium medicorum utilia ſunt cordatis medicis.

DE MEDICORUM CONSULTATIOnibus, utiles an ſint? & qua ratione exercendæ?

CAPUT. XX.

Arg. pro parte negativa.

OFfert ſe inveſtigandū, ſitnè pluribus medicis patiens committendus, quod Damaſcenus prorſus negavit, quoniam, ut ipſe inquit, *qui plures conſulit, incidit in errores ſingulorum. Secundò*, quia unum opus optime perficitur ab uno artifice, cujus error à recto minimùm diſtet: ideoque unum optimum duntaxat medicum eſſe eligendum. *Tertiò*, quia homines de propriis rebus ſunt maxime ſolliciti, de communibus non ita: unde proverbium: *participantium molendinum torquibus colligatur:* duo enim potiſſimum faciunt homines vigilantes, proprium & dilectum. Si igitur pluribus medicis committatur ægrotus, communis redditur, atq; adeo minùs eſt ſingulis dilectus: quibus ſi accedat ſceleratum quorundam pecuniæ aucupium, ac ut unusquisque, cum nihil agat, aliquid tamen facere videri velit, ideoque coram ægroto ad oſtentationem logicas, philoſophicas, aut Aſtrologicas quæſtiones inutiliter moveat, aut famam novitate

Proprium & dilectum faciunt homines vigilantes.

Digitized by Google

tate aliquâ captans velit hominum animas negotiari: non dubium eſt, quin is, cujus gratia fit conſultatio, non ſolum ſummam moleſtiam, verùm etiam multò plus inde detrimenti quàm emolumenti ſit percepturus. Unde Cæſar ille, de medicorum concertationibus, quod nullam inde utilitatem perſentiret, in ſui monumenti inſcriptone, quæ apud Plinium extat conquerebatur, dicens, *ſe medicorum turba periiſſe*: & eſt utique turba medicorum ægri pernicies. *Lib. 29. c. 1.*

Pugnat tamen ex alterâ parte, quòd plures agere, & intelligere melius poſſunt, quàm unus: quia oculi plus vident, quam oculus: *Arg. pro parte affirmativa.*

Et quod tu neſcis fortaſſis novit Ofellus.

Secundò, quia veritas non mediocriter inter medicos conſultando eruitur, idcirco Cicero dicebat *diſſerentium inter ſe concertationes vituperandas non eſſe*: contumeliam autem, iracundiam, contentionem, pertinaciamque in diſputando indigna ſemper optimorum quorumque ingeniis, ac diſciplinâ videri. *Tertiò*, quia conſultatio utilis eſt ad ægrorum obœdientiam comparandam, quæ quantum ad curationem faciat, jam ſuperiùs diximus. Conducit autem, quia cùm doctos viros de propria ſalute ægri agere vident, & de morbo ac remediis convenire, libentius illis obtemperant, & magnam ſpem de valetudine concipiunt. *Quartò*, quia ſi quid ſiniſtrè contingat, cum plures fuerint medici, nemo calumniam ſubit, à quâ unus ſe non eximeret, licet opportuna faceret: laborem verò partiti etiamſi ſucceſſus nõ reſpondeat, infamiam vitabunt, quam tantopere timuiſſe videtur ipſe Hippocrates, & timere debet cordatus ac prudens medicus. Solent enim protervi homines & imperiti non neceſſitatem naturæ, neque intemperantiam, ac errores morientium, ſed inſcitiam medicorum plerumque accuſare: Cum tamen vero ſimilius ſit, ægros juſſa non facere, quàm medicos non convenientia jubere. Nam medicus ſanâ mente, ſanoque corpore, ut jam prodidimus, omnia conſiderat, & de præteritis ac futuris ratiocinatur: ægri verò eorum nihil norunt, & quæ grata ſunt potius, quàm quæ ad ſanitatem conducibilia, aſſumunt, mori quidem non amantes, ſed tolerare non potentes. *Quintò*, quia & ipſe medicorum princeps Galenus recitat, plerumq; alios ſibi fuiſſe aſſociatos medicos, quos libenter admiſit, & cum illis placidè contulit. *1. off.*

Sit igitur concluſio, corpus humanum gravi & difficili morbo correptum pluribus committendum eſſe medicis, quorum unus præci- *Concluſio.*

Digitized by Google

puus ſit & familiaris, potiſſimum ſi languens ſit princeps, aut primarius. Si verò levis morbus ſit, & patiens mediæ conditionis, uni duntaxat medico committendum, maximè cum notus, familiaris, ac doctus extiterit. Ut enim Celſus ſcribit, *cùm in utroq; pars ſcientiæ fuerit, utilior medicus amicus extraneo eſt.* Prima concluſionis pars confirmatur, quia par eſt ratio politici & humani corporis regiminis, ut enim civitas bene gubernata, ita etiam corpus humanum ſuis conſtat legibus; ſed in politico regimine tàm Democratico, & Ariſtocratico, quàm in monarchiâ, plura convenit eſſe ſuffragia, atque conſilia, quæ tamen ad unum ſupremum ordinentur: & omnis motus ad unum demum dirigitur, ut probat Ariſtoteles. Oportet igitur, ut omnes alii medici unum præcipuum, aut in doctrinâ, aut in mutuâ benevolentiâ erga languentem agnoſcant, qui ex doctioribus duos aut tres alios eligat, cum quibus conferat: hic etjam libenter percipiet eorum monita, ac benè dicta concedet; ſubindeque ipſi admittent facilè, quæ rationi conſona viſa fuerint, quod ſi dubitaverint, unanimes inquirent veritatem. Et quia propter debilitatem naturæ humanæ multa ſæpè obveniunt, quibus unus ſolus non poteſt occurrere, ſi placidè ſententiæ proferantur, ex ſingulis ſemper aliquid in patientis utilitatem elicietur. Ita Zeuxes cum elegantiſſimam picturam Crotoniatis adornaret, ex formoſiſſimis fœminis quinque elegit, ut ſuſciperet, quod ſummæ venuſtatis cuique ineſſet. Adhæc cum ſanitatem quidem velimus cupiamusque omnes, & tamen media, per quæ ſanitatem conſequamur, multa ſæpenumero ſint ac varia, longeque inter ſe diſſita, nec non interdum contraria; inde fit, ut ſatis eſſe unus plerumque non poſſit diſpiciendis conſiderandisq; tàm multis, & oculatiſſimo cuique alius ſuggeſturus ſæpe ſit utile quiddam. Cæterum medici, qui convocantur, docti inprimis ſint ac exercitati, fideles, humani, & qui ad ſalutem patientis duntaxat colliment, non ad gloriam aut lucrum: neque enim nos vocant ægrotantes, ut noſtram ſcientiam oſtentemus, ſed ut languores ipſorum curemus. Ex quibus ferè ſolutio ad contraria argumenta facile elicitur, quæ in pervicacibus ac tergiverſatoribus ſolummodò locum habere intelligantur: & tantò magis, ſi pervicaciæ ignorantia addita ſit: aut ſi æmuli, detrectatores, ambitioſi ac ſuperbi fuerint, quorum quidem unusquisque à ſeipſo ſæpiſſimè diſſidet, nedum ab aliis, tantum abeſt, ut in unum unquam poſſint convenire.

Politici regiminis & humani corporis ſimilitudo.

8. Phyſ. 12.

Zeuxis pictura.

Media ad ſanitatem plura & varia.

Medici inter ſe conferentes quales eſſe debeant.

Porro

Digitized by Google

Porro medicus in conſultationibus, quæ cum collegis verbo aut ſcripto fiunt, cuncta optimo ordine proponat, argumentisq; ſolidis ſuam ſententiam confirmet, adverſariam, ſi neceſſitas urgeat, benevolè refellat. Neque id negando prorſus, aut impugnado aliena, ſed placidè diſtinguendo: in quem uſum prudentiores haſce diſtinctiones in promptu habere ſolent: per ſe, per accidens: ſimpliciter, ſecundum quid: poſitivè, privativè: directè, indirectè: propriè, impropriè: efficienter, occaſionaliter: medicè, philoſophicè: in qualitate, in ſubſtantia: per eſſentiã, per conſenſum: propter uſum propriũ, propter commoditatem totius: in ratione cauſæ, in ratione ſigni: naturâ expellente, naturâ ſinente: criticè, ſymptomaticè: ſecundum græcos, ſecundum latinos: Primariò, ſecundariò: formaliter, materialiter: preſſo, aut lato modo: &c. quibus argumentorum vis artificioſe, ac modeſte retunditur; itaque refellere ſine iracundia, & refelli ſine pertinacia parati ſint medici in conſultationibus: hæc enim duo inventioni veritatis plurimũ adverſantur, ſi aut vera dicenti quis ſuccenſeat, aut pertinaciter in falſitatis defenſione laboret. Sæpe etiam auctoritates advocandæ, rationibusq; & experimentis comprobandæ: Exempla quoque non prætermittantur, quibus res clarior evadat, & quid agendum, quidvè rejiciendum ſit, oſtendant: qua in re Plato ad acrem diſputationem tria deſiderat, ſcientiam, prudentiam, & audaciam. Hipp. verò in lib. *de præceptionibus* nunquam contendere oportere, affirmando ac mutuis conviciis decertando ſcribit, quia ita imbecilles apparent, & hæc magis decent eos, qui circa forenſia ac quæſtus verſantur. Ubi obiter notandum, nec medicum, dum ſanat, nec Oratorem, dum perſuadet, nec reipublicæ moderatorem, dum benè cives in officio continet, nec cæterorũ quemquam, de fine deliberare, ſed omnes propoſito fine, quemadmodum & per quæ media ad illum pervenire poſſint, conſiderare: & ſi per plura, per quod illorum facilimè perquirere, & quonam modo. Itaque conſilium daturus medicus, in rei tantum præſentis uſum dicat medicè ſimul ac modicè, modeſteque, quæ dicenda videbuntur, ſive aliorum erit ſententiæ ſubſcripturus, ſive ſuam ipſe dicturus: non autem pleraque (quod plurimi faciunt) extra rei uſum longiſſimè, atque ex ultimis totius medicinæ initiis accerſat, quo nihil putidius, quaſi docere longè plerumque eruditiores ſe, non ipſe, quid de propoſitâ re ſentiat, proferre velle videatur.

Conſultatio qualis.

Diſtinctiones artificioſa, quibus vis argumentorum retunditur.

Tria ad acrem diſputationem neceſſaria.

De fine nunquam eſt deliberatio ſed de mediis.

Debet

Medici officium in conſultatione.

Debet inſuper medicus, quoniam eo vocatur, ut ſententiam ſuam proferat, in ægrotantis uſum ita hoc facere, ut nihil aliud agere voluiſſe videri poſſit, quàm de ſuo afferre aliquid in ipſius ægri utilitatem: ſin minùs, in aliorum ſententiam ire, idque breviter, ut quamobrem ita faciendum eſſe putet, ſciant omnes.

Medicus an alios in conſilium vocare teneatur.

An verò non ſolum aliis conſilium dare, verum etiam alios in conſilium vocare, ſi qua inciderit res conſideratione digna, medicus teneatur, trahi in dubium poſſet. Et certè plerique ſunt ambitioſi & avari, qui malunt, ut æger pereat in ipſorum manibus, quam ut altero acceſſito liberetur: vel quia, uti dici ſolet, canis non amat ſocium in culina: vel quia, quidquid ipſi non fecerint, ſolent arguere, & omnia vituperare, quæ ignorant, nec quippiam rectum putant, quod ipſi non fecerint, aut facere norint: adeo ſemper ſui capitis, ut ſint inimici conſilio etiam ſaniori, quod non ipſi dederint. Sed ſtulto homini placet, qui ſibi placet. Et quod miſerrimum eſt, ne ipſorum ignorantia, impotentiaq; in arte medica, quam ſæpe falſo profitentur, palam fiat:

Quorundã abuſus.

Nam quæ quisque facit, fieri ſibi furta, veretur.

Si doctus quisque aut expertus ſuper venerit, non ceſſant miris modis bonorum famam lacerare, ut ſic eos odioſos reddant apud alios, præſertim verò apud quos ſuſpicantur in exiſtimatione eſſe. Et hi quidem ſunt, ut Plinii verbis utar, *qui inter ſe juraſſe videntur necare omnes medicina, & hoc ipſum mercede faciũt, ut major eis fides adhibeatur: hi ſunt, qui diſcunt periculis ægrotantium, & experimenta per mortes agunt, quia medico duntaxat occidiſſe impunitas ſumma eſt, quandoquidem in hac artium ſola evenit, ut cuique medico ſe profeſſo ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus.* Huc pertinet impertinentiſſima quorundam cavillatio, qua peregrinos præſertim ſuggillant apud vulgares, dicentes, non poſſe cognoſcere naturam, & conſtitutionem corporum alterius regionis, ac propterea nec curationem inſtituere. Qua in re primo ſtatim ingreſſu ſuam ignorantiam palam faciunt: & Hippocratem non legiſſe confitentur, cujus præclara doctrina, quam ipſi profiteri gloriantur tàm calidis, quàm frigidis, quàm etiam temperatis locis à perito Medico facilè poteſt accommodari, ut ipſe Hippoc. auctor eſt dicens, in Libya, & Delo, atque Scythia propoſitam ab eo doctrinam veram eſſe, comprobatum haberi. Sed majori cachinno dignum, quod non advertunt, eos qui medici jam facti alias regiones incoluerunt, æquali tempore

Lib. 19. c. 1. Plinii dictũ de medicis.

Cavillum contra peregrinos.

3. Prognoſt.

Digitized by Google

tempore, nedum longiore, melius multò potuiſſe conſiderare naturam loci, & quæ medicamenta in eo conveniant, quàm qui tyrones adhuc in patriam redierunt, nondum arte confirmati, nec experientia muniti. Callidiores cùm animadvertant, hoc ſagulo parum munitam ſuam avaritiam, ad aras confugiunt: quaſi vero Hippocrates & Galenus Medicinæ Coryphæi, nec non Arabes, & Mauritani ejusdem cultus fuerint, qui nihilominus medicinæ magiſtri ab omnibus prædicantur. Sed hi non intelligunt, quæ ſit differentia inter operationes naturales, & miraculoſas. Facit quidem verus Dei cultus ad miracula, prodigia vè exhibenda: naturalia verò opera melius exercet, qui melius novit promovere ipſius naturæ ordinatos motus, incompoſitos compeſcere, atque dirigere. Valeant igitur illi, quibus meliorem mentem cupio, ut deſinant aliquando viris bonis, & probis medicis apud vulgares oblatrare, quia apud peritos, & prudentes parum ſuis artibus proficere compertum habent, mordeant, fremant, ac ſibilent, nunquam obtinebunt, ut quæ dicteria in medicos probos conjiciunt, ad ſe ipſos non revertantur: neque ingenuo artifici detrimentum aliquod, aut præjudicium afferre unquam poterunt. Verum his omiſſis medicus doctus ac generoſus, quem inſtituimus, & quem eſſe debere diximus virum bonum, ac naturâ prudentem, conſiderans artem, quam tractat, conjecturis niti, & in incerto plerunque verſari, resque in ea ſæpè, quò abituræ ſint, certò ſciri non poſſe: tunc deinde magnitudinem rei, quam tractat, nimirum vitam hominum, ſi non ſatis interdum ſibi fidens, alios ad conſilium adhibuerit, videri omnibus non immerito poterit nec ineptè, nec temerariè feciſſe. Et Hipp. in lib. *de præceptionibus* non indecorè medicum illum facturum ſcribit, qui in rei præſentis anguſtiâ alios quoque accerſere juſſerit, quo ex communi conſideratione res circa ægrum inquiratur & agnoſcatur, & cooperatores fiant ad auxilii ferendi facultatem, ſi quidem affectione augeſcente ob conſilii inopiam plurima ad rem præſentem effugiunt. Idcirco Homerus totius philoſophiæ parens ſic Diomedem cum Neſtore introducit loquentem:

Operatio naturalis, & miraculoſa qui differant.

Auctoris ſententia.

——————Me, ô Neſtor, habebis
Si modo des ſocium: fiducia quippe duobus
Major adeſt, dum ſe ſubigunt, dum ſenſa viciſſim
Alternant: ſubit ambobus, quod non ſubit uni,
Se ſociant: ita rem ſolidant, conſultaq; firmant

Bb *Ac*

Ac ſi qua mecum vel recta excogito ſolus,
Hic tamen uſq; mihi diffido, atq; irrita duco.

Quod ſi ipſe alterius vocationem nō proponat, ne forte impotentiæ apud vulgares arguatur, & vitio tribuant, quod prudentiæ tribuendum fuerat: tamen ſi patiens, conſanguinei, aut aſſiſtentes alium proponant, id non ſolùm patienter ferat, ſed alacriter admittat, tùm in ægrotantis gratiam, ob eas utilitates quas retulimus: tùm etiam quia in conſultationibus cognoſcitur medicorum doctrina, judicium, ac modeſtia, & pleræque aliæ virtutes, quibus hominum benevolentia comparatur; & dum ſententiam dicunt, ita ut periti aſſiſtentes intelligant, ampliùs induſtria innoteſcit: è converſo vero indocti, qui inter mulierculas multa blaterare ſolent, ibi vix quicquam mutire, aut contradicere audent; quia coram ſapientibus, ut ſcribit Poeta:

In conſultatione cognoſcitur medicorum doctrina.

In conſult. imperitorū manifeſta fit impotentia artis.

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Medicus ſuperveniens qualis eſſe debeat.

Medicus autem, qui convocatur, ſenior ſit, peritus, & in arte celeber, ne prior quaſi contemptus indignetur: ſolent enim id medici facere, dum alii ignobiliores ſuperveniunt. Tenetur verò primùm vocatus alteri rationem morbi & ſuæ curationis reddere, ut inde uterq; quid inpoſterum faciendum ſit eliciant. Quod ſi alium non admittere interdum licet, id quidem non imprudenter fortaſſè fiet, ſi medicus morbum, quem curat, ac ipſius rationem, optimè noverit, & crebrâ experientiâ compertum habuerit, quâ ratione curandus ſit; patiens vero moræ impatiens alium velit, qui tamen in urbe non ſit, niſi ex eorum numero, qui ſemper aliquid facere videri volunt, ex quo tota curationis ratio perturbetur: ſimiliter ac rector navis, qui portum optime novit, & ſecundum habet ventum, quia vectores nondum ad portum perveniſſe indignantur, ineptè fecerit, ſi propterea clavum tradat inexperto, & ad ejus nutum curſum alior ſum dirigi patiatur. Quod ſi collega moroſus ſit & tergiverſator, qui nil, niſi quod ab ipſo dictum ſit, admittere aut approbare conſueverit; tunc poteris remedium, quod utiliſſimum eſſe noſti, ei primum communicare, ut ipſe proponat infirmo: ne tamen curationis laudem præripiat, languenti aut aſſiſtentibus, quale illud ſit, ſignificare, & cur velis ab ipſo proficiſci, nimirum ut admittat utile medicamentum, quod alias rejecturus eſſet; ita fit plerumque, ut poſt utilitatem vanè glorietur, ſed ridiculè quidem, cum alii nove-

Medicus quando poſſit alios non admittere.

Simile.

Digitized by Google

noverint, ipſum in comœdia perſonatum duntaxat egiſſe medicum.

UT SE GERERE DEBEAT MEDIcus in accipiendo præmio.

CAPUT XXI.

OB probitatem & humanitatem inſignem, quâ præditos eſſe oportere medicos diximus, ſi quidem tractaturi ſint legitimè, quod profitentur, nullum eis, ut in artibus aliis, ſtatutum præmium certum eſt: neque ipſi accipiunt, niſi pro ſpecimine tantum quodam relatarum gratiarum: immò plerique omnes eorum etiam, quos ſuſpectos avaritiæ habere poſſemus, languentium tamen inprimis causâ ſemper laborant, ut ſanitatem illis recuperent, etiam cum diſpendio rerum ſuarum: Quod poſt ſuſceptam ſaltem curationem niſi ab eis præſtari videamus, non ſordidos eos jam aut auaros, qui in hoc peccent, ſed ſceleſtos potius atque ab omni humanitatê alienos appellaturi, habiturique meritiſſime ſimus, videlicet tam inſigni bono, quale ſanitas eſt, ſordidum ac tenuiſſimum quoddam lucrum præferentes. Nec tamen horum plerique deſunt, qui trahunt in ſubſidium ſuæ avaritiæ Hippocratem, qui probiſſimus idem, ac humaniſſimus, in libro *de præceptionibus*, ſcribit, medicum à mercede exordiri curationem oportere, quia ſi à mercede inchoaveris (ut ſubdit ipſe Hippocrates) conducit hoc univerſo negotio, ægroto quidem cogitationem inducens, quod non ipſo relicto abibis, ſi vero non paciſceris, quod ipſum negliges, & de quibusdam in rem præſentem non admonebis, curare igitur oportere de conſtituendâ mercede. Ex hoc utique præcepto quæſtuoſi medici curandum eſſe de conſtituenda mercede concludunt, & id quidem interim, dum morbus urget, quia, (inquiunt) ars, quæ non venditur, vilipenditur, & propterea:

Medicus cum diſpendio ſuarum rerum ſalutem procurat alienū.

Medicum curationem à mercede exordiri oportere dixit Hipp.

Exige dum dolor eſt, nam poſtquam pœna receſſit,
Audebit ſanus dicere, multa dedi:

Et quid non largiatur homo in periculo conſtitutus liberatori ſuo? an vero ſit ullus tam inſanus, qui in vitæ diſcrimine pecuniæ parcat? cuinam tempori nummi reſervat uſum illicò periturus? *pellem pro pelle*, ut legitur in libro Jobi. *& omnia quæ poſſidet homo dabit pro*

 anima

Digitized by Google

Philippi Macedonis dictum festivum.

anima ſua. Idcirco feſtivè Philippus magni Alexandri pater cum clavicula luxatâ laboraret, & ſubinde aliquid pecuniæ medicus poſceret: *accipe*, inquit, *omnia quæ voles, quandoquidem clavem habes*: ſimiliaque multa exſtare exempla, quia,

Medicus in morbis totus promittitur orbis,
Mox fugit à mente medicus morbo recedente.

Medicus triplicem habet faciem.

Et habere medicum triplicem faciem; hominis unam, quando cum cæteris hominibus bene valentibus converſatur: Angeli alteram, quando urgente morbo ad ægrotum accerſitur: tertiam ſatanicam ſeu Diabolicam, quando patientem jam reſtitutum inviſit, & ſua præſentia de perſolutione quodammodo admonere videtur.

Artifex nõ eſt qui inſtrumenta habet artis. Errores medicorũ terra conteguntur.

Atque hæc quidem ſunt, quæ pſeudomedici blaterant, ii præſertim, qui ex textrina veluti Theſſalus ille, aut etiam ex ſutoria emergentes, vix dum arcanis medicinæ initiati ſubitò exaltantur: vel alioqui perditis ac deſperatis rebus aliis omnibus, ad hanc unam ceu extremam & ſacram anchoram lucri gratia confugerũt, & ſtudent ea colligere duntaxat, quæ ad parandam pecuniam ſint aptiſſima, hiſtoriam nimirum plantarum & remediorum acervum, cum levi aut fere nullâ artis cognitione; quaſi verò qui ſerram habet aut malleum, illicò faber ille ſit: audaciores in re tanti momenti, quia eorum errores terrâ conteguntur, interdum etiam mercede compenſantur, & pſeudogratiam vendunt, qui juſtiores videri volunt, dum nihil accipere velle præ ſe ferunt, antequam æger convaleſcat, in eo iniquiores, quod temporis beneficium, immo Dei munus, ſuis manibus adſcribunt: quòd ſi temeritate perdant decumbentem (quia hi ſunt, qui homines officioſiſſime occidunt) non deeſt flagitio prætextus, ægri inobœdientia, aut vis morbi, quæ ſi non ſatis excuſent, nummis corraſis ſolum vertunt, ideo à mercede ſemper curationem incipientes, quam etiam mercede finiunt, non ſine magno mortalium ſcandalo ac detrimento.

Pſeudomedici ſuorum errorum quos habeant prætextus.

Docti ac probi medici inſtitutum.

Verum enimverò docti & ingenui medici in morbis propulſandis ſolummodo verſantur, quippe qui finem medicinæ conſequi nituntur, qui eſt ſanitatis poſſeſſio, & Protagoræ exemplo, qui diſcipulis ſuis eorum, quæ didiciſſent, mercedem æſtimandam permittebat, laboris & moleſtiæ ſuæ gratitudinem, affectumque & animi ſollicitudinem ægrotis conſiderandam relinquunt; nec deſunt, qui ægroti ipſius, amici præſertim aut conjuncti, ſalutem pro mercede maximâ ducant, Alias ſi ſanitat.

Google

nitati ſuæ reſtitutus eſt patiens, & dat beneficium, accipiat medicus: ſi nihil dat, non magni refert, certe nec exigat, nec in judicium vocet. Adſtipulatur huic ſententiæ idem Hipp. in lib. *de præceptionibus*, monens, ut medicus in exigenda mercede omnem deponat acerbitatem, & quandoque etiam gratis curet; ut ipſe erga Democritum ſe geſſit, ad quem navi ſuis ſumptibus conductâ navigavit, Athenienſibus præcipiens, ut liberæ artis opera libera eſſe ſinerent. Nec ſolum gratis curare, ſed etiam ægrotis de ſuo elargiri debet medicus, ſi occaſio ferat, peregrino maximè & egeno, ut ipſe Senex ſapientiſſimus monuit: Si enim affuerit erga homines amor, aderit etiam amor erga artem, nam, ut propheta inquit, *beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, quibus monemur, non alium debere eſſe medicum, quam terrenum quendam Angelum, cum hominibus habitantem, beneficum, pium, de aliis ſollicitũ, ſui negligentem, mali quidem ne quidquam cogitantem. Hæ autem ſunt rationes, quibus ingenui medici ducti ita ſibi faciendum eſſe ſtatuunt: *Primò*, quia nemo unquam recuperatæ ſanitatis mercedem dederit, etiamſi ſua omnia largiatur. Nec medicus ipſe pro laboribus ac moleſtiis, quas ex aliorum ſemper calamitatibus, ac miſeriis colligit, dum alienos caſus ſuas facit eſſe triſtitias, præmium dignum unquam ſatis reportabit. Idcirco Soranus Epheſius inſignis Peripateticus initio Iſagoges in artem medendi, *mercedes*, inquit, *ſi quidem dentur, accipiantur, & non recuſentur: ſi autem non dentur, non exigantur, quia quantum quiſq; dederit, non poteſt ulla exaquare mercede beneficia medicinæ*. *Secundò*, quia ſi commerciorum æquabilis ſervanda ſit ratio, quâ juſtitia commutativa tota nititur, nulla recuperatæ ſanitatis donum æquare compenſatio poteſt rerum toto genere inferiorum, opum videlicet ac pecuniæ. At dices: non medicus ſed Deus ſalutem dedit, ipſe verò medicus artem & media à Deo ordinata adhibuit; quod ſanè ita eſt, & ſcriptum legimus, à Deo eſſe omnem medelam, neque enim ſine Deo natura rerum quicquam præſtare poteſt: ut tamen humanitatem ac pietatem, qua te ſervavit medicus; probitatem ac diligentiam, quâ cuſtodivit, perſolvas, quid pro animi ſollicitudine, & precibus ad Deum fuſis referes? Ipſe enim Dominum deprecatur, ut dirigat requiem ejus, & ſanitaté, propter converſationem illius, quid, inquam, niſi honorarium, quod ſpecimen quoddam relatarum gratiarum & ſit & habeatur. Ita enim ritè nuncupatur id, quod medico pro præſtito beneficio,

Inexigenda mercede acerbitas omnis deponenda.

Liberæ artis opera libera ſunt:

Egeni & peregrini gratis curandi.

Rationes inſtituti medicorum.

Medici ex alienis caſibus ſuas faciunt triſtitias.

Sorani locus.

Objectio.

Solutio.

Digitized by Google

neficio, aut etiam principi, reipublicæ nomine in ſignum grati animi offertur. Curio, inquit Cicero, miſſi ut honos haberetur medico; & in Decreto ſcribitur, *Nõ ſane quidquid ab invito ſumitur injurioſe aufertur, nam plerūq; nec medico volunt reddere honorem ſuum, nec operario mercedem, nec tamen hæc, quæ ab invito accipiuntur, per injuriam accipiuntur, quæ potius per injuriam non darentur:* Ubi per honorem jureconſulti munera intelligunt, quæ medicis offeruntur honoris gratia, ſicuti ea, quæ legatis præſentantur lautia, brabium quod victori, donativum verò quod à Rege aut imperatore confertur. Ideò Eccleſiaſticus de medico verba faciens inquit: *A Rege accipiet donationem, & Altiſſimus dedit ſcientiam hominibus, honorari in mirabilibus ſuis.* Ex quibus liquidò conſtat, & naturæ lege (quandoquidem gentium omnium de re aliqua confirmata opinio lex eſt naturæ) & imperatorum ſanctionibus, & quod majus eſt, ex divino præcepto habendum eſſe medico honorem, & beneficii gratitudinem, *alias non recedet malum à domo ingrati:* quæ Salomonis vox eſt divina. Et ut ipſi tenẽtur artis ſuæ finem diligenter procurare: ita laborantes debitæ gratitudinis curam habere. Ideo quia imperita multitudo artem ſibi perneceſſariam non curat, præpoſtero judicio bona alia ſaluti anteponens, bene ordinatæ reſpublicæ & principes prudentes de publico bono ſolliciti honeſtis ſtipendiis medicos bonos atque peritos apud ſe habere ſolent. Sic Ægyptii, ſapientiſſimi hominum ſemper habiti, ex publico medicis victum concedebant, qui ſecundum legem ab antiquis traditam ægros curarent, ut ſcribit Diodorus Siculus: qui etiam refert apud Indos eundem fuiſſe morem. Et Plato *libro de republica tertio*, bonos, inquit, medicos habere oportet in civitate, qui ab ineunte ætate ultra diſcendæ artis ſtudiũ inter plurimos corpore malè affectos fuerint verſati, quod hodie in Hiſpaniâ obſervatur, ubi nemini licet publicè medicinam exercere, niſi poſt ſtudium ipſius facultatis & curſus, ut loquuntur, de more peractos, approbationemq; publice & ſolemniter factã per bienniũ ſaltem hoſpitalia frequentet unà cum experto aliquo medico.

Decreti locus. *Eccleſiaſtici locus.* *Concluſio.* *Stipendia medicis cur ordinata.* *2. Bibliotheca.*

Hippocratem verò de conſtituenda mercede eos admonere medicos exiſtimo, qui ad conditionem aliquam vocantur à principe vel à Republicâ: aut qui extra urbem proficiſcuntur, quòd illa verba innuere videntur, *cogitationem inducens, quòd non ipſo relicto abibis*; aut de quibusdam præcipuis viris in oppido de ſuâ valetudine ſollicitis, qui toto curationis tempore volunt medicum quaſi ſibi addictum apud ſe habere, idq;

Hipp. locus explicatur.

idque aut propoſito honorario, aut etiam expetentes, ut ſummam ſignificet, valetudinem omni auro præferentes, quiq; propriæ liberalitati & medici laboribus ſatisfeciſſe certo cupiunt ſcire, & hâc ratione medicum obligare, ne ipſos negligat, aut de quibusdam non admoneat, quod nobiles plerumque facere ſum expertus, quâvis pecuniâ procurantes, ne medicus de promptitudine & alacritate in curatione quicquam remittat, & ut eum faciant plane ſuum atque obſequentiſſimum, paratiſſimumque, ſi quando iterum morbus ingruat, ad ſe redire. In quibus etiam ex pacto curationem adhibere, non erit abs re, tùm propter rationem ab Hippocrate aſſignatam, tùm ut major fides medico adhibeatur, & ut obſequentiores fiant ægrotantes, qui alioquin facile inchoatâ curatione ad alium tranſeunt.

Cæterum illud diligenter caveat medicus ingenuus, ne tacito quodam poſtulandi genere apud ægrotum hanc aut illam veſtem, clinodia, equum, libros, aliamvè domeſticam ſupellectilem nimiū commendet: neve ab eodē, ſi mercator fuerit, quidpiam emere tentet, niſi numerata pecunia, immo nec ita quidem, ne aliquam inferat cogitationem hominibus alioquin ſuſpicioſis, & de lucro ſemper cogitantibus, velle ut ſibi offeratur id, quod emit, aut collaudat, & quaſi artificio quodā id extorquere, quod ipſum oblaturum non confidit. Multò minus quicquam ex domo patientis aſſumat deteſtandæ avaritiæ indicio: uti feciſſe Empiricum ocularem in fabulâ eſt, qui ad mulierē ſuffuſione laborantē accerſitus, certum precium ſibi dari pactus, ſi eam curaret, ſi verò non liberaretur, nihil ei deberi: Quoties illam curatum ibat, toties ſecum aliquid ex ſupellectile clanculū aſportabat, quoad tandem ipſam reſtitutam nunquid jam plus videret interrogavit: at illa feſtivè ſentire quidem nubem ſublatam eſſe ex oculis, reſpondit, nunquam tamen antea minùs vidiſſe, ideoq; mercedem ſolvere recuſat, etſi pactum fatetur, nam cum, inquit, cæca eram, domum tamen ſupellectile refertam ſentiebam, nunc cum video, uti ais, nihil rerum domi eſſe perſpicio. Sed quid ſi medicus familiam alat, & patiens mercator ex peregrinis regionibus illa accipere ſoleat, quæ ex alio non niſi majori precio comparari poſſint? erit ne medicus pejoris conditionis, quàm cæteri amici, qui ab illo commeatum accipiunt? Reſpondeo: eos eſſe mores hominum, ut omnia ſiniſtrè plerumq; interpretentur, ideoq; per interpoſitam perſonā id emi conſulerem, ut omnis ſuſpicio removeatur, tametſi careat eo favore medi-

Admonitiones.

Empirici hiſtoria.

Digitized by Google

medicus, quo poſſet fortaſſe æquiori pretio ea ſibi comparare. Nam ſi gratus & liberalis patiens eſt, ipſe ejus rei rationem habebit, & ſi ultrò integras mittat naves, ſine ulla exiſtimationis ſuæ maculâ, accipiet: ſin minùs, ita ſunt homines iniqui, ut calumniari hanc mercedis quaſi præoccupationem in conviviis, in foro, & in aliis congreſſibus nunquam ceſſent: maximè ſi concurrentem habuerit, qui per muliereculas & alios id magis exaggerabit. Quicunque igitur hactenus vulgare dictum, *medicè vivere eſt miſerè vivere*, de his intelligebant, qui ſecundum medicorum regulas vivunt, id poſthac de medicis intelligant, qui ex hominum avaritiâ pendent, ſi duriſſimam ut plurimum medicorū noſtri temporis conditionem conſideres. Ut plurimum dixi, quia & medici ſunt, qui illa ſpernunt, quia & ſibi vivere poſſunt, & opes negligunt: & non ubique, nec apud quosvis vitioſa illa conſuetudo viget, ſunt enim loca & viri præcipui non pauci, à quibus dignus & arti & artificibus honos exhibetur.

Medicè vivere, miſerè vivere quomodo intelligendum.

Medicorum conditio duriſſima.

AMPLA MEDICORUM ſtipendia.

CAPVT XXII.

ILlam autem medicorum bonorum modeſtiam, ſubindeque operæ eorum neceſſitatem longe maximam animadvertentes prudentiſſimi principes, Reges, & Imperatores, quicunque humanioribus uſi ſunt legibus, quique eorum generoſiores & publicæ ſalutis ſtudioſiores fuerunt, curàrunt ſemper, certatim apud ſe habere medicos eruditos, ac expertos, qui ſuæ & ſibi commiſſi populi ſaluti proſpicerent, nec ſumptibus, nec auro parcentes, utque ipſorum menſis inſpectores adhibiti, ornamento illis eſſent & decori, quosq; intimos ſemper haberent omnium horarum comites: tum quibus tanquam fidiſſimis aſſeclis ſalutis ſuæ, in qua reliquorum omnium conſtituta ſalus verſatur, cuſtodiam demandatam committerent, & ad quorum nutum ſemper viverent. Idcirco eis detulerunt immunitates, privilegia, & ampliſſima honoraria: quin etiam inſignes honores eisdem tribuebat antiquitas, & Romani imperatores ipſam artem & medicamentorum affluentiam ſumptibus augendam procu-

Digitized by Google

procurabant. *A Rege*, inquit Eccleſiaſticus, *accipiet donationem, & diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatum collaudabitur*, ut ſuprà expoſuimus. In cujus vaticinii executionem Perſarum Rex magnus Artaxerxes Hippocratem ad ſe invitavit, Hiſtanæ Helleſponti præfecto ſcribens: *Hippocratis medici Coos ab Æſculapio originem ducentis gloria artis etiam ad me pervenit; dato igitur ipſi auri quantum voluerit, & reliqua abunde, quibus opus habet, & ipſum ad nos mittito; nam optimatibus Perſarum æqualis erit, & ſi quis alius bonus vir eſt in Europâ eum Domus Regia amicum facito nihil divitiis parcens. Viros enim invenire, qui conſilio præſtent, non eſt facile.* Ad quem nihilominus ſe conferre recuſavit Hippocrates, dicens, *ignarum eſſe Regem Perſarum, apud eum maiorem eſſe ſapientiæ rationem quam auri*: Et tamen propriis ſumptibus ad Democritum ægrotantem Abderam navigavit, ut anteà retulimus. Quod equidem mihi ſæpius in urbibus, quas hactenus inhabitavi, uſu venit, ut ad ſapientes quoque & eruditos viros atque civiles gratis libentiùs accederem, quam oblato præmio non contemnendo ad rudiores, & ad eos, apud quos ſciebam laborem virtutis inſaniam judicari: nec medicorum diſtinctionem ullam apud eos fieri, modò nomen medici uſurpâſſent.

Locus Eccleſiaſtici.

Litera Artaxerxis.

Hippocratis reſponſum.

Auctoris conſuetudo.

Porro autem ut clariùs innoteſcat, quanto in pretio ars medica ſemper fuerit apud magnos principes atque prudentes, donationes aliquot medicis ab ipſis attributas recenſebimus. Eraſiſtratus Ariſtotelis filiâ genitus, ut Plinius refert, Antiocho Rege ſanato à Ptolomeo ejus filio centum talentis donatus eſt, quæ ſumma juxta Budæi calculũ ſexaginta millia efficit noſtrorum aureorum. Caſſio, Calpitano, Aruntio, Albutio, Rubio, quos principum Romanorum ſucceſſivè medicos fuiſſe exiſtimo, ducenta & quinquaginta ſeſtertia annuâ mercede fuere, ut eſt apud eundem Plinium, quæ ſex mille ducenti quinquaginta aurei erant. Quintus verò Stertinius imputavit principibus, quod quingenis annuis ſeſtertiis contentus eſſet, ſexcena enim ſibi quæſtu urbis privato fuiſſe numeratis domibus oſtendebat, quapropter eorum gratiâ centum ſeſtertia quæſtus contemneret. Par etiam fratri ejus ſumma à Claudio Cæſare attributa fuit. Crinas Maſſilienſis centies ſeſtertium reliquit muris Patriæ, mœnibus quoq; aliis pene non minori ſumma extructis. Quod autem, ut eſt apud Herodotum, Dæmoides annua mercede ab Eginetis talento, ab Athenienſibus centum minis, à Polycrate talentis duobus fuerit conductus: & quod Galenus, cum Boetii uxorem

Donationes medicis factæ.

Digitized by Google

uteri profluvio laborantem præter ſpem aliorum medicorum curâſſet, quadringentos aureos accepiſſet, ut ipſe refert, non mihi admodum magnum videtur, cùm majorum memoriâ Thaddæus in ſingulos dies quinquaginta aureos cum peregre proficiſceretur, & curato Pontifice Honorio decem millia reportaret, quod Petro Aponenſi quidam adſcribunt. Ludovicus undecimus Rex Galliæ medico ſuo Jacobo Coctério menſtruum dabat ſtipendium decem aureorum millia, ut refert Philippus Commineus: nec id modo, verum etiam Epiſcopatum Ambianenſem ejus nepoti, & munera publica multa largiebatur ejus propinquis & amicis. Garcias ab horto medicus Luſitanus noſtri fere temporis à Nyſa Malluco Rege in India plus duodecies mille Pardaos pro curatione accepit: & ſi aliquot menſes, ſingulis annis apud eum hærere vellet, in ſtipendium annuum quadraginta millia offerebat, ut idem refert. Eſt autem Pardao aurea moneta, quæ valet fere unciam argenteam, & correſpondet duabus marcis Lubecenſibus, ſeu octo drachmis Hiſpanicis. Sed & noſtra ætate Magnus Mogorus, qui ex Tamerlanis poſteris adhuc in India intra Gangem latiſſimè dominatur, Mizareno, quod vocabulũ Arabicè philoſophum ſeu medicum Ægyptium ſonat, centum fere millia coronatorũ annuatim aſſignavit, præter ampliſſimos honores, ut nobis retulit Petrus Texera amicus noſter, vir de literis benè meritus & in illis regionibus diu verſatus. Philippus ſecundus Hiſpaniarũ Rex Franciſco Valleſio ſuo Archiatro cùm à febricula ſeptem dierũ convaleſceret, ſex aureorum millia præter annuum ampliſſimum ſtipendium miſit, cui ille cum gratiarũ actione reſpondit, non dubitare tantũ Regem plura etiam elargiri poſſe, ſi vellet. Idem Philippus ac reliqui Hiſpaniæ Luſitaniæq; Reges plurimâ pecuniam impenderunt medicamentis convehendis ex utrâq; Indiâ ac undiq; terrarũ, & medicinalibus viridariis excolendis, in quem finem voluerunt, ut ego quamvis indignus in Indiam Orientalem navigarẽ oblato ſtipendio amplo, & honoribus non contemnendis: quibus hoc etiam additum erat, ut neq; Proregi, neq; cuipiam alii addictus eſſem, quin immò ipſe teneretur, ex omnibus Orientis provinciis curare, ad me deferri ſimplicia, quæ ibi creſcũt, ego verò illa conferrem cum iis, de quibus Græci & Arabes ſcripſerunt, & ad eorũ capita reducerẽ, edito de iisdem commentario. Quod utiq; munus tametſi honorificũ, & univerſo orbi utiliſſimũ, juſtis de cauſis detrectavi, ſperans fore, ut alius, qui me & eruditione & experientiâ ſuperet, idipſum aliquando perficiat.

Lib. de praeog. ad poſth. c. 8.

Lib. 10.

Nyſa Malluco.

Magnus Mogorus.

Philippus Hiſp. Rex.

POS-

POSSITNE MEDICUS, OB MALE ADminiſtrata remedia, in jus vocari, & pœnâ aliquâ affici.

CAPVT XXIII.

Trucidati ob male adminiſtratā medicinā. Manes Medicus.

LEgimus pleroſque, qui barbaris magnatibus aut principibus in morbis dubiis ſalutem temerè promiſerunt, ſuæ temeritatis dediſſe pœnas, cum obiiſſent patientes. Manes cum filium Perſarum Regis, ut promiſerat, non ſanaſſet, cutis ipſi toto corpore fuit detracta. Gabrielem Zerbum cum ſatrapam Turcicum, quem Baſſam vocant, in Myſia ſanare non potuiſſet, ſatellitum gladiis conciſum fuiſſe accepimus. Arabs Avenzoar medicus expertiſſimus & gravis auctor in vincula ſe ipſum conjectum fuiſſe refert, quòd morbum non curâſſet cujuſdam. Et Luſitanus ſcribit, medicum nomine Çalafurram cum leviter affectæ puellæ clyſterem injici curaſſet, & paulo poſt ipſa mortua eſſet, parentes de medico vindictam apud judicem poſtulâſſe, & in carcerem deducto intentatam ipſi fuiſſe litem, Anconæ gubernante Vincentio de Nobilibus Pontificis ex ſorore nepote.

Lib de leg. Pars negativa.

Eſt ex altera parte auctoritas Hippocratis, dicentis, ſoli medicinæ nullam pœnam in rebuspublicis ſtatutam eſſe, præterquam ignominiæ. Et Plato *nono de republica* inquit; *quivis medicus, ſi is, qui ab eo curatur, moritur, invito ipſo, purus ſit ſecundum legem.* Idcircò apud jureconſultos cautum eſt, ne medici inviti in judicium deducantur; *lege, medicos, cap. de profeſſoribus & medicis.* Ideoque Nicloces felices medicos dixit, *quia præclara ipſorum opera ſol videat, eorum verò delicta & errores terra abſcondat.* Et Plinius, *nulla,* inquit, *lex eſt, quæ puniat inſcitiam capitalem medicorum, nullum exemplum vindictæ, diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt, medicoq́ tantùm hominem occidiſſe ſumma impunitas eſt, quando in hac artium ſola eveniat, ut unicuiq́ medicum ſe profitenti ſtatim credatur.*

10 Codicis tit. 52. l. 6.

Lib. 29. c. 1.

Pro hujus difficultatis explicatione ſciendum prius, medicos alios quidem re, alios nomine duntaxat eſſe: idque ob vulgi ruditatem, quod promiſcuè omnes pro medicis habet, cum tamen plerique non plus medici ſint quàm perſonæ, quæ in comœdiis introducuntur:

 quem-

quemadmodum enim illi figuram quidem & habitum ac perſonam habent eorum, quos referunt, illi ipſi autem vere non ſunt: ſic & medici nomine multi, re autem & opere valde pauci exiſtunt, qui nimirum mutant clypeos Danaumque inſignia ſibi aptant: immo pleriqne hanc jactant artem, & falſo medici titulo ſeſe venditant, & cum maximo funeſtoque hominum damno praxin exercent, qui tamen detractâ larvâ non alii ſunt, quàm pigri quidam & inertes homines, ac inepti tonſores, pharmacopœi vulgares, aut deſtillatores, milites interdum, obærati, & aliarum artium apoſtatæ, vel aniculæ, & alii, qui clanculario & alieno modo hanc artem exercent, ſæpe etiam venefici, magi, chiromantici, & alii flagitioſi homines, qui ſi ritè examinentur, bonarum literarum imperitiſſimi deprehenduntur, quippe qui nullas unquam diſciplinas rationales ne primis quidem labiis deguſtarunt. Atque ex iis ſunt, qui fora frequentant, ruditati ac inſcitiæ civium imponentes, & in circulis civitatum verſantes. Cognoſcuntur tamen facile tum ex lineamentis ſequenti capite proponendis: tum ex ſplendido ornatu ac indecenti, ob quem etiam fugiendi ſunt. Quamvis quidam reperiuntur, qui non ſolum artem, verum etiam habitum ſimulant, quos videre licet veſtitu compoſito, & ornatu non indecoro, ac ut præ ſe ferunt, minime excogitato apparatu, nec ſuperflua curioſitate, vitaque ad frugalitatem & meditationem ſimulata, ad vulgariumque reſponſiones promptos, qui propterea vituperandi magis ſunt: quia totius injuſtitiæ nulla eſt capitalior, quàm eorum, qui cum maximè decipiunt, agunt, ut boni eſſe videantur. Verum hos quidem nemo facile cognoſcit, niſi qui probè noverit, *quid diſtent æra lupinis*: & qui leonem ex unguibus æſtimare aſſuevit, huic haud difficile id erit: plerumque enim tales medici ſe gerunt, ut nautæ imperiti, nam ut hi, ſi in tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiunt manifeſti: ſi verò deprehenderit ipſos ventus magnus, & gravis tempeſtas, palàm conſpicuũ eſt omnibus, quod ignorantiâ & ſui erroris culpâ navim perdiderint: ita medici illi cum curant homines nihil grave patientes, in quos ſi quis etiam maxime delinquat, nihil ſequatur detrimenti, in ipſis quidem delinquentes non fiunt manifeſti: ubi verò obtigerit magnus & periculoſus morbus, tum ipſorum delicta, & artis ineptitudo cunctis fiunt manifeſta.

Falſi medici qui.

Falſi medici nota.

Simile.

Medici docti.

Alterum eſt medicorum genus eorum, qui per logices, & philoſophiæ naturalis veſtibula ad medicinæ abdita penetrarunt, ibiq; curſibus, ut

ut dici ſolet, de more peractis, adhibita poſtea diligēti examinatione doctiſſimorū medicorū ſuffragiis fuerunt comprobati: tum deinde operibus medicis ſe accinxerūt, non ſolū ſcientiæ habitu contenti, neq; cum primum creati medici fuerunt, ſeſe ſtatim ad opera medica factitanda contulerunt, niſi prius præeuntes aliquandiu ſecuti fuerint præceptores ſuos, ut quæ facienda antea legerint, ea demum ductu aliorum in arte clariſſimorum facere diſcant. Quæ profectò via ad medicæ artis perfectionem fuerit optima, ne qui primùm in nido producti, ac propè implumes volare nituntur, in terram concidant, ſed utroque, rationis ſcilicet atque experientiæ, pede nixi ſecurè progrediantur. Curſibus quidem in laudatiſſima Salmanticenſi Academia quadriennium eſt conſtitutum, quo optimos profeſſores alumni medicinæ frequentare tenentur: tum deinde publico examine præſtito, totius collegii medici ſuffragia experiri, quorum conſenſu ſi apti renuncientur inſignibus decorentur ſuis, nec tamen prius totius collegii teſtimonium ſcripto academiæ ſigillo comprobato illis conceditur, quàm per biennium ſaltem alios præeuntes in praxi ſequantur, tunc verò teſtimonium illis tribuitur, quocunque tandem circumferendum, quo ſe judicatos oſtendant, quibus fides in arte medica præſtanda adhibendaque ab omnibus ſit. At verò examen minime corruptè fit, ſed ſervatâ lege magna cum integritate, ita ut plerique repulſam interdum patiantur, aut eorum approbatio ſuſpendatur adhuc in annum aut biennium, quo ultra præſcriptum tempus publicas lectiones frequentare teneantur, & ſi ne id quidem ſufficiat, quotquot habuerit nigros calculos, in teſtimonio exprimi conſuevit, ut ubique poſtea conſtare poſſit, cui tutò, & cui minus tutò homines ſuam ſalutem concredere debeant. Utinam talis mos in aliarum regionum Academiis obſervaretur, & neque precibus neque pretio, ſed juxta merita uniuscujusque promotio fieret: ſæpe etiam, uti audio, ex aliunde mutuatis declamationibus, ac theſib' medicis ab ipſis præceptoribus, vel ab aliis conſarcinatis.

Optima via ad artem medicam.

Salmanticenſis Academia ſtatutum.

Examen quale Salmanticæ fiat.

Cæterùm eorum, qui legitimè ſunt promoti, triplex adhuc conſtituitur differentia. *Prima* eorum eſt, qui habitum mente conceptum tenent, ſeu ſpeciem illam artis in altiſſimis mentis receſſibus habitantem, unde cuncta veluti æquabiliſſimâ trutina perpenſa diducere in rerum actum per ſe ipſi poſſint: & cuicunque tandem morbo, etiam nunquam antea viſo, artificium ſuum accommodare: Quales fuiſſe olim abſo-

Promotorū medicorum triplex differentia. Prima.

Digitized by Google

abſolutos perfectosq́; medicos non paucos legimus, quorum ſcripta ad nos pervenerunt: eſſeque hodie aliquot, non eſt dubium, futurosque, quibus neq; ingenium deſit, neq; natura, ſi laborem non fugerint, & diligentiam maximam adhibuerint. *Secunda.*] *Altera* eſt differentia eorũ, qui, ſummâ quamvis contentione, aſſequi nihilominus illam architectonicen medicinam non potuerunt, ideoque aliam quandam viam ſequuntur, in quâ tutiſſimum ſibi eſſe iter arbitrantur, ſi nimirum à præſcriptis veterum medendi formulis non receſſerint: *Ægyptiorũ mos.* & quod in Ægypto quatriduum erat, in quo extra præſcriptum mederi impune non licebat, id rarò ſibi licere exiſtimant: maluntque abſque periculo aliorum rectè excogitatis uti, quam ſua cum ægrotorum diſcrimine uſurpare. Et hi quidem pro medicis bonis ſunt habendi, ſecundasque partes obtinent. *Tertia.* *Tertia* differentia eſt eorum, qui qualicunque cognitione artis in ſcholis habita, poſtea deſides facti, ex alieno duntaxat ſcripto ſapiunt, & viſo morbo ad caput hoc aut illud eum redigunt, ex cujus curatione unam atque alteram medicamenti compoſitionem transſcriptam notant, & tũc demùm ſe juxta canones curaſſe jactitant: cum non magis id faciant, quam mulierculæ quædam, quæ à medicis aliquando ſuffuratæ ſchedas, ſine ulla methodo iis utuntur. *Simile.* Ut enim is, qui ſine arte fabrili inſtrumentis ipſius utitur, ſerrâ nimirum aut malleo, ſcindet ille quidem, & ligna perdet, menſam tamen aut domum nunquam efficiet: ita illi corpus humanum deſtruunt, non curant.

Concluſio prima. Sit igitur *prima* concluſio: pſeudomedici illi, quorum initio mentionem fecimus, non ſolum vocari in judicium debent, & talionis pœnâ puniri, dum homines interfeciſſe deprehenduntur; ſed communi utilitati conſultum eſſet, ſi prudentes magiſtratus, qui civium ſuorum ſalute nil habent carius, diligenter caverent, ne ita fraudulenter hominum vitæ manus injicerent: ac prorſus illis interdiceretur ea, quam falſo *Conſuetudo mala non excuſat.* profitentur, medicina: neque enim conſuetudo quorundam locorum excuſat, ſiquidem in perniciem & necem hominum ſæpe ſæpius redundat, atque adeo ſi deprehendantur, ultra crepidam proceſſiſſe, & in alienam meſſem miſiſſe falcem, debitè punirentur.

Ita fieret *primò*, ut effrenis eorum licentia, graſſandi in humana corpora, reprimeretur, in hominem inquam, nobiliſſimam Dei creaturam, & ipſius Dei præſtantiſſimam fabricam, ac eximiũ inter alias creaturas divinæ ſapientiæ exemplar. *Secundò*, non ita ab eorum fraudibus in-

Digitized by Google

ineſcarentur homines ſimpliciores: nec pretio ab his clancularijs hominibus necem ſibi compararent. *Tertiò*, boni medici non cogerentur ſortem iniquiſſimam experiri, dum pari loco cum illis habentur, qui jactabundi ſuis impoſturis faciunt, ut homines minus ſe concredant eis, à quibus juvamentum capere potuiſſent.

Et multo magis puniendi ſunt, quia ſi illis in republica nulla alia pœna ſtatuta eſſet, præterquam ignominiæ, hæc utique eos non afficit, ut qui eam ſibi familiarem, & veluti congenitam ſemper habent, immo in eos non cadat magis, quam in bruta animantia, quæ nullius honoris ſtimulo ducuntur. Vidi ego & viſitavi hoc eodem menſe, quo hæc ſcribo, tres ægrotantes, quibus quidam ex iis, de quibus hic ſermo eſt, leviter affectis medicamentum exhibuit, quantitate quidem parvum, ſed qualitate fortiſſimum, nullâ ſubjecti aut temperamenti habita ratione, ex quo omnes inciderunt in copioſam rejectationem ſanguinis per os, corroſâ nimirùm venâ pectoris, non ſine repentinæ mortis, aut ſaltem empiematis periculo, nec tamen perſonatus ille medicus poſt unum & alterum funeſtum ſucceſſum reſipuerat. Eſt igitur dolendum, quod non modò ſceleri impunitas, verùmetiam opportunitas ſit: neque tamen dubitarem, multa flagitia deſitura, niſi eorum pœnæ deſiiſſent. *Secunda* concluſio: eorum medicorum, qui legitime in Academiis fuerunt promoti, nemo ad judicium deduci poteſt, & à judicibus pœna affici de malè adminiſtratis medicamentis. Viderint tamen profeſſores, qui poſtremis teſtimonia præbuerint, ne ſi corrupti, aut pretio vel amore ducti id conceſſerunt, complices fiant homicidiorum, quæ ipſi inpoſterum hoc ipſo teſtimonio freti patrare poſſunt; ad magiſtratum enim non pertinet cognoſcere, quinam idonei ſint, ſed eorum inſpicere teſtimonia: neque etiam tenetur judicare de rebus ſibi ignotis, quia artifici in ſua arte credendum eſt. Itaque multorum nocumentorum culpa ex academiis oritur, quæ titulos ac dignitates interdum tribuunt ineptiſſimis, unde ineffabiles clades in republica ſequi neceſſe eſt. Quâ tamen in re antiqua gymnaſiorum ſtatuta, & quæ hodiè, Salmanticæ præſertim, religioſè ſervantur, magno conſilio condita conſcientias promoventium onerant, quæ expreſſè jubent, ne quem ad ſuperiores dignitates ſcholaſticas admittant, de quo univerſitas erubeſcere poſſit.

Ignominia non afficit eos, qui eam habent familiarem.

Concluſio ſecunda.

Artifici credendum in ſua arte.

Gymnaſiorum ſtatutum.

His

Ad argumenta reſponſio.

His ita conſtitutis, contrariæ rationes facilè diluuntur, nam barbarorum exempla nil aliud monent, quàm medicos cordatos & graves non debere ſuſcipere curationem ſimilium, niſi eo in loco ubi ſui juris ſint, & periculis aut arbitrio eorum minime expoſiti. Quod ſi quibusdam lis intentata fuit, certè accuſatio nō arguit culpam, etſi minus legitimè accipiatur, potius judicis vitio fit: niſi in eos, quos diximus perſonatos medicos. Et vero quod ratio olim dictavit, eruditos ac bonos medicos non deberi ad judicium duci neque ulla affici pœna, id Plato lege ſancivit: quam poſtea jureconſultus renovavit. Conqueritur vero Hippocrates, ex quo transſcripſit Plinius, hanc immunitatem, quæ juſtè convenit eruditis medicis, iiſque quibus vel minima ignominia ſummum eſt ſupplicium, ad eos etiam pertingere, qui ex compoſito perſonam medici induerunt: quosque, uti diximus, nulla afficit ignominia: idque accidiſſe ob imperitæ multitudinis ruditatem, quæ tales pro medicis judicat & habet, cum tamen non ſint. Quod incommodum ſuperioris ætatis viri animadvertentes, conſtituerunt, ut deſignati medici doctorum cenſuræ & ſuffragiis poſt publicos actus ſubjicerentur, & ſolemni ritu publicum ſuæ approbationis teſtimonium acciperent, ex quo judicibus & magiſtratibus conſtaret, quinam ad hoc tanti ponderis munus, eſſent admittendi, qui vero veluti fuci & ignavum pecus à collegio medico arcendi: & graviter punirentur (quod in multis locis ſeveriſſimè obſervatur) qui haſce ſacræ medicinæ dapes immundis harpyiarum unguibus profanarent: Nam & in mandatis principum eſt, *ut curet is, qui provinciæ præeſt, malis hominibus provinciam purgari.*

Accuſatio non arguit culpam.

Bonis medicis minima ignominia ſummum eſt ſupplicium.

1. Digeſt. Tit. 18. l. 3.

DE VERI ET FALSI medici agnitione.

CAPUT XXIIII.

L. acut.

ABſolutos igitur perfectosque medicos ex iis notis, quas toto hoc opere propoſuimus, cognoſcere licet: ad quos etiam reducendi ſunt, quos ſecundas, tertiasque partes in hoc medicinæ campo obtinere diximus. Et eos inprimis Hippocrates laudandos cenſet, qui in acutis morbis, quorum vi plurimi hominum enecantur, inſigniter præ cæteris in melius pro-

Digitized by Google

proccedunt. Et eſt utique ingenuus artifex, ac unus inſtar multorum, qui ſcit, quæ cæteri, & quæ cæteros latent. At vero pſeudomedici, quibus indiciis ab iis differant, operæ pretium erit, nunc explicare, ut ſicuti priores illi à profeſſoribus in Academiis promoventur & honorifice inſigniuntur: ita etiam hi debitis ſtigmatibus inuſti à civibus fugiantur, & à prudentibus magiſtratibus pro graſſandi licentiâ & nocumenti ratione puniantur graviſſimè. Nam in rebus levibus interdum connivere, non adeo periculoſum eſt: at in ſeriis & graviſſimis, quæ ad hominum ſalutem tanti ſunt momenti, aſſentiri, & ſine ulla animadverſione ea præterire, pernicioſum procul dubio cenſetur. Ita inſuper fiet, ut in poſterum non eàdem penſetur trutinâ doctus medicus, & imperitus Empiricus, ac dignitas artis artificumque decus conſervetur. Et ne miſerâ & acerbâ ex periculis facta prudentiâ homines poſthac ita infeliciter venalem ſuam exponant vitam: aut necem pro vita incautè emant.

In morbis acutis cernitur prudentia medici.

Porro ſunt illi quidem ut plurimum bonarum literarum non ſolùm imperitiſſimi, ſed contemptores maximi, interdū etiam non logicæ tantummodo & philoſophiæ ignorantiſſimi, verum nec græcè nec latinè callent: quippe qui primam ipſam & veram ſapientiam ne eſſe quidem omnino exiſtimant, medicinam verò ac philoſophiam, & reliquas id genus artes eſſe quidem autumant, earum tamen finem ſtudioſè perſequendum minime cenſent. Nec mirum: hi enim ut plurimum ex infima plebe, aut etiam ex textrina zonariave emerſi primam ætatem ſordidis exercitiis impenderunt: deinde etiam ex manuali parentum operâ, fortuna nonnihil affulgente, non veritatis inquiſitioni dediti fuerunt, ſed pecuniam & inexplebiles voluptatum delitias affectârunt: atque, ut Theſſalus ille Galenicus, deſertis propriis opificiis ad medicā artem ſe contulerunt, quam propterea ſex menſibus adipiſci poſſe profitentur, quæ tamen totum requirit hominem, & ad eam totum vitæ ſpatium vix aut nunquam ſufficit. Si vero nec latinarum græcarumque litterarum, nec philoſophiæ utriusque, nec ullius bonarum diſciplinarum indigent, qui medici ſunt futuri; neque denique longam experientiam & artis uſum deſiderant, omnibus in promptu eſſet artem aggredi, & hinc adeo fit ut nunc etiam opifices proprio magiſterio relicto in medicæ artis opera inſiliant. Et cum fullones, metallarii, fabri ipſa quoque vilia officia exercentes abſque doctore eſſe non poſſint, nec

Pſeudomedici primus character.

Digitized by Google

experiri audeant, quæ non noverunt: ſola eſt medicandi ars, quam ſibi paſſim unuſquiſque vendicat: alii à crebrò infirmantibus: alii à fœminis medicinam diſcunt: alii neſcio quibus libellis legunt, & uno collyrio ſibi cognito omnium oculos curare præſumunt. *Eſt* & alius pſeudomedicorum perpetuus character, quod ut bonus alienam ſanitatem privatis commodis potiorem ducit: ita illi hominum ſaluti privatam utilitatem anteponũt: maluntque, ut in ipſorum manibus miſeri patientes excrucientur & intereant, quàm ut accerſitis doctioribus (quorum aſpectum, ut lucifugæ aves ſolem, perpetuò fugiunt) ſanitatem recuperent, ne tantillum de ipſorum exiſtimatione, ſi qua eſt, aut lucro decedat, cui ſemper inhiantes, & mane ſalutando circumeunt civitatem, & veſperi convivia frequentant, ſæpe etiam publica œnopolia, in quibus non ſermones ulli habentur philoſophici, ſed optimus ille cenſetur, qui plures eosque maximos calices exſiccavit. Inde fit, ut medicæ perſonæ obliti, pro diverſo hominũ captu & ingenio, adulando famulitium ullum non detrectent, nec ſervitutem, ſed omni abjectiſſimo obſequiorum genere, interdum etiam colluſores ſe reliquis adjungant, & tandem, modò pretium adſit, quidquid jubetur, emptitiorum mancipiorum ritu faciant: contrà quam generoſi & graves medici, qui tanquã duces militibus, & Reges ſubditis, imperare ægris abſq; ullo pecuniæ aucupio aſſueverunt. *Deinde* cum ſolida eruditione ſit deſtitutus pſeudomedicus, ſtultâ eruditionis jactantiâ imperitæ multitudinis admirationẽ aucupatur, nomenq; inane, præſertim verò apud mulieres credulas, quę ex intellectus imbecillitate citiùs arripiunt fallacias, & vana quæq; : Jamq; captâta harũ tubicinum benevolentiâ & credulitate doctiores omnes latratu ſuo oppugnat, ac morſu inſectatur, calumniando, ut hominum mentes ab iis alienet, quam miſeram conditionem docti ac probi quotidie, proh dolor, experiuntur. Eſt enim malorũ ſolatium bonos carpere, dum errantium multitudine putant culpam errorũ minui: verum ignis ſtipulæ cito conquieſcit, & inundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur: & perverſè ſe ipſum amat, qui alios errare vult, ne error ipſius innoteſcat, fuiſſetq; multo melius, ut ubi erravit ipſe, ibi nõ errent alii, quorum monitu potius errore careat. Sed enim ille licet à primo congreſſu gloriabundus aureos polliceri montes audet, & impoſſibilia quæque, immò etiam incurabilium morborum curationes, interdumque ſub capitis pignore, inanis nimirum & inutilis, ita ut dum

Secundus character.

Tertius character.

eum

eum ac ſimiles audimus, mortuos poſſe ſuſcitare credamus: tamen paulò poſt rerum difficultatibus circumventus præſertim improviſo ſymptomate, vel morbo acuto urgente, ibi inops conſilii mox in limine deficit, & quò nam ſe vertere debeat, neſcit: *tandemq;* ad fraudes converſus, ut ignorantiam velet, cùm ægritudinis cauſam ignoret, culpam morbi in philtra, veneficia, incantationes, & malos Dæmones refert: ideoque nullis remediis cedere, propterea characteribus, imaginibus, figuris, exorciſmis, carminibus, amuletis & aliis impiis & illicitis utendum, quibus frivola & ludicra quædam, ſæpe etiam execranda, includuntur. *Subinde* horum quempiam, dum eorum quæ dicit aut facit, cauſas petas, nil aliud eſſe deprehendes, quàm aſinum Cumanum, qui leonis pelle amictus pabula aliquandiu calcat, & armenta turbat: eum tandem rugire conantem ruditus coarguit. *Alii* audaciores verſipelliores que domi unum vel alterum conficiunt medicamentum, quo omnes morbos doloresque omnes indiſcriminatim facilè tollere poſſe promittunt, ac ſi unus calceus cunctis hominibus aptari queat: Et non opus eſſe tot pharmacis blaterant, quæ in pharmacopoliis proſtant, cùm ex illis omnibus catholicum quoddam conficiatur quod ipſe ſolus poſſidet, & vendit, aut alius, cum quo ipſe lucrum participat. Nam ut ſui juris homines faciant, nec in conferendis conſiliis prodere cogantur inſcitiam ſuam, ac cenſuram pati, arcanum illud eſſe cœlitus delapſum, ac nemini revelandum, nec niſi ipſis cognitum, ſtrenuè commentiuntur, & gregalibus (ſic enim doctos medicos nefarii vocant) prorſus ignotum. *Prætereà* cùm nullius ægritudinis ipſi & ſui ſimiles cognitionem habeant, ſi ab ipſis mulierculis interrogentur de naturâ morbi, novum eſſe affirmant: cumque naturæ motus & morborum tempora non cognoſcant, ſi de prognoſtico ſciſciteris, non aliter reſpondent, quam ii qui aleam jaciunt, interdum perplexâ & ambiguâ oratione, & quæ in utramque partem flecti poſſit, veluti olim gentilium oracula à dæmoniaco ſpiritu impulſa. Sæpe etiam, prout ſymptomata premunt, nulla ex vi morbi aut virium robore deſumpta indicatione, modò ajunt modò negant, ac ſæpius ſententiam mutant, & unâ eâdemque horâ diverſa omnino proferunt. *His* accedit, quod de nulla re unquam ſermo incidit, in qua illi ſuam ſententiam non immiſceant, ut verè in eos illud cadat:

Quartus character. *Quintus.* *Sextus.* *Septimus.* *Octavus.*

Grammaticus, Rhetor, Geometer, Pictor, Aliptes,
Augur, ſcenobates, medicus, magus, omnia novit.

Hiſce

Nonus. *Hiſce* igitur & aliis impoſturis poſteaquam eorum quilibet pleraque patravit homicidia, quibus aliquid corraſit, & ſuos jam amplius errores tegere nequit, ſolum vertit, & in peregrina ſe confert loca, ubi denuò gynæceo & levioribus hominibus ſibi jam notiſſimis artib⁹ ſeſe inſinuat, interdum etiam per pharmacopeos, vulnerarios, obſtetrices, nec non per ipſos mercium proxenetas, qui hominis adventum tanquam numen cælitus delapſum per urbem ſpargant. Hiſce enim novitas omnis grata, & novit impoſtor, nova minimè ſolida placere ad tempus: ſed cum *Nova placent ad tempus.* amiſerint novitatis gratiam omnino negligi: atque hi ſunt quibus illud accommodatur, quod multi clamant, latrones, ſicarios, & veneficos homines inhumaniter occidere: medicos vero humaniſſimè, ac officioſiſſimè, & ſolemniter interimere. *Adhæc* monſtroſis opinionibus delectantur, *Decimus.* quia vident hiſce potiſſimum imperitum vulgus magis capi & ineſcari hebetisque & craſſi ingenii homines etiam divites in admirationem verti, immo & in litterariâ republicâ non paucos inveniri, à naturâ ita comparatos, ut admirentur peregrinas opiniones, quantumvis abſurda quæque contineant, quia magnificum putant, habere quo aliis contradicant. *Undecimus.* *Nec non* monſtroſis etiam remediis utuntur illi, & characteribus, annulis, incantationibus, & aliis mediis, quæ Deo ſunt omninò abominabilia. *Sterilitas & viduitas & univerſa mala venerunt ſuper te Babylonem, propter multitudinem maleficiorum tuorum: & propter duritiem incantatorum tuorum vehementem,* inquit, Eſaias. *Duodecimus.* *Eſt etiam* horum nota, quod plerumque nocent notabiliter, & poſteaquam medicamentum exhibuerunt, patiens non multò pòſt moritur: aut in ſymptoma aliquod grave & periculoſum incidit, nempe ſomnū profundum, dyſſenteriam, faucium ardorem, ventriculi maximam debilitatem, aut emothoicam paſſionem: idque propterea, quod neque medicamenti vires noverint, nec morbi naturam, aut exhibendi occaſionem, neq; illa invicem aptare, & omnia caſu fortuitoque faciunt, non vero ex arte, quæ verò ita fiunt, *Chymicorū remediorū incommoda.* perpetua eſſe non poſſunt: & ſi ſemel ſuccedant, millies triſtiſſimum exitum habent, & ſunt pharmaca illa plena periculi, quæ malam diſpoſitionem in partibus nobilibus relinquunt: & perpauci illis uſi ſunt, qui aut immaturâ morte non ſint ſublati: aut vix attingāt annum quinquageſimum. Ac plerumque, qui ægris iſta imperant, cum in periculo ſunt, receptiſſimis illis utuntur, quæ ſi non proſint, ſaltem nocere non poſſint. *Decimus tertius.* *Denique* falſum medicum temulentum ſæpe videas, quod

certè

certè vitium cunctis hominibus abſque proprii muneris abolitione ut contingere liceat, medico quidem non licet: cujus operam noctu diuque, horâ prandii & cœnæ, & quâcunque aliâ neceſſariam eſſe conſtat. Cordatus verò, eruditus, & gravis medicus id ſemper ante oculos habet, ut ſummâ cum modeſtiâ citò & jucundè, præſertim vero tutò, curet, & auream illam ac brevem Hippocratis ſententiam: *morbis ut proſis vel ſaltem non noceas ſubinde obſervat:* adhæc temperantiâ maximè colit, ut ad viſendos ægros conſiliaque ſuggerenda quâcunque diei noctiſque horâ paratus & promptus eſſe poſſit: ideo non veritatis duntaxat, verumetiam ſobrietatis eſt ſtudioſus. *Cordati medici modeſtia.*

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

DE FASCINATIONE.

CAPUT I.

REjecimus in quartum poſtremumque hunc librum pauca quædam, quæ quoniam non minus ornamenti quam prudentiæ laudem medico afferre compertum eſt, ratio ipſa coegit promiſcuè eadem minimè intacta relinquere. Ac primum quidem, nil crebriùs in vulgarium maximeque mulierum ore eſt, faſcinationis vocabulo, quam oculū malum vocant, & quia, an quidpiam ſit in rebus tale, in medicorum præſentia ſæpius diſputari ſolet, cum ejus ratio ex philoſophia, & ex medicina remedia petenda ſint; nonnulla de ea diſſerere ab inſtituto noſtro minimè alienum putavimus, ne hæreat prudens medicus in re vulgari, & quam exactè callere mulierculæ ſæpiſſimè gloriantur. Affirmant illæ quidem & mordicus defendunt, eſſe homines, qui ſi impenſius laudaverint, aut intueantur obæſulos infantes, egregios equos, agnos, gallinas, aut alias pecudes, vel ſegetes lætiores, probata omnia emoriantur repentè. Nec ſolùm, quæ vegetantur & vivunt, verùm etiam minimè viventia, ut vaſa pulchriora & ſpecula diſrumpantur, & confracta decidant: & bona *Opinio. I.*

Digitized by Google

fortunæ imminuantur, ut ſi quæ familia aut numero aucta, & conſpicabilis, aut opibus florens, ab iſtius modi hominibus malignè aſpiciatur, non raro diſperſa aut imminuta penitus collabatur, & omnem amittat ſplendorem.

Neque vero muliebrem duntaxat nugacitatem hanc eſſe pleriq; putant, ſiquidem nō contemnendi auctores faſcinationis meminerunt, unde illud Virgilii:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

G. 9. noct. att. cap. 4. P. li. 7. c. 2.

Et Aulus Gellius ac Plinius ſcribunt, eſſe in Africa familias hominum, voce ac linguâ faſcinantium, qui ſi impenſius laudaverint pulchra quædam, illa omnia repente pereant. Itaque concludunt eſſe quoſdam homines, qui ſi oculo furibundo ac livido aliquid aſpiciant, illud lędant atque occidant: ſi verò benigno illud conſpexerint, nihil officiant. Et Plutarchus ex Philarco ſcribit, circa Pontum homines habitare, qui non tantùm pueris, ſed etiā viris pernicioſi ſint, tabeſcere enim & ægrotare, qui aſpectum eorum, & halitum ac ſermonem exciperent. Nec deſunt, qui & amicis, & familiaribus, & parentibus oculum faſcinantem eſſe exiſtiment, & faſcinari ſæpè ſolere homines à benevolis, & cariſſimis, uſque adeo, ut mulieres non oſtendant illis pueros, nec diutius ab hujuſmodi hominibus inſpectari ſinant. Neque mirandum ajunt, ſi qui ſunt, qui etiam cariſſimos, & quibus benè volunt, faſcinant, quia cum ſint naturâ invidi, non quod volunt, faciunt, ſed quod naturaliter ſolent. Ut enim optimè adnotavit Plutarchus, univerſæ animi affectiones, quib⁹ diu inſunt, in iis malos habitus generare conſuevêre, ac naturæ vim capere: atque ita invitos homines in jam proprias & conſuetas perturbationes deferre: ita timidi auxilia ipſa reformidant: iracundi in cariſſimos quoſque ſunt moroſi: amatores & intemperantes nec à ſanctiſſimis quidem corporibus, neque à valdè deformibus queunt abſtinere. Cùm igitur tam mira ſit conſuetudinis vis, nullà admiratione dignum, ſi qui invidendi & faſcinandi habitum ſibi induxerunt, etiam adverſus familiares ex morbi proprietate moventur, ac ubi moti fuerint, quod naturâ ſolent, efficiant, non quod volunt. Porro periculum hoc pueris dicunt maxime imminere, ac pulchrioribus fœminis. Tandem afferunt ſcripturæ loca, quibus id comprobare nituntur, ut illud Deuteronomii: *Vir tener habebit oculum nequam adverſus fratrem ſuum*: ubi quidam legunt, fratrem ſuum faſcinabit: & Sapientię quarto: *faſcinatio*

Amicos etiam faſcinare, & cur.

Plutarchi ſententia notabilis.

Pueri & fœminæ cur potiſſ. faſcinentur.

natio nugacitatis obſcurat bona: & in Eccleſiaſtico; *nequius oculo quid creatum eſt?* atque adeo homines Deum rogare ſolitos, ut nos liberet à malo oculo. Et idcirco ut hoc periculũ removeatur, quædam inventa remedia, nimirũ ſi bene precemur iis, quos cum laude & admiratione intuemur: aut ſi quid turpiculum pueri geſtent, in quod viſus faſcinantis intendatur, & vim ammittat: ita ſolent oſſicula quædã pueris appendi, & ex gagate manuum digitis duobus cum pollice ſic inſertis, ut exprimant illam figurã, quam Hiſpani vocant, *higa*, aut ex Iſatide, vel nilo tantillũ affricãt: aut ſi ſummo mane ſurgenti quis digitos prædicto modo intendat: Amuleti inſuper loco eſſe, ſi baccare frontẽ cingat, ut refert Poeta: *Amuleta contra faſcinum.*

———— Baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Aut ſi ter in ſinum deſpuas, unde illud Theocriti:

Vt non faſcines, ter in meum expue ſinum.

Deniq; ſi cum avidè lautum cibum aſſumas, intentiùs aſpicienti partem porrigas. Non inelegantia ſunt Hieronymi Vidæ carmina, quibus trucem faſcinatorem ita deſcribit, & faſcinationis ſpecies comprehendit: *Bomb, ſi, 2.*

Quandoquidem memini Tuſci alta in rupe Vuerbi
Ipſe ſenem vidiſſe ferum, cui dira vigebant
Ora, graveſq; oculi ſuffecti ſanguine circum,
Fronſq; obſcœna ſitu, hirtiq; in vertice cani.
Ille truci (ſcelus) obtutu genus omne necabat
Reptantum, tenues animas, parvaſq; volantes:
Quin etiam ſi quando hortos ingreſſus, ubi annus
Exuit expleto turpem novus orbe ſenectam,
Floribus & paſſim per agros incanuit arbor:
Ille hortis ſtragem dedit, arboribuſq; ruinam:
Spemq; anni agricolæ mœſti flevere caducam.
Nam quocunq; aciem horribilem intendiſſet: ibi omnes
Cernere erat ſubitò afflatos langueſcere flores.

Et ſuperiorum omnium affectuum rationes poſſe aſſignare contendunt. Ut enim (inquiunt) ſunt mulieres menſtruatæ, quibus tantum virus intra corpus gignitur, ut ſolo intuitu lethaliter inficiãt, ſterileſcant nimirum tactæ fruges, moriantur inſita, ſpeculorum fulgor aſpectu ipſo hebetetur, eboriſque nitor, ut tradit Plinius, & vulnera exacerbentur ac recrudeſcant, ut plerique chirurgi referunt: ita eſſe homines quibus *Rationes pro hac opinione.* 1. *A menſtruatis fœminis nocumenta.* *Lib. 7. c. 15.*

quibus naturaliter veneficum quidpiam inſit, quod per oculos dum recta intuentur, ſimul cum radiis viſoriis emittatur, quorum ſit periculoſiſſimus aſpectus. Ita naturæ in toto corpore, & in quorundam oculis quoque venena gignere placuiſſe, ne quid uſquam mali eſſet, quod in homine non eſſet: hosque eſſe ac dici faſcinatores, & quod tales ſint, referunt ad temperamenti proprietatem, aut ſubſtantiæ modum, aut putreſcentiam ſpirituum, aut denique ad natale aſtrum, & vim individualem cœleſtem: ſicuti è converſo quoſdam eſſe quorum oculi creduntur habere vim beneficam ad res inſpectas, vulgo (*Benzedeiros*). Quod vero pueri nitiduli potius quam grandiores, & elegantiores juvenculæ potius, quàm annoſæ & deformes, in hanc incidant paſſionem, & propterea his magis cavendum ſit, ſanguini leviori, uti dicunt, defæcatiorique aſcribunt, & molliuſculæ naturæ, ac teneriori corporis habitudini, quæ facilè in deterius vertitur. Quidam addunt læſionem illam illatam oculis, oculis etiam concipi, ubi is qui faſcinat, & qui faſcinatur, ſeſe mutuo intuentur attentè, unde illud Poetæ:

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,
Multaq; corporibus tranſitione nocent.

2. Ratio. Oſtendere inſuper conantur poſſibilitatem faſcinationis experimentis quorundam, quos referunt coactos fuiſſe ſecedere ab humana converſatione, ne faſcinarent proprios liberos. Addunt ex Galeno intra nos poſſe naſci venenum, quod magna ex parte mandatur ad extrema, tanquam ad ignobilia, ſic in pleriſque animalibus ſalubribus caput, caudam, ſpinam, dentes, quiddam deleterium obtinere. Et ipſe Galenus extremas utrinque partes viperarum, ceu multo veneno abundantes, abjicit: ſcorpius in cauda venenum habet: paſtinaca marina in radio: corvus marinus in cervice: muræna in dente: & morſus hominis lethalis interdum hominibus eſt: ut ſcribunt Avicenna, Razes, & Dioſcorides, ideo maſticati cibi interdicuntur infantibus maximè à jejunis nutricibus aut menſtruatis, capita columbarū reprobantur à Zoare: & capita piſcium à Tralliano. Similiter igitur in quorundam capitibus contineri poſſe deleterium humorem, cujus vapor inſigniter lædat, nam fixione oculi vehementer inprimitur vapor capiti rei viſæ, quia multus ſpiritus mandatur ad oculum, ſimul autem cum ſpiritu accedit vapor noxius. Quemadmodum ergo ab oculo ophthalmico tranſit vapor manifeſtè noxius, & in oculum conſpectum inducit ophthal-

3. Ratio. 3. De loc. c. 7. & 6. c. 5. Diverſæ partes corporis ubi animalia venenū habent. L. de ther. ad piſ. Maſticati cibi nocivi ſunt infantibus. C. de Epilepſia.

ophthalmiam: ita ab oculo faſcinantis exire vaporem occultè noxium, lædentem conſpectum, maxime ſi conſpectus fuerit valetudinarius ac tenellus, ut pueri, fœminæ.

Variis occurritur objectionibus.

Si quæras, cur plures faſcinantes fœminæ ſint? reſpondent, quia menſes facilè tranſeunt in deleteriam qualitatem: Si, cur inter fœminas maximè vetulæ faſcinant? quia menſes in illis per ætatem & abſentiam caloris promptius vertuntur in venenum, & menſtrua purgatio ſuppreſſa & venenata reddita, in corpus omne redundat, & ſpiritus inficit, eos potiſſimum, qui ab oculis foras exiliunt, hos aerem contaminare, pueros ac tenellos faſcino lædere. Sed cur faſcinator jejunus, & in æſtate, aut ubi præceſſit affectio animi valida, vel motus humorum impetuoſus, magis faſcinat, in contrariis ſtatibus minus? quia pravi humores agitati plus veneni communicant oculis. Cadavera vero & qui venenum ſumpſerunt, non faſcinare, nec putridè febrientes, quia non adeſt intentus aſpectus cum malignitate & invidia: oculos vero faſcinantis propter aſſuefactionem non lædi ab innato veneno. Sed cur noxius magis ſit intuitus invidorum, quam aliorum? quia affectâ animâ corpus afficitur, nam & cogitatio de rebus venereis genitalia excitat: & canibus in certamine præ ferociâ ſæpè viſus extinguitur; mœrores, & avaritia, & zelotypia colores mutant, quibus affectibus non minus invidentia penetrare ſolita corpus malitiâ implet.

Secunda opinio.

Hęc tamen pleriq; alii non recipiunt, immo commentitia eſſe dicunt, & ab anicularum deducta figmentis. Quorum ſententia ut clarius innoteſcat, præmittendum, faſcinationem tùm dici, cùm quiſpiam alium videns abſque ipſius contactu quippiam agens eum lædit. Vel, ut apertius ac luculentius dicam, faſcinationem eſſe paſſionem oculis illatam, & conceptam ex quadam affectione animi malignâ ejus, qui intuetur.

Faſcinatio quid.

Dicitur autem faſcinatio à fando, quod incantationibus inducatur, vel, paucis mutatis literis à verbo græco βασκάνω, quod *invideo* ſignificat. His adjungendum, viſionem non fieri per radiorum emiſſionem, ut Platonici cenſent, ſed potius per intromiſſionem.

Viſio quomodo fiat.

Præſupponendum inſuper, ſpeciei viſibili nullam ineſſe qualitatem activam vel paſſivam, ad modum quatuor qualitatum naturalium, quia ſpecies viſibiles, nec calidæ ſunt, nec frigidæ, nec ſiccæ, nec humidæ, & tantum efficere poſſunt, ut res, cujus ſpecies ſunt, videantur, nullum verò nocumentum per ſe inferre.

Species viſibilis qualis.

Prima ratio pro hac op.

Atque adeo cum viſio ſit actio immanens, &

 ſiat

fiat per introſuſceptionem ſive per paſſionem, non poſſe idoneam hujus faſcinationis cauſam aſſignari, unde dici ſolet: homines per viſum pati ac vexari, non autem agere & nocere. Præterea vanum eſſe exiſtimare, vim animi unius in corpus alterius aliquid efficere, ac talem vim naturalem maleficam in corpore præexiſtere: neque verò aſtro id poſſe attribui, ſic enim omnes illâ horâ nati faſcinatores eſſent. Nec ſatisfacere, qui ad temperiei & ſubſtantiæ diſſimilitudinem confugiunt, quia in res ejuſdem ſpeciei non poteſt eſſe tanta ſubſtantiæ pugna, non enim baſiliſcus baſiliſco, non vipera viperæ, ſed homini & aliis animalibus nocent, & ut unum animal alteri tam ſit noxium, id ex vehementi naturæ antipathia & diſſimilitudine naſci, nec uni ſemini ſecundum naturam vim eſſe alteri venenoſam. Vanum igitur eſſe & plane ſuperſtitioſum faſcinationis vocabulum, idque inde colligi, quod mulieribus magis quam viris: & indoctis magis quam doctis ea opinio ſit perſuaſa: & neq; Hippocrates, neq; Galenus, neq; veterum medicorum quiſpiam faſcinationis mentionem fecerint, cum tamen fuſiſſime de cunctis morborũ generibus & cauſis egerint. Quod ſi quidam alii probati aliarum profeſſionum auctores de ea ſcripsére, factum id ambitione quadam, quâ omnia, quæ vulgus miratur, tueri nituntur, ſubtilitatis magis quam veritatis amatores, quâ eâdem ſuperſtitione remedia ſunt inventa, inter quos Plinium & Plutarchum numerant, Virgilium vero non ita loquentem induxiſſe Socratem aut Ariſtotelem, ſed opilionem quendam, ut inſinuaret, non ex propria mente id dictũ, ſed ex vulgi opinione, qua nihil eſt incertius. A loco Deuteronomii nullum omnino accipi ſubſidiũ, quia ibi per oculum malum nõ faſcinatio, ſed tenacitas intelligitur, ac ſi diceret, etiamſi videat vir fratrem, uxorem, & filios fame interire, illis nõ diſtribuet nutrimentũ, prę nimia tenacitate: multo minus ex loco Sapientiæ, ubi aliter legitur: *faſcinum vile, nugax & nihil*: quaſi diceret, à nugatoria & adulatoria laudatione ita nos ludificari, ut ad vera prorſus cœcutiamus, ut mala pro bonis, & bona pro malis habeamus: & quod Eccleſiaſticus inquit: *nequius oculo quid creatum*? perinde eſſe, ac ſi diceret invidentius eo, quod nimium videt, quoniam qui invident alicui, ab invidioſi felicitate nequeunt oculos avertere, ideo vocantur vicini mali: adhæc quia oculus peccati & concupiſcentiæ feneſtra eſſe ſolet, ac malorum animi affectuum index, ſeu leno illecebroſiſſimus: Aut ſaltem

Hip. & Gal. faſcin non faciunt mentionem.

Ad loca ſacra ſcriptura reſponſio

Digitized by Google

tem allegoricam eſſe locutionem quæ ex vulgari & falſa de faſcinatione opinione nata fuerit, quia, per oculos valde læduntur homines & in peccata conjiciuntur, quæ locutio metaphorica vera eſt, verus tamen ſit ſermo ille vulgi, unde nata fuit, annon, nihil refert, veluti ſi adulatores Syrenes dixeris, tametſi Syrenes revera nullibi ſint. Quæ de menſtruatis affert Plinius, falſa eſſe ac fabuloſa, ſiquidem quotidie cum illis citra noxam verſamur, quia menſtruus ſanguis vitioſus plerumque ſit, non tamen venenoſus. Adde quod non oculis modò, verum etiam halitui & expirationi efficacior vis eſſet: Tum deinde menſtruam purgationem, cum anubus ex ætate & naturæ præſcripto deficiat, nec ipſis nec aliis eſſe incommodaturam, immo prægnantes & quibus ex morbo ſuppreſſi ſunt menſes, vehementius faſcinarent. Pueros vero & elegantiores juvenculas propterea faſcinari creditum, quia nitidiores, obœſiores, pulchrioresque cum ſint, ſolent plerumque laudari, in admirationem pervenire, attente inſpici, & ulnis geſtari; quæ verò opima ſunt corpora atque pulchra, ſi ad ſummum bonitatis proceſſerint, quia ſtare non poſſunt, neceſſe eſt, ut decidant & in contrarium vergant, ſi Hippocrati credimus: unde, ex ſententia Celſi, cum plenior quis & rubicundior ſe ipſo factus ſit, ſuſpecta habere bona ſua debet. Cum igitur corpora hæc ob prædictas cauſas in magna pericula repente incidere ſæpe ſoleāt, ſuſpicioſum vulgus cauſam non intelligens tam repentinæ mutationis, in verba & aſpicientium oculos rejicit effectum, tribuens non cauſæ, & quia ea quæ diximus corpora plurimos habent quotidie laudatores, facile anus aliqua rugoſa & odioſa in hoc numero reperitur, cui noxa potius tribuitur quam aliis. Vel etiam quia trux aſpectus vetularum deformi ſuo ſquallore potuit infantulos perterrefacere, timor concitare humores, ut citiùs morbus erumpat, ad quem tenellum corpuſculum jam erat diſpoſitum.

Ad reliqua argumenta.

Hip. 1. aph 2
C. libr. 2. c. 2.

Alii ut totam hanc difficultatem abſolvant, tres conſtituunt faſcinationis ſpecies: vulgarem unam, ſed propriè dictam, quippe cui faſcinationis allata deſcriptio proprie conveniat, qua ipſa viſione ſeu aſpectu activo faſcinantis, vel etiam invido aliquo laudante, eo ſolo quod malignè & malitioſè aſpicit vel laudat alium, à quo eſt averſo animo, læſio fit, ut ſi ex invidia affecti oculos infigunt, & quaſi veneno tincto telo homines impetunt. Et hanc omnino dari negant

Opinio tertia.
Faſcinationis ſpecies tres.
Prima vulgaris.

ducti iisdem argumentis, quæ pro ſecunda opinione paulo ſuperius recitavimus. *Alteram* phyſicam faſcinationem appellant, cui tamen improprie conveniat faſcinationis vocabulum: quia propriè loquendo contagio eſt, ſive infectio: hanc viſione ſæpe fieri concedunt, ac tum potiſſimum, quando mutuus eſt intuitus interim, dum lædens aſpicit lædendum: ideo quidam in ratione hujus faſcinationis non ſolum oculis eſſe illatam conſtituunt, verum etiam oculis concipi, ubi is qui faſcinatur, & qui faſcinat, ſeſe mutuò intuentur. Hac ratione, qui ophthalmia laborat, obvium quempiam inficere, peſtem, tabem & elephantiaſin propagari, nec cum iis laborantibus, aut menſam, aut lectum communem habere tutum eſſe. Et pueros potiſſimum affici hoc pacto ac faſcinari, quia humidiores ex ſe ipſis ſpiritus quosdam effundunt, qui aere corrupto in eos redeant, undè exivêre: idque minus accidere iis, qui induruerunt, & jam compacti ſunt, & non ſolum viſu, verum etiam odore & voce reſpirationis contingere effluxionem, per quam evaporationes fiunt animantium: facere inſuper plurimum ad hanc infectionem imaginationem ejus qui læditur, ideo facilimè eos corripi, qui timent, vel correptos ſe putant. Non itaque ab oculis ſuffuſionem, ungulam, aut leucoma, in quibus vaporatio non adeſt, ſed lippitudinem duntaxat in alios mitti: peſtilitatem vero non tàm aſpectu, quàm halitu maligno propagari, ſcabié non oculis ſed manibus affricari, & membrorum contactu ſimul cum putrida evaporatione, nam & tactus & affrictio manifeſtum quoddam habent patiendi principium: quod tamen aliarum avium pennæ aquilinis conjunctæ decreſcant ac pereant, ab occultâ quadam vi fieri, plumarum caulibus putreſcentibus. Cæterum in lippitudinibus ſpiritum virulentum non tam per oculorum globos, quàm per ipſas cavitates & cantos ſeu hircos emitti: denique hanc noxam quam ex vitiato humore ſpiritus conciliant, metaphoricè nō propriè faſcinationem dici. *Tertiam* eſſe eamque frequentiorem, quæ pendeat à dæmonis maleficio, qui ex pacto homini nocere volenti cooperatur, & tunc definiri faſcinum, eſſe qualitatem dæmonum arte illatam, ob tacitum vel expreſſum hominis cum dæmone pactum. Ad hanc referenda plurima dicunt, quæ varii ſcriptores ad alias ſpecies referunt: hanc probari experientia quotidiana & confeſſionibus ſortiariorum, qualis ille procul dubio fuit, quem ex Vida ſuperius deſcripſimus. Faſcinatorum hujusmodi notas eſſe Plinius ſcribit, ſi in oculis ambobus

Secunda faſcinationis ſpecies phyſica.

Contagionis modi.

Lippitudo ut fiat.

Tertia ſpecies magica & dæmoniaca.

Faſcinatorum notæ.

vel

vel eorum altero binæ ſint pupillæ, aut in altero effigies equi aut canis quaſi mancipio inuſta ſtigmata ab eo, cui ſe devoverunt, idque affert ex auctoritate Ciceronis: eosdem præterea nõ poſſe mergi, ne veſte quidem degravatos. Afferunt & aliam hujus placiti rationem, quod ab uno humore naturaliter tam diverſæ ſpeciei res non videntur poſſe interire. Atque hæ ſunt præcipuæ opiniones in hac obſcura admodum, & à ſenſibus noſtris plane remota difficultate, in qua quid potiſſimum ſentiendum ſit, Deus ipſe novit.

Sane quod quidam in confirmationem prioris ſententiæ afferunt, imaginationem, quæ plurima poteſt, ut quod horreamus cùm terribilia videmus aut audimus: & qui alios mingentes aut oſcitantes vident, ſæpe etiam aut mingant aut oſcitent, ob animi attentionem ad memoriam reducentes eas operationes, quarum eramus obliti, quia cauſa non incitabat: & cum conſpicimus eos qui acida aut acerba comedunt, dentium ſtupore afficiamur, quem vocat Galenus emodiam: non probant imaginationem humanam extra corpus imaginantis quicquam facere; ſed id tantum ſuadent, poſſe corpus imaginantis movere non tamen alienum: Sunt enim illi omnes interni affectus ſicuti ſeminis ad vaſa ſeminaria motus, nec aliter ceraſi imaginatio rubrum colorem intra fœminæ corpus proli inducere poteſt, interim dum in utero continetur, delato humore ad locum conceptus.

Firmius tamen ejusdem ſententiæ aſſertores inſiſtere videntur Avicennæ placito: is enim, *ſexto Naturalium*, animam ea vi pollere arbitratur, ut poſſit imaginatione ſola permovere corpus longè diſſitum: exiſtimatq; animam humanam, ob magnum cum ſupremis intelligentiis commercium, tantum poſſe, ut aliena corpora immutare valeat, & mira efficere, utpote: ut fœmina ſine mare concipiat, & homines à mortuis reſurgant, ac cæci à nativitate videant. Neq; vero omnes aut ſapientes aut virtutibus conſpicuos viros ea præſtare poſſe, ſed perfectiſſimos & qui ad exactam cum mentibus ſuperioribus communicationem devenerint, quorum numerus in hac vita perexiguus aut nullus eſt. *Cum* inquit, *anima humana fuerit conſtans nobilis & fortiſſima, & non immerſa in affectibus corporis, nil mirum ſi tranſcendat operationem ſuam in corpore proprio (hoc eſt operetur in corpore alieno, ſicuti in proprio) atq; ita cum ſit ſpiritualis & conſtans in habitu ſuo ſanet infirmos, ac debilitet pravos, & contingat permutare elementa, ita ut quod non eſt ignis fiat ignis, & quod non eſt terra*

Avicennæ ſententia notatu digna. Part. 4. c. 4

Ee 3 *fiat*

fiat terra, ac pro ipſius voluntate contingant pluviæ, ac fertilitas, ſicut contingit abſorbitio à terra & mortalitas, quæ omnia proveniant ſecundum virtutem intelligibilem, cuius voluntas permutare valeat, id quod pendet ex permutatione materiæ: Et hanc eſſe unam ex proprietatibus prophetiæ. Hujus placiti ratio eſſe videtur, quia anima humana nobis forinſecus influit, & eſt naturæ intelligentiarum cœleſtium, quare ut illæ intelligendo (ſic enim omnes ſentiunt) movent orbes & multiplices vires infundunt in elementa: ita noſtram animam cum vehementius rapitur imaginatione quapiam forti extra materiam, non eſſe impoſſibile, ut illas, operari in externam materiam. Hinc fieri dicunt inſomnia, quæ divina appellantur, animâ ipſâ inter dormiendum operante, depoſitâ rerum humanarum cura, intelligenteque ac prævidente, quæ ex ſenſibus non accepit, ut ſupernæ illæ intelligentiæ: quæ tamen non omnibus æqualiter contingant, ſed iis, qui fortius imaginantur, quia anima minus materia eſt obruta: atque hinc nonnullos fieri divinatores, alios ſalutiferos, & alia quæ vulgò circumferuntur ignoratâ cauſâ: quæ tamen, etſi à pleriſque reiiciuntur, non ſunt cuncta omnino improbabilia: ac deducta videntur ex Cabaliſtarum dogmate, quod ita habet: Cum anima comprehenderit, quidquid poterit comprehendere, & conjungetur animæ ſuperiori; exſpoliabit indumentum terrenum à ſe, & exſtirpabitur de loco ſuo, & conjungetur cum divinitate. Quemadmodum enim granum frumenti in terram jactum non quieſcit, donec glebæ viſcera frangat, & cœleſti aura fruatur: & altiſſimi montes ex imis vallibus exurgunt: & in metallis quod generoſius eſt, in altiores ſpiritus ſublimatur: ita nil mirum, ſi homo quem præſtantioribus donis Deus ornavit, ad ſumma tendat. Vocatur vero hæc actio ab ipſis Cabalæis *Deificatio*: ad illam verò, quam per decem acquirimus numerationes, quas *ſephirot* vocant, quibus rerum apprehenſio fit, aptitudinem ſive potentiam non implantaſſet homini Deus, niſi captus ille divinitatis eſſet poſſibilis, & conſequenter illæ operationes, quæ divinitatem ipſam conſequuntur. Hanc eandem ſententiam tenet Leo ille nobiliſſimus Philoſophus *in tertio Dialogo de amore*, affirmans, poſſe nos acerrimè contemplantes adeo mentem extollere, ut ipſa ſecum vitæ nexum abducat, & corporis mole depreſſâ, ac in ſervitutem quaſi redactâ, adeo ſe exoneret ac liberet, ut deſideratum cogitatumque objectum ſingulari quodam affectu complexa, corpus exanime prorſus deſerat:

Prophetiæ proprietas. *Inſomnia divina.* *Cabaliſtarum ſententia.* *Deificatio.*

deſerat: atque hoc ſuaviſſimo mortis genere ſanctiſſimos viros & patriarchas ſupremum diem obiiſſe, divinitatem exoſculantes, ecſtaſi ſive contemplatione divina in ſublime correptos.

DE PHILTRIS.

CAPVT II.

Porro philtrum faſcinationis etiam ſpecies quædam eſſe videtur, ideo de ipſo quoque tractatio hîc annectenda fuit ſiquidem utriusque ratio non abſimilis, incerta nimirum, atque dubia, vulgò tamen receptiſſima. Dicitur autem philtrum à verbo Græco φιλεῖν, quod *amare* ſignificat, Hiſpanicè *bechizos*, Germanice einliebdranck. Et eſt pharmacum, vel magica aut ludicra quædam actio, certis ceremoniis, carminibus aut verbis concepta vel adminiſtrata, quibus amantes amatæ, vel è contra, amorem conciliari ſibi perſuadent, & in eo maxime laborant. *Philtrum quid.*

Eſt igitur inveſtigatione dignum, poſſintne ejuſmodi philtra amorem concitare, & voluntatem ad particularem aliquem amandum cogere. Quod quidem quibusdam rationibus comprobari poſſe videtur. *Prima*, quia ut voluntas ligatur in odium alicujus (quod nos alibi diſſeruimus) ita etiam poſſe videtur in amorem impelli: nec deſunt qui exiſtimant, poſſe etiam ligari fures, ne in aliquo loco furari poſſint: & mercatores, ne in deſignato emporio negotiari queant, & exercitus, ne limites tranſgrediatur: ligari inſuper naves, ne ulla vi ventorum, panſis etiam velis, portum ingredi valeant: & molendina, ne ulla vi aut impetu volvi queant: & canes, ne latrent: atque aves & feras à venatoribus ligari, ne volare aut fugere poſſint; & ſanguis ne fluat. *Secundo* quia multa ſunt pharmaca, quæ vim habent naturalem turbandi humores, irritandi ſemen, & concalefaciendi univerſum corpus, quorum fere catalogum in noſtro *de univerſa medicina mulierum* libro recenſuimus. *Tertio*, quia legitur apud Oſeam prophetam, eſſe ſpiritus quoſdam incentores libidinum atque luxuriæ, dum inquit: *Spiritus fornicationis decepit eos & fornicati ſunt Deo ſuo.* Quod autem hoc proveniat à maleficio, Nahum exprimit dicens: *Propter multitudinem fornicationum*

Pars affirmativa. *Prima ratio* *Ligari poſſe varia cenſent quidã.* *Ratio ſecunda.* *lib.3.c. de ſterilitate vir.* *Ratio tertia* *Oſeas 4.* *Nah. c.3.*

tionum meretricis ſpecioſæ & gratæ & habentis maleficia: & in libro Baruch mentio fit maleficii amatorii ſub his verbis: *mulieres circumdatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa olivarum, cum autem aliqua ex ipſis attracta à tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quod digna non ſit habita ſicut ipſa, neq; funis ejus diſruptus.*

Pars negativa. *Prima ratio.* Ex altera tamen parte ſunt, qui conſtantiſſime defendunt, philtra non poſſe animum hominis commovere, ut certum hominem amet, quia voluntas propter arbitrii humani libertatem nullis herbis aut magicis artibus cogi poſſit: objecta enim eſſe, quæ movent ſenſus, ſenſus intellectum, is appetitum inprimis venereum, ſi ætas & cætera reſpondeant. *Ratio ſecunda.* *Secundo*, quia ſi philtris induceretur amor, ſæpius nunquam viſa nec cognita impenſius amare cogeremur, neq; aſpectu rei amatæ opus eſſet, quod tamen experientia conſtat, ideoq; mutuas effigies ad conciliandum amorem utrinq; viros principes mittere ſolitos, quia *ignoti nulla cupido*, objecta enim ſenſuum, quæ appetentiam excitant, ſingularia ſunt. *Ratio tertia* *Tertio*, quia ſi in certam perſonam philtra agunt, cur non in hoſtem, ita ut hoſtium animos in amorem noſtri inducere poſſimus? Et quidnam efficacius eſſet ad pacem inter diſſidentes principes conciliandam? quod concordiæ vinculum tutius ac firmius? *Ratio 4.* *Poſtremo*, quia nullum exemplum in ſacris libris, vel ullis aliis probatis auctoribus extet, quo doceatur, verum & conſtantem amorem inter conjuges vel alios amantes philtris conciliatum fuiſſe.

Philtrorum materia varia interna Ut nos ab hac difficultate explicemus, ſciendum primò, plurima philtra nobis veteres commemoraſſe, menſtruum nimirum muliebre, ſperma viri, cerebrum felis, vel pulli aſinini, uterus hyænæ, virga lupi, remora, oſſa rubetæ, ſcinci, & potiſſimum hippomanes, quod triplex eſt, *Hippomanes triplex.* *unum* plantula quædam Arcadiæ, quæ vulgo filix eſſe exiſtimatur: *alterum* ſpuma genita in equæ ignuine, de quo Propertius:

Virus cupida ſtillat ab inguine equa
Hippomanes.

Ariſt. lib. 6. de hiſt. an. cap. 18. Pli. 8. c. 12. Col. lib. 6. *Tertium* pellicula, quæ avellitur à fronte pulli equini recens editi, cujus odore equos in furorem redigi creditur, de quibus Ariſtoteles, Plinius, Columella & alii ſcripſerunt. Sunt autem hæc omnia periculoſiſſima ac pernicioſa, unde rectè Ovidius cecinit:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.

His

Lucretii poetæ mors. Luculli. Caligulæ.

His Euſebius refert Lucretium Poetam dementatum, deindè etiam interemptum: atque idipſum Lucullo accidiſſe in eius vita Plutarchus ſcribit: idemque fuit Caligulæ interitus, cui Ceſonia Hippomanes potandum porrexit, ut narrant Joſephus & Suetonius, de quo Juvenalis:

——— *Vt avunculus ille Neronis*
Cui totam tremuli frontem Ceſonia pulli
Infudit.

Friderici.

Leges de philtris.

Philtra dicta noxia ſunt.

Simile.

Philtra extrinſecus exhibita.

Idem refert Cuſpinianus de Friderico Duce Bavariæ electo Romanorum Rege, exemplaque plurima paſſim in Hiſtoriis leguntur. Quare cum tam noxia ſint philtra, meritò Athenienſes Temniam ſagam morte mulctarunt, & immeritò Areopagitæ alteri ignoverunt, mortuo eo, qui acceperat: prudentiſſimeque jura civilia in eos, qui talia philtra ſeu pocula amatoria exhibuerunt, pœnas conſtituunt capitales: fugiendaque ſemper ſunt, etiamſi non in malum ſed bonum finem exhiberentur, utpote ad conciliandum mutuum inter conjuges amorem (quod tamen, ut poſtea apparebit, ea arte fieri nequit) quia ſemper ut minimum reddunt eum, qui accepit, attonitum, debilem & mentis emotæ, ut piſcibus accidit, qui non retibus & hamo, ſed medicamentis capiuntur. Referuntur inſuper alia maleficia amatoria, quæ extra corpus adhibentur, per mixturas compoſitas ex herbis, foliis, radicibus, metallis, reptilibus, plumis, membriſve avium, piſcium, vel animalium. Ad quæ maxime expetunt malefici capillos, vel unguium præſegmina; vel faſciam ſive partem veſtimenti, quod ſolitum ſit tangere corpus maleficiandi, aut epiſtolam, vel quid aliud de illius domo, quibus adhibent certas ligaturas, & involuta conſuunt tunicæ vel chlamydi maleficiandi, vel abſcondunt ſub lecto, aut inter plumas & culcitram, ſuper quam dormit, aut ſub limine oſtii, vel alterius loci, ſuper quem fœmina aut vir maleficiandus tranſiturus ſit.

Philtra per imagines.

Tertium maleficii amatorii genus fit per imagines quaſdam ex terrâ vel cerâ, gemmis, aut aliâ quavis mixturâ confectas, quas baptizāt, adjiciendo quædam verba turpia, quibus etiam quandoque aperiunt pectora, & ipſorum corda ingenti calore ignita reddunt: aut tamdiu detinent, quoad liqueſiant, exiſtimantes, eodem modo cor hominis maleficiandi aduri atque emolliri & obœdiens reddi ad votum amantis: vel etiam limo eorum, quos pervertere nituntur, effigies exprimūt, cujus maleficii Virg. meminit in pharmaceutria dicēs:

tionum meretricis ſpecioſæ & gratæ & habentis maleficia: & in libro Baruch mentio fit maleficii amatorii ſub his verbis: *mulieres circumdatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa olivarum, cum autem aliqua ex ipſis attracta à tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quod digna non ſit habita ſicut ipſa, neq; funis ejus diſruptus.*

Pars negativa. *Prima ratio.* Ex altera tamen parte ſunt, qui conſtantiſſime defendunt, philtra non poſſe animum hominis commovere, ut certum hominem amet, quia voluntas propter arbitrii humani libertatem nullis herbis aut magicis artibus cogi poſſit: objecta enim eſſe, quæ movent ſenſus, ſenſus intellectum, is appetitum inprimis venereum, ſi ætas & cætera reſpondeant. *Ratio ſecunda.* *Secundo*, quia ſi philtris induceretur amor, ſæpius nunquam viſa nec cognita impenſius amare cogeremur, neq; aſpectu rei amatæ opus eſſet, quod tamen experientia conſtat, ideoq; mutuas effigies ad conciliandum amorem utrinq; viros principes mittere ſolitos, quia *ignoti nulla cupido*, objecta enim ſenſuum, quæ appetentiam excitant, ſingularia ſunt. *Ratio tertia.* *Tertio*, quia ſi in certam perſonam philtra agunt, cur non in hoſtem, ita ut hoſtium animos in amorem noſtri inducere poſſimus? Et quidnam efficacius eſſet ad pacem inter diſſidentes principes conciliandam? quod concordiæ vinculum tutius ac firmius? *Ratio 4.* *Poſtremo*, quia nullum exemplum in ſacris libris, vel ullis aliis probatis auctoribus extet, quo doceatur, verum & conſtantem amorem inter conjuges vel alios amantes philtris conciliatum fuiſſe.

Philtrorum materia varia interna. Ut nos ab hac difficultate explicemus, ſciendum primò, plurima philtra nobis veteres commemoraſſe, menſtruum nimirum muliebre, ſperma viri, cerebrum felis, vel pulli aſinini, uterus hyænæ, virga lupi, remora, oſſa rubetæ, ſcinci, & potiſſimum hippomanes, quod triplex eſt, *Hippomanes triplex.* *unum* plantula quædam Arcadiæ, quæ vulgo filix eſſe exiſtimatur: *alterum* ſpuma genita in equæ inguine, de quo Propertius:

Virus cupida ſtillat ab inguine equa
Hippomanes.

Ariſt. lib. 6. de hiſt. an. cap. 18. Pli. 8. c. 42. Col. lib. 6. *Tertium* pellicula, quæ avellitur à fronte pulli equini recens editi, cujus odore equos in furorem redigi creditur, de quibus Ariſtoteles, Plinius, Columella & alii ſcripſerunt. Sunt autem hæc omnia periculoſiſſima ac perniciosa, unde rectè Ovidius cecinit:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimq́; furoris habent.

His

His Euſebius refert Lucretium Poetam dementatum, deindè etiam interemptum: atque idipſum Lucullo accidiſſe in eius vita Plutarchus ſcribit: idemque fuit Caligulæ interitus, cui Ceſonia Hippomanes potandum porrexit, ut narrant Joſephus & Suetonius, de quo Juvenalis: *Lucretii poeta mors. Luculli. Caligulæ.*

——— Vt avunculus ille Neronis
Cui totam tremuli frontem Ceſonia pulli
Infudit.

Idem refert Cuſpinianus de Friderico Duce Bavariæ electo Romanorum Rege, exemplaque plurima paſſim in Hiſtoriis leguntur. *Friderici.* Quare cum tam noxia ſint philtra, meritò Athenienſes Temniam ſagam morte mulctarunt, & immerito Areopagitæ alteri ignoverunt, mortuo eo, qui acceperat: prudentiſſimeque jura civilia in eos, qui talia philtra ſeu pocula amatoria exhibuerunt, pœnas conſtituunt capitales: *Leges de philtris.* fugiendaque ſemper ſunt, etiamſi non in malum ſed bonum finem exhiberentur, utpote ad conciliandum mutuum inter conjuges amorem (quod tamen, ut poſtea apparebit, ea arte fieri nequit) quia ſemper ut minimum reddunt eum, qui accepit, attonitum, debilem & mentis emotæ, ut piſcibus accidit, qui non retibus & hamo, ſed medicamentis capiuntur. *Philtra dicta noxia ſunt. Simile.* Referuntur inſuper alia maleficia amatoria, quæ extra corpus adhibentur, per mixturas compoſitas ex herbis, foliis, radicibus, metallis, reptilibus, plumis, membriſve avium, piſcium, vel animalium. *Philtra extrinſecus exhibita.* Ad quæ maxime expetunt malefici capillos, vel unguium præſegmina; vel faſciam ſive partem veſtimenti, quod ſolitum ſit tangere corpus maleficiandi, aut epiſtolam, vel quid aliud de illius domo, quibus adhibent certas ligaturas, & involuta conſuunt tunicæ vel chlamydi maleficiandi, vel abſcondunt ſub lecto, aut inter plumas & culcitram, ſuper quam dormit, aut ſub limine oſtii, vel alterius loci, ſuper quem fœmina aut vir maleficiandus tranſiturus ſit. *Tertium* maleficii amatorii genus fit per imagines quaſdam ex terrâ vel cerâ, gemmis, aut aliâ quavis mixturâ confectas, quas bapiizãt, adjiciendo quædam verba turpia, quibus etiam quandoque aperiunt pectora, & ipſorum corda ingenti calore ignita reddunt: aut tamdiu detinent, quoad liquefiant, exiſtimantes, eodem modo cor hominis maleficiandi aduri atque emolliri & obœdiens reddi ad votum amantis: vel etiam limo eorum, quos pervertere nituntur, effigies exprimũt, cujus maleficii Virg. meminit in pharmaceutria dicẽs: *Philtra per imagines.*

Limus ut hic dureſcit, & hac ut cera liqueſcit
Uno eodemq; igni, ſic noſtro Daphnis amore.

Utuntur etiam pergameno virgineâ ex cute pueri recens nati vel abortivi, inſcriptâ characteribus & verbis magicis, cujus magnam eſſe efficientiam blaterant. Utebantur inſuper olim carminibus, funibus & ligaminibus, unde illud Poetæ:

Per carmina.

Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes,
Quas velit: Aſt aliis diras immittere curas.

Syriacarũ mulierum perverſus mos.

Huc pertinet illud, quod Herodotus refert, fuiſſe morem Syriacarum mulierum ad delubra Veneris, ut juxta legem ſemel in vita ad ipſius templum deſidentes, cum externis viris conſuetudinem haberent, nec prius domum regrederentur, quam hoſpitum aliquis cum eâdem à fano ſeorſim abductâ rem haberet: nec cuipiam permittebatur, hoſpitem repudiare, quicunque is eſſet, qui eam prius abduceret. Ab hac igitur Babylonis conſuetudine Jeremias populum Dei dehortatur, & ab adolitione olivarum, quam magicis nugis addictæ Babylonicæ fœminæ, ne diu illic excubare cogerentur, pro philtro utebantur: maximè quæ nec divitiis, nec formâ, nec genere commendabantur; & cum illa oſſa urerentur, precabantur, ut ſic hoſpites eorum amore torrerentur: Ut hinc obiter intelligas Scripturæ locum ſuperius allatum.

Amor quid

Sciendum præterea amorem eſſe deſiderium pulchri; illum verò, de quo agimus, eſſe affectum vehementiſſimum, & pene indomitum, viſu vel notitia rei amatæ per ſenſus excitatum, quo amantis voluntas libero mentis judicio impellitur, ut illud objectum proſequatur, ex quo plus commodi & voluptatis ſperat. Eſt autem affectus hic ſpei affinis, ſed vehementior: hujus vero vehementiæ ac ferociæ cauſa eſt, quod plures animæ facultates in hunc affectum conſpirent, vimque ſuam cogant ac uniant, ut vegetativa, ſenſitiva, appetitiva, quæ rationalem animam oppugnant, partium principum cordis nimirum, epatis, ac generationis organis, ita ut homines cum ratione inſanire videantur, idcirco ejus vim & atrocitatem admirati Philoſophi amorem non ſolum ratione verum etiam oculis privatum pinxerunt. Hic oculatiſſimus cum ſit, nihil interdum omnino videt, & cum debilis, omnia ſuperat. Ideo Poeta dixit: *Omnia vincit amor*, & cum parentum erga liberos, & brutorum in ſo-

Feroris amoris cauſa

Laſcivi amoris qualitates.

Amor cur oculis privatus pingatur.

in ſobolem affectus ardentiſſimi ſint, eos tamen effrenis amor ſuperat: nam animi turpitudine conglutinatus amor homines adigit ad majorem inſaniam, atque errorem, quod Virgilius in pharmaceutria ſic notavit:

Sævus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus.

Medea filios diſcerpſit impatientia amoris: Dido ſibi manus conſcivit: fortiſſimus Hercules effœminatus ſervivit Omphalæ: Samſon arcana revelavit mulierculæ: nec non aliquando ſanctorum animos vincit ac domat, & Spiritum Sanctum expellit. Hinc inceſti concubitus, raptus, adulteria, ac reliqua ſcelera, quæ amoris comitantur vehementiam, ita ut nec fama, nec virtus, nec pudor furori obſtent. Hujus autem amoris prima linea & cauſa motiva viſus eſt: objectum pulchrum externum. Uxor Potipharis Joſephi pulcherrimi juvenis quotidiano conſpectu in ejus amorem concitatur. Iſtius ſenſus vim agnoſcens Virgilius inquit:

Amoris cauſa viſus. Amoris objectum pulchrum.

Vt vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error
Et alibi: *Intrat amor mentes viſu, dediſcitur uſu.*

Et Plato *in Sympoſio* amoris furorem faſcinatorium eſſe docuit, quia mutuo aſpectu & intentione oculorum amor hauriatur augeaturque. Hinc, ut Plutarchus ſcribit, diffluit ac colliqueſcit amator, ubi pulchra intuetur, pulchrum enim ex adverſo conſpectu, quod ex ipſorum oculis exit (ſive id lumen ſit, ſive influxus) amantes liquefacit & conſumit cum voluptate dolori conjuncta. Tantam hanc viſus excellentiam Philoſophi ſummis encomiis extulerunt. Ariſtoteles dicit, eum eſſe nobiliſſimam animæ ancillam, & fidiſſimam ſcientiarum amicam. Plato ſpeculum intellectus: Seneca bonorum omnium infundibulum, addere debuiſſet & malorum: Cicero mineram theſaurorum vocat: Euripides oculos eſſe ſcribit animæ aulicos: Theſeus anteambulones voluntatis: Menander ſpecula memoriæ: Poetæ eos eſſe dicunt ſtellas corporis. Itaque viſus amoris initii & incrementi occaſio prima eſt: nam primo viſæ formæ ſimulacrum viſus offert imaginationi, quod phantaſia volvit ac revolvit, tunc homo iſtud objectum dignius judicat, quod ametur, cæteris rebus, mox amor præſentia rei amatæ fovetur ac gliſcit, non quod ſemper objectum externis oculis videat (nam & abſentes plus amore cruciantur) ſed quod aſſi-

Amantes cur dicantur colliqueſcere.

Viſus encomia.

Amor ut generetur & foveatur.

duè de illo cogitet, quod antea vidit, illudque plus, quàm par eſt, æſtimet, & imaginando fomenta & faces præbeat ardori: ſi enim ab externa duntaxat viſione penderet, cum plures eandem videant & viciſſim videantur ab ea, non unus ſolus deperiret, contemnerent reliqui.

Porro quanquam amor à ratione primum procreatur, quia fœminam hanc aut illam dignam amore eſſe judicat, non tamen ab eâ dirigi poſtea aut cohiberi facile poteſt: quia potius ut indomitus pullus in matrem ipſam recalcitrat, & ita effrenis evadit, ut amantem ad damnum & manifeſtum exitium præcipitem trahat, qui enim alterum vehementer amat, omnium aliarum rerum delet memoriam, quia amor hominem à ſemetipſo prorſus alienum, & amatæ perſonæ addictum facit, melancholicum, voluptates fugientem, ſolitudinem perſequentem, animi cruciatibus plenum, curis undique circumſeptum, cogitabundum, ſpe viventem, deſperatione ſtimulatum, ſuſpicionibus afflictum, zelotypiæ telis confixum, ita ut amoris causâ amantes vivendo moriantur, ac moriendo vivant, quaſi incantationibus à ſe alieni, unde philtris ementati eſſe exiſtimantur: qui enim alterum impotenter amat, ſui ipſius nullam prorſus habet curam, quod quidem ab omni ratione & judicio prorſus alienum exiſtit: nam cum ſit caritas quædam, à ſeipſo debet exordiri. Merito igitur cum amor poſt ortum ſuum omni ratione privetur, cœcus depingitur: & quia pulchrum appetit ſub ratione boni ac digni, idcirco Veneris formoſiſſimos oculos habentis filius eſſe fingitur: nudum præterea cum faciunt, quia vehemens amor propter impatibiles animi cruciatus, nec ratione diſſimulari, nec prudentiâ occultari poteſt, quâ quia deſtitutus eſt, puerum eum eſſe prædicant: alatus formatur, quia celerrime in animos ſeſe inſinuat: ſagittas ipſi attribuunt, quia è longinquo jaculatur, & cor ipſum tanquam proprium ſcopum feriendum ſibi proponit, & quia amoris & ſagittæ vulnera quam ſimilima ſunt, profunda nimirum & gravia atq; curatu difficilia.

Amantium mores.

Amor cur nudus pingatur.

Puer iudicatur.

Alatus & ſagittarius.

Concluſio prima.

His ita breviter præmonitis, ſit *prima* concluſio: philtris ſecundi ac tertii generis, quæ magica ſunt, amor conciliari naturaliter nequit, nulla enim herba, pharmacum, ceremonia, vel ars magica poteſt animum hominis commovere, ut certum hominem amet, per illa enim nec objectum ſentiri, nec videri, aut viſus ipſi alterari valet, aut alius ſenſus intellectusvè ipſe, quorum operationes ad amorem concitandum neceſſarias eſſe diximus in ſecunda animadverſione.

Secunda

Secunda concluſio: etſi philtris ſecundi & tertii generis voluntas nullius cogi poteſt, ad amandum quem non vult: poteſt tamen malus Dæmon hominem alioqui volentem, & à vera pietate alienum variis tentationum illecebris interius agitare, ut œſtro quodam libidinis vexetur: & ex pacto ad ſignum conſtitutum omnia fiant, quæ vult; in ſubjecto tamen à Deo, & vero ipſius cultu alieno, non autem in iis, de quibus dixit Regius Propheta: *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Poteſt ſubinde de uno illo aut illà tam aſſiduè memoriam & imaginationem movere, repræſentando circumſtantias, propter quas amore dignus videatur, & ſubtrahendo eas, quæ indignum redderent, ut tandem in naſſam præda cadat, idque tribuunt mulierculæ aut maleficæ viribus earum rerum, quæ nullas omnino habent. Illud tamen, quod diximus, intelligendum de vehementi perſuaſione & inclinatione, non de neceſſitatis abſolutæ coactione aut mentis omnimoda privatione. Vere enim nolendo plerique omnes volunt, & vellent quidem abſtinere, ſed nolunt carere voluptate. Et quod majorem inducit admirationem, quanquam cruciamenta amoris ſæva & intolerabilia ſint, eis tamen amator liberari nec deſiderat, nec procurat: immo ſi quis ſalutare conſilium dederit, pro acerrimo habent inimico, qui amariſſimam amoris dulcedinem deguſtarunt, & ipſius blandum venenum recuſare neſciverunt. Quælibet enim corporis ſervitus voluntatem ſaltem liberam relinquit, ſolus amor indiſſolubili nodo voluntates noſtras alligat atque devincit, unde illud Medeæ:

Video meliora, proboq;,
Deteriora ſequor.

Conclusio ſecunda.

Pſal. 30.

Quod autem amantes mente privati non ſint, perſpicuum fit ex variis & mirabilibus technis ac dolis, quibus ſæpius illicitos amores exercent, quos miro ingenio & arte occultare ſolent, & appoſitè dexterrimèque omnia adminiſtrare, quibus animum amatæ in ſui amorem viciſſim commoveant, ut non amentium ſed amantium omnia eorum inſtituta dici queant. Vulgus autem non poteſt facile diſtinguere inter voluntatis actiones, & motus concupiſcentiæ ac inferioris portionis.

Amantes mente non privantur.
Amantes artificioſi ſunt.

Tertia concluſio: philtra primi generis, quæ & menti & corpori ut plurimum valde noxia eſſe jam protulimus, ſtimulum Venereum in homine concitare poſſunt: inprimis vero in eo, qui amore prius alicujus ardebat: at is ſtimulus non in unam certam perſonam, ſed promiſcuè ino-

Concluſio tertia.

Digitized by Google

in omnia concitabitur individua aut augebitur quidem in jam anteà amatum, neque id philtrum, ſed potius Venereum pharmacum dicitur quod ex cauſis naturalibus ad Venerem incitat, ut ex prima animadverſione conſtat, & ſecundum argumentum pro parte affirmativa allatum ſufficienter concludit.

Concluſio quarta. *Quarta* concluſio: elegans forma, morum venuſtas, blanditiæ, & illecebræ ex parte amatæ maximè movent animos amantium, quibus ſi accedant occulta quædam ſympathia, & ex parte amantis otium, crapula, & ſedentaria vita, habebis præcipuam vitioſi amoris cauſam, atque adeo ut vulgo dicitur, amore captus animus non eget philtris. Merito igitur Ovidius amandi artifex maximus, inquit:

——— Valeant Medeides herbæ
Moribus ac forma conciliatur amor.

Et alibi;

2. de arte amandi.
Fallitur amonias ſi quis decurrit ad artes,
Datq; quod à teneri fronte revellit equi.

Et paulo poſt:

Sit procul omne nefas: ut ameris amabilis eſto.

Olympia dictum. Nota eſt hiſtoria Olympiæ Reginæ, Philippi Macedonis uxoris, quæ cum intellexiſſet maritum amore puellæ ardere, & in hunc amorem philtro aſſumpto fuiſſe pertractum, ipſam ad ſe adduci juſſit, ut cum eâ expoſtularet: cum autem morum ſuavitate ac formæ venuſtate excellere animadvertiſſet: *valeant*, inquit, *calumniæ*, *tu in te philtra habes*. Quod fere Luſitaniæ Reginam patrum noſtrorum memoriâ in ſimili caſu dixiſſe fertur. Nam, ut refert Afranius in Vopiſco apud Nonium Marcellum:

Si poſſent homines delinimentis capi
Omnes haberent nunc amatores anus,
Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hac ſunt venena formoſarum mulierum,
Mala ætas nulla delinimenta invenit.

Amorem quæ accendant. Porro haſce amoris vitioſi faces accendunt plerumque illa, quæ ſuperius retulimus, & hoc diſticho breviter comprehenduntur:

Otia, ſegnities, ſomnus, caro, fœmina, vinum,
Proſperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Verum-

Verumq; ut plurimum deprehenditur illud Ovidii dictum:

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Deſpectaq; iacent & ſine luce faces.

Nec non illud Martialis:

Quæritur Ægyſthus, quare ſit factus adulter,
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Quæ omnia manifeſta fiunt ex iis, quæ in ſecunda animadverſione, & in rationibus pro parte negativa adductis dicta ſunt. Sed quodnam erit remedium contra philtrum ſive oculorum veneficium? occupatio mentis in rebus gravioribus, lectio bonorum librorum, preces ad Deum ut nos liberet à pravis cogitationibus, ſæpiusq; in mentem revocare ea, quæ indignam faciunt fœminam, ut ametur, fugacitas nimirum pulchritudinis, menſtrua, & quod tandem futura ſit vermium eſca, ex cujus putri cadaveris medullà ſpinæ, ut pleriq; ſcribunt, ſerpens terribilis enaſcetur. His accedat quod dum forma diligitur, negligitur fama, abbreviatur vita, bona & honor amittuntur, ac in iram divinam incurritur. *Amoris vitioſi remedia.*

DE ALEXICACIS SIVE Salutatoribus.

CAPUT III.

EST genus hominum, quod alexicacos vocant, Hiſpani *benſedeiros*, hoc eſt, ſalutatores ſeu empſalmatores, eo diſcrimine, quod iſti affirmant ſe ſanare vi orationis, quam conceptis verbis dicunt, illi vi ſalivæ & halitus, quem ægro inſpirant. Quorum cauſa meritò hoc loco diſcutiendum venit, an ſolo contactu, viſu, voce, afflatu, oſculo, verbis, aut lintei applicatione vulnera aut morbi ſanari atq; alia mira perfici poſſint. *Quæſtio.*

Hoc probare quidam nituntur, quia ſpiritus per arterias ex corde promanant, & per viſum aſpicientis, vel per os loquentis, vel per poros tangentis erumpunt, & eò efficacius penetrant, quo vehementiori voluntate videntis, loquentis aut tangentis fuerint emiſſi. De viſu afferunt exempla ferè eadem, quæ nos antea ad faſcini comprobationem circumferri retulimus. Et inſuper, quia quem prior lupus viderit, vocis facultatem amittit: galli gallinacei *Pars affirmativa* *Prima ratio* *Viſus virtus*

Digitized by Google

lincei aſpectum metuit leo:&,ut ſcribunt Plutarchus, ac Heliodorus, rupicula ſi in ictericum figat oculos,ſibi morbum, ægro ſanitatem conciliat: & illi, quos Hiſpani *Zauros* ſeu *veedores* vocant, ea videre affirmant,quæ abdita ſunt, in terræ viſceribus, venas nimirum aquarum & metallorum,theſauros,& ſub ſarcophagis cadavera ipſa. De tactu quia à Regibus Angliæ quibuſdam annulis nervorum contractiones, ſpaſmus & morbus comitialis curabantur,ut ſcribit Polydorus Virgilius: Et Regibus Galliæ hoc beneficium conceſſum, ut contactu ſtrumas ſeu ſcrofulas ſanarent, ut referunt Guido & Johannes Tagautius inſignes chirurgi.Novi ego nobilem virum, qui halitu oculorum vitia ſanare profitebatur: & notum eſt illud Plinii de Pyrrhi Regis digito,contactu morbos ſanante; ac refert Antonius Sabellicus Veſpaſianum Imperatorem duos à plebe viros opem ſibi à Serapide demonſtratam implorantes, ſanaſſe, unum viſu captum,ſalivâ:alterum crure debilem, calcanei contactu: deniq́ue magnam eſſe tactus vim inde concludunt, quod cadaver coram occiſore propter præcedentem contactum ſanguinem ſoleat effundere.De verbis & vocibus id confirmant ex fundamentis Cabaliſtarum, qui aſſerunt, litteris & ſyllabis quandam eſſe cum cœleſtibus corporibus & mentibus ſympathiæ connexionem: verba autem illa eſſe natura ſua majoris efficaciæ, quæ ſunt orta à lingua digniore, & à ſanctiore dignitate inſtituta,quæque ſanctiores res ſignificant: tunc deinde nomina propria radios quoſdam eſſe rerum, quas ſignificant,& in ipſis nominibus vitam quandam latere, quoniam & illa ipſa,quæ creaturis Adamus impoſuit, à naturis rerum influxum receperunt,per ipſum enim Deum rebus nomina impoſuiſſe, ideo ſcriptum à Regio Propheta: *Qui numeras multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, &c. Adhæc voces ſignificativas primariò quidem per influxum cœleſtem ſignificare, ſecundario ex hominum inſtituto: & quia in ſignificativis utrumque concurrit, plus virium habere nomina ſignificativa: tandem vim complexorum verborum, utpote propoſitionum,& orationum, efficaciorem eſſe, tùm quia veritas ei accedit, tum etiam,quia qui integram orationis contexturam promit, magis animum dictis intendit, quare vis quoque vehementior imaginationis concurrit.

Zauri qui.

Tactus.

a Hiſt. Ang.
Viri Principes qui ſanationis dono præditi ſunt crediti.
G.tract. 2. D.2.c.5.
Tag. lib. 1. inſt. Chirur lib.7.enne. 13.

Vocum & verborum virtus.

Pſal. 146.

Ex his promanâſſe videtur, quod etiam Ethnici, qui merito ſimiæ appellantur populi Dei, magnam verbis vim & carminibus tribuerunt: ita ſcri-

Ethnici ſunt ſimiæ piorum.

Digitized by Google

ita ſcribit Theophraſtus, Iſchiadicos carmine ſanari: Cato luxatis membris carmen auxiliari prodidit: Homerus ſcribit Autolyci filium profluvium ſanguinis è vulnerato femine Ulyſſis inhibuiſſe carmine: Soranus hoc verbum *abraca dabra*, chartæ eâ figurâ inſcriptum, quam Serenus tradit, ex collo appenſum, à febribus, maximeque ab hemitriteo liberare prodidit: nec ſolum in bonos, verùm etiam in malos effectus, carmine utebantur antiqui, unde illud Virgilii: *Superſtitioſæ curationes in verbis.*

Carmina vel poſſunt cælo deducere lunam
Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et illud Ovidii:

Carmine læſa Ceres ſterilem vaneſcit in herbam,
Deficiunt læſi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataq; vitibus uva
Decidit, & nullo poma movente fluunt.

Secunda ratio, quia ſicut in herbis, lapidibus, & animantibus inveniuntur virtutes ſanandi: ſic non videatur repugnare, quin & in tota humana ſpecie vires reperiantur, ut in uno homine ſit virtus talis lapidis aut herbæ, in altero alterius. *Ratio ſecūd.*

Tertio, quia non abbreviatur manus Dei, ne eam gratiam, quibus vult, largiatur. *Ratio tert.*

Quartò, in confirmationem adducunt experientiam & varia curationum genera mirè frequentia, & praxin quotidianam militum, qui ſolo afflatu, oſculo aut nudi lintei applicatione ſanant, etiam atrociſſima vulnera, qui omnes dono ſanitatis in variis morbis ſe præditos gloriantur: & tale curationis donum habere putantur, quotquot nullo fœmineo fœtu intercedente ſeptimi maſculi legitimo thoro nati ſunt. *Ratio quart*

Quintò, quia naturali complexione vel conſtellatione quidam ſint nocivi, ex ſolo aſpectu, quod in faſcinatione pateat; ergo ex iiſdem cauſis quoſdam ex naturali complexione & conſtellatione eſſe ſalutares & medicos. *Ratio quint*

Atq; hæc mihi potiſſima viſa ſunt argumenta, quæ pro confirmatione hujus dogmatis afferri, quæque pro defenſione ſalutatorum, eorum fautores congerere ſolent: A quibus ut nos explicare poſſimus, notandum prius, quod quemadmodum morborum quidam ſunt trans naturam, ut nos alibi jam prodidimus: ita etiam remediorum, & horum *Morbi & remedia quadā trans naturam.*

Digitized by Google

quidem alia divina eſſe; alia magica. Habet enim Deus optimus maximus omnia in poteſtate ſuâ, & quocunque vult ea deducit: Illius imperio cœlorum motus cohibentur; & Sol tanquam fixus conſtitit dimicante Joſua: ignis de cœlo deductus fuit ab Elia: aer plerumque, ſed maximè Davidis tempore, contaminatus: terræ ſterilitas & fames Joſephi ætate: Job ulcere peſſimo à Satana correptus, & poſtea Dei juſſu ſanatus. Ita legimus, Deum per Prophetas vel à morte plurimos ſuſcitaſſe, vel à graviſſimis morbis liberaſſe absque naturalibus remediis. Et rurſus quicunque divinitus morbi delabuntur, naturalium quodammodo ſimiles apparent; ita ea quæ divina remedia ſunt improbi nefariique homines magicis artibus æmulantur, accitâ Dæmonum ope, quorum ſcelerati perditique homines miniſtri ſunt: Sic Moyſis miracula Pharaonis magi imitabantur. Nec negandum eſt, & eſſe & fuiſſe magicas artes, ut apparet in iis, quæ de Pythoniſſa in ſacris litteris recitantur: nec fruſtra tam in lege Divinâ, quam in Romanorum ſanctionibus, tot ſupplicia in magos conſtituta eſſent. Et Plinius de Demarco quodam ſcribit, qui deguſtatis pueri immolati extis in lupum ſe convertebat; & Circe venefica poculo & herbarum ſuccis ſocios Ulyſſis mutavit in feras, ideo ſic loquens introducitur à Poeta:

Demarcus Magus. Circe.

Has herbas atq; hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſa dedit Maris: naſcuntur plurima Ponto:
His ego ſæpe lupum fieri & ſe condere ſylvis
Marin, ſæpe animas imis exire ſepulchris,
Atq; ſatas alio vidi traducere meſſes.

Curatio à Dæmone tuta non eſt nec firma.

Cæterum ut magicis artibus Dæmon plerumque non res ipſas, ſed rerum ſpecies quaſdam exhibet, quibus hominum mentes præſtigiis illudat, & oculorum aciem perſtringat: ita in his quæ ad medendi uſum pertinent, non certa nec tuta, ſed fallax, captioſa & periculoſa ſæpiſſimè ſanatio eſt, quia quamvis Dæmon quoſdam integre ſanare poſſet, tamen hoc beneficium in hominem, quem perpetua conſectatur invidia, conferre non vult, & ſi quando id facit, eſt ut perverſas hominum mentes irretiat, ſibique in fidelitate retineat, hoc inprimis adnitens, ut ii, quos ſeduxit, divino eum cultu & honore dignentur.

Notan-

Ordo naturalis rerum

Notandum præterea, Deum ad perfectionem univerſi ſtatuiſſe quendam ordinem naturæ, dum rebus ſingulis largitus eſt peculiarem ſuam eſſentiam, & proprias huic eſſentiæ ſive naturæ actiones, quæ vocantur operationes naturales, in quarum numero remedia naturalia ſunt, quæ per contraria fiunt, & hæc in eodem genere poſita partim ſimilia, partim diſſimilia eſſe debent. Alium vero ordinem eſſe ſupernaturalem, ſeu miraculoſum, ad quem pertinent quædam operationes, quæ vires hominum ſuperant, quarum operationum principium non eſt ipſa rei natura, ſed abſoluta Dei voluntas & omnipotentia. Tertius eſt ordo prodigioſus, qui re ipſa non excedit limites naturalis ordinis, ſed excedere dicitur ratione modi, quem vel cuncti homines vel plurimi ignorant, & hic à pleriſque omnibus vocatur etiam ordo ſupernaturalis, propriè tamen præternaturalis vocari poteſt, ad quem referuntur multæ mirificæ operationes, factæ per bonos vel malos angelos, ſubitâ naturalium agentium applicatione. Itaque hoſce tres ordines Deus in rebus ſtatuit, naturalem, miraculoſum & prodigioſum: quibus homines quartum adjunxerunt, rerum nimirum artificialium, qui rebus naturalibus diverſas formas indere ſolet, & hic naturali accedit, quia humana induſtria nil efficit, quod rerum naturæ repugnet: quanquam igitur ordinem tranſcendit naturalem, eum tamen non deſtruit aut ſubvertit.

Ordo ſupernaturalis. *Ordo prodigioſus ſeu præternaturalis.* *Ordo artificialis.*

Concluſio prima.

His præmonitis, ſit *prima* concluſio, non eſſe credendum hoc ſanitatis donum, & hanc gratiam, quam vocant gratis datam, peſſimis & perditiſſimis hominibus à Deo eſſe attributam. Hæc perſpicua fit, quia illa operatio eſſet miraculoſa; miracula autem facere iſtiusmodi ardelionibus Deus non concedit: ſcriptum enim legimus in Pſalmo: *voluntatem timentium eum faciet*; hi verò eum non timent. *Secunda* concluſio, nec vi naturali id facere poſſe videntur, quia quæ à naturâ fiunt, à ſuperſtitione aliena omnino ſunt: illi autem multa ſuperſtitioſa adjungunt, dum modos tangendi obſervant, cum quibuſdam ceremoniis, ac multo vini potu, quem ad hanc operationem exercendam opus eſſe perhibent: deinde quia dicunt, in præſentia alterius ſalutatoris, vim majorem habentis, ſe ſanare non poſſe; cum potius vis illa ſi naturalis eſſet, tunc intendi debuiſſet. Præterea quia dicunt unum ſalutatorem ab aliis ſaluta-

Concluſio ſecunda. *Salutatorum figmenta.*

Digitized by Google

Vnus ſalutator cognoſcitur ab alio nunquã viſo.

tatoribus cognoſci, licet eum nunquam viderint, quod notæ à Dæmone potius quam à naturâ impreſſæ, indicium eſt. Adhæc jactitant, ſibi revelari, quæ procul in eorum abſentia fiunt, & poſſe ſine nocumento tractare carbones ardentes, quæ naturaliter fieri nequeunt.

Concluſio tertia.

Tertia concluſio, militarem illam vulnerum curationem niti Dæmoniaco pacto, & ex genere ſuo malam eſſe conſtantiſſimè cenſeo: vel ſaltem tribuendam fiduciæ ægrotantis, non verbis aut afflatu militis facinoroſi. Prior pars confirmatur ex iis, quæ ſupra in primâ animadverſione retulimus: Non immerito igitur Chriſtophorus Vega hos, ut augures & impoſtores, publicè puniendos cenſet, & Rabbi Moyſes Ægyptios mendaces & ſtultos eſſe affirmat, unde ſapientes Hebręorum, eos qui pro ſanando vulnere exorciſmum cum ſputo murmurant, partem non habere cenſent futuri ſeculi, eo quod ſacra inquinant Dei nomina, nimirum cum dicunt: *omnem languorem quem poſui in Ægypto non ponam ſuper te, quoniam ego Deus tetragrammaton ſanator tuus.* Secunda concluſionis pars evidens fit ex iis, quæ ſuperiori libro de fiducia ægrotantium diſputavimus, quorum ſumma eſt, quia inducitur humorum alteratio, ad quam ſanitas interdum ſequitur.

Lib. de diff. feb. cap. 3.
L. perplexorum, c. 72.
In lib. miſna iot. cap. 11.

Concluſio quarta.

Quarta concluſio. Sanctos & Prophetas miraculosè abſque ulla naturalium remediorum applicatione & ſanaſſe, & poſſe ſanare quoslibet morbos, non eſt dubitandum: confirmatur tùm ex præcedentibus animadverſionibus: tum exemplis paſſim in ſacris litteris obviis.

Concluſio quinta.

Quinta concluſio, prodigioſè ac ſupernaturaliter multa olim fiebant, quæ an adhuc extent viri excellentes, & perfecti, à quibus fieri queant, incertum habeo. Probatur hæc difficilima aſſertio, quia ut tradunt ſapientes, ad litteralem & allegoricam ſacrarum literarum intelligentiam, tertium accedit contemplandi genus practicam magis, quam theoricam actionem præſtans, qua phantaſia, ratio & mens pro ſuo cujusque modo adhæreant ſuperis, per quam adhæſionem donum Prophetiæ, linguarum & curationum virtus, interpretationis, ſcientiæ & ſapientiæ ſpiritus, varia diſtributione infunditur, ſecundum quod alii aliiq; magis unum quàm aliud donorum reſpectent. Humanæ autem mentis cum ſuperis adhæſio adhærentum puritatem, & eorum cum æterna veritate ſymbolum & concinnitatem requirit: quod efficere nitebantur Cabalæi, & ii, quos filios Prophetarum ſcriptura appellat, ſa-

Cabale

Humanæ mentis ad ſuperos adhæſio quî fiat.

Digitized by Google

cras meditando litteras, earum videlicet contemplando numerum, figuram, poſitionem, permutationem, combinationem, eaque referendo. & tollendo ad ſuperos & æternæ veritatis ſacramenta: Non quod Cabalæus ejuſmodi interpretamenta ubique ad amuſſim Prophetarum & ſacri eloquii intellectum fuiſſe vel eſſe exiſtimet: ſed hoc unum intendit, ut concinnâ & reciprocâ hac phantaſiæ, rationis & mentis exercitatione denudentur animi vires à cogitatione terrenâ, tollanturque ad ſuperos, illiſque adhæreant; tunc deinde totis viribus virtuti ac divinis oraculis ſtudeat Cabalæus, ut in iis decem ſanctorum Dei nominum ſenſum dignoſcat, ſciatque & intelligat, ſingula prædictorum nominum clavis vicè gerere, ad aliquid ex iis, quod ſeculi uſus depoſcit: ita ut analogia quadam eiſdem decem nominibus ſanctiſſimis, decem divina oracula correſpondeant. decem itē orbes cœleſtes, decem angelorum ordines, decem potiſſima membra hominis, ac rerum omnium ordines decem, quos prædicamenta vocamus Ut eleganter ac fuſe 4. *Agricultura cæleſtis* Riſius diſputat, & Joſephus Caſtilienſis *in Porta lucis*: quod ſi ita intellexerit Avicenna in eo, quem ex ipſius mente retulimus dogmate, non videtur omnino reiicienda Arabis ſententia.

Decem ſanctiſſima Dei nomina.

c.1. lib.4.

Hinc obiter cavere licet circulatorum quorundam fallax præſtigium, qui miras nobis operationes inculcant, & artificia, præ foribus ſuſpendentes ſplendidos voluminum titulos, & modò hunc eſſe librum Enoch, quem ante cæteros omnes fuiſſe veteres prodiderunt, modò illum Salomonis comminiſcuntur, facile indoctis auribus imponentes; ac præcipuè conjecturâ, quod Joſephus ſcribit Salomonem contra Dæmones artem ad utilitatem hominum & curationes inveniſſe: incantamenta contra ægritudines inſtituiſſe, & modum conjurationum: & addit experimentum, quod ipſe viderit præſente Veſpaſiano Imperatore, quendam Eleazarum de gente Hebraica naribus cujuſdam obſeſſi, annulum cujus ſignaculo radix à Salomone reperta erat ſubdita, applicuiſſe, & Dæmonem è naribus odorantis extraxiſſe, ac Salomonis Cantico Dæmonium proſcripſiſſe. Conſtat quidem Salomonem ſcripſiſſe de arboribus, & plantis, à cedro Libani uſque ad Hyſſopum, ac inſuper de jumentis, reptilibus, volucribus, & piſcibus, quæ omnia naturalem ſcientiam ſpectant, nec dubium, quin ſupernaturalem illam probè etjam calluerit: tamen introſpicienti acrius apertè innoteſcit, confictа eſſe illa volumina, ſi quis præſertim verborum ſeriem & ſententiarum

De libris qui ſub titulo Enoch & Salomonis circumferuntur quid ſentiendum.

8. antiquit. Hiſtoria Eleazari cujuſdam.

Digitized by Google

vim ac genus characteris conſideraverit. Nam & hoc etiam ignorant ipſorum conſignatores, vel maximè ob linguarum Chaldææ Hebrææq; ignorantiam, quas operi neceſſarias eſſe conſtat, nil tale ad amuſſim tenere ſe poſſe: cum & verba ignorent, & numeros atq; figuras, & vitæ puritate careant, ac idoneo magiſtro, cujus etiam opera requiritur. Unde fit, ut tametſi multa paſſim legantur ejuſmodi experimenta, nusquam tamen percipiatur eorum effectus.

Soluto argumentorũ pro parte affirmativa

Ex dictis ſolvere poteris omnia ferè argumenta, quæ pro aſſertione contrariâ adducta fuerant: nam quod de conſtellatione afferebatur, nullius momenti eſt, quia ſic omnes eam vim haberent, qui tunc nati eſſent. Minus multo urget, quod de qualitate hominis nocivâ adductum fuerat, quia ullam talem eſſe omnino dubium & incertum eſt: nec ſi talis eſſet, quicquam ratio concluderet, plura enim ad ſanitatem quam ad ægritudinem requiruntur. Lapides verò, herbæ, & animalia vim quidem beneficam habent, ex certo temperamento totius ſpeciei, ita omne rhabarbarum bilem purgat, & magnes omnis ferrum trahit: ſi igitur homini hoc concedatur, ratione ſpeciei humanæ, quilibet homo vi polleret ſanandi alterum. Sed nec ratione individui, inquit Del Rio, quia ſi ſic, cur non eadem diverſitas in individuis rhabarbari & magnetis. Hæc tamen reſponſio claudicare videtur, quia in his non eſt tanta diverſitas individualis, quanta in homine, ob naturæ perfectionem; ſi igitur ei quidpiam tale contingat, poterit fortaſſe ſanare: ſed hoc jam non tàm erit naturale quam prodigioſum; id quod Principibus illis viris accidiſſe dixerim, ſi quidpiam tale certum eſt, ſcilicet quia vehementer ſuperent temperamentum & modum ſubſtantiæ totius ſpeciei. Si vero quod nonnulli autumant, ſingulis Regibus hoc à cœlo datum, ut aliquem morbum curent, ſi modò ſibi attributam vim cognoſcerent, tunc potius dixerim, gratiam eſſe à Deo Regibus gratis datam, cum quibus dubitandum non eſt, Deum particulariùs concurrere, quàm cum reliquis hominibus. Quod verò de lupo circumfertur, id accidere poterit, quia qui in feram improviſus incidit, ob aſpectum formidabilem metuit vehementer, ob metum ſanguis ad cor fugit, ac frigus cæteris membris inducitur, ſubitaque humorum alteratio, unde raucedo ac vocis impedimentum. Quanquam Scaliger totum hoc de lupo falſum eſſe contendit, ſicut & illud de rupicula, cui non invitus ſubſcribo. Zauros venas aquæ noviſſe exi-

ſtimo,

iſtimo, ex vaporibus manè & veſperi locis illis exſpiratis, & item venas metallorum ex herbæ genere illic naſci ſolito: quam etiam vim humori melancholico & natorum inde ſpirituum vehementiæ plerique tribuunt. Theſauros & cadavera à Dæmonibus oſtendi exiſtimarem, quemadmodum fortaſſe reliqua omnia, quod hanc iſti facultatem ſolent ad certos dies reſtringere, Martis nimirum ac Veneris, id quod latentis pacti indicium eſt. Fuſionem ſanguinis ex cadavere quidam miraculo tribuunt, alii caſui, nonnulli antipathiæ & odio vehementi inter occiſum & occiſorem, quæ talem naturalem qualitatem impreſſit, ut aperte ibi conſpiciatur quædam vivi amantis & mortui hoſtis comparatio ac ſimilitudo.

Fuſio ſanguinis ex cadavere præſente homicida cur fiat.

CORPUS HUMANUM MIRAM cum cœlo ac mundo inferiori ſimilitudinem obtinere.

CAPUT IV.

NEque verò mirum quippiam videri debet, quod nos ſuperiori capite de Analogiâ rerum inferiorum ad ſuperiora recenſuimus. Nam & corpus noſtrum univerſæ ſuperioris ac inferioris naturæ imaginem pulcherrimam ſuſtinet, ac præ ſe fert, ita ut in exiguo hoc microcoſmo totus vaſtiſſimus lateat macrocoſmus. Ideo veteres dixerunt, Philoſophiam nil aliud eſſe, quam hominem ſeipſum noſcere, omnium enim rerum notitiam complectitur: homo vero imago eſt omnium rerum, non ſolùm ut ex elementis compoſitus, verum multo magis, ut ex ſibi peculiaribus principiis conſiſtit, quibus magno mundo ſimilis eſt. Cenſent enim Cabalæi ad mundi imaginem hominem factum eſſe: ideo dictum: *faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*; ubi intelligunt Deum omnia cœli & terræ opera ad formandum hominem conſulere, in quo voluerit exprimere imaginem omnium rerum: Neque in eo quicquam ſit, quod exemplum non habeat in majori mundo. In nobis enim omnium ſapientum conſenſu quatuor ſunt elementa, ex quibus mundus hic in-

Philoſophia quid.

Quaterno numero pleraq; ſibi invicem correſpondent.

hic inferior componitur: ex iiſque quatuor præcipua temperamenta conſiſtunt:quatuor humores:quatuor ætates:quibus ſubinde quatuor diei partes:quatuor anni ſtationes:quatuor mundi plagæ: quatuor venti qualitatibus ſibi invicem miro quodam conſenſu correſpondent. Tota verò corporis moles globum hunc terreſtrem repræſentat: extima enim cutis,pilis & variis coloribus ornata, ipſius terræ ſuperficiem floribus & herbis circumveſtitam:muſculi montium cacumina: & quid ſimilius cum mari, in quod flumina omnia tendunt, aut ab ipſo derivantur,quam jecur, à quo omnes venæ oriuntur, & per univerſum corpus diſſeminantur, ut ab iis ſingulæ partes nutrimentum ſuſcipiant, non aliter quam à fluminibus terra irrigata,humoreq; perfuſa,quæcunque in ipſa producuntur, vegetantur ac nutriuntur: oſſa tibi pro lapidibus ſunt: fons veſica: & ſi Chymicis credas, nec mineralia in homine deſunt, ſal, mercurius, ac ſulphur: univerſus verò homo arbori inverſæ à Philoſophis aſſimilatur, cum cujus radicibus nervi magnam ſimilitudinem habere videntur: denique ut in terræ globo inſenſibilia ſunt, viventia & ſenſitiva,ac locomotiva,ita quidem in homine naturales facultates in ſingulis partibus corporis: vegetativa verò in jecore ac venis:in cerebro ſenſitiva & locomotiva.

Corporis moles terreſtri globo ut reſpondeat.

Enimvero non ſolum hujus globi inferioris, ſed etiam ipſius cœli manifeſtam quandam imaginem corpus humanum gerere videtur: & miram cum rebus cœleſtibus harmoniam. Ut enim Solis & aliorum planetarum Deus immortalis conditor & formator eſt, qui in illis excellentiſſimam pulchritudinem depinxit: ita in humano opificio ipſe cœlorum conditor Deus pulcherrimæ imaginis auctor fuit, corporisq; parti cuique ſuam dedit actionem. Et ut cum Sole & Luna Planetæ omnes motibus duobus ſenſui manifeſtis moventur, uno communi, qui eſt totius univerſitatis cœlorum, altero particulari, de Planetæ cuiusq; natura: ſic corporis humani partes duplicem habent motum unum univerſalem,qui pendet à totius corporis motione, alterum qui ab inſita particulæ cuique facultate proficiſcitur. Et ut Solis motus conſtans in cœlo ſemper eſt, ac indefatigatus; ita facultatis vitalis (quæ imaginem elegantiſſimam Solis obtinet) motus conſtans eſt, omnique diei ac noctis momento perpetuus & indefatigatus.Ut inſuper Solis calor terram, ita nativus calor humanum corpus vegetat ac fovet: Utque ille terræ omnes facultates ad actiones præparat, & excitat, ita hic corporis humani

Corpus humanum cœli imaginē refert.

Motus Planetarum.

Solis imago in homine.

Digitized by Google

mani vires omnes facit,ut in actionem producantur: & ut Sol militiæ cœleſtis dux eſt, ac ſemper juvenis, ſemperque renaſcens, motu ſuo cuncta perfundit; ita cor humanum totius corporis columen eſt, & pulſante vitalique facultate tam ſubjectas quàm ſuperpoſitas partes perfundit atque modificat: ſicut quemadmodum illius motu mundus carere non poteſt; ita neque arteriarum humanum corpus: Utque illius caloris præſentia rebus terreſtribus confert, abſentia nocet; ita præſentia ſpiritus vitalis corpori noſtro commoda eſt, abſentia valde nociva: utque Solis æſtum temperat Luna; ita cordis fervorem cerebrum: Eſt præterea Sol in medio Planetarum conſtitutus; ita cor in medio thorace jacet, neque unquam pulſare deſinit usque ad finem vitæ,ſicuti Sol ſuum motum nunquam intermittit: immo ſi inſignem aliquem laborem ſuſtinuerit, illicò à ſuâ ſymmetriâ cadunt particulæ omnes: ſicuti ſi Solis calore & lumine inferiora priventur, univerſa mundi machina corrueret. Ut vel hinc videas cor actionem toti corpori,perinde ac Solem mundo univerſo, communem habere. Deinde ut Solis radii ſubſtantiæ ſunt dilucidæ,ſubtilis,ac tenuiſſimæ, quæ ſurſum deorſumque facile feruntur: ita Spiritus animales vitalesque ut radii ſe habent ſubtilis & æthereæ ſubſtantiæ, per univerſum corpus jaculati: Et ut Solares radii diverſis terræ particulis ſeminibusque diſtributi varia producunt: ſic vitalis ſpiritus corporis diverſis organis & membris impertitus variè agit: Quid? quod ut nulla pars terræ eſt, quæ ſe abſcondat à calore Solis,vel totum ſibi vendicet: ita nulla corporis particula ſe poteſt abſcondere à ſpiritus vitalis infuſione, vel eam aliis particulis præripere ſine manifeſtâ noxâ totius corporis. Et ut duo magna luminaria in corpore etiam,quemadmodum in cœlo,animadvertas,Lunam tibi repræſentabit cerebrum: ut enim illa calorem à Sole communicatum ad conſervandam temperandamque mundi ſobolem deorſum refundit; ſic animalis facultas in cerebro ſita, à corde caloris & lucis fonte pabulum recipit, quem viciſſim cunctis corporis particulis ad conſervationem impertit: & ut Lunares radii, caligine obducti multâ, circa nubes nobis imponunt; ita animalis ſpiritus melancholicis fumis exceptus varias viſiones nobis confingit. *Luna imago in corpore humano.*

Sed enim ut reliqui Planetæ, qui circulis ſuis mundum complectuntur,ſi ſegnius ſolito ſua obiverint munia, vel inferiori mundo ſuos negarint influxus, certam ei prætentant internecionem: ita tres facul- *Reliquorum planetarum imago.*

tates vitam humanam diſpenſantes cum iis,quæ naturali inſerviunt numero quatuor(quæ ſimul ſeptenarium complent numerum,quotus planetarum eſt)ſi ſolitas ſuas actiones intermiſerint,humano corpori certam ruinam afferunt. Adhæc ut ipſæ ſtellæ tam majores quam minores ſphęricam figuram repræſentant: ita eandem effigiem viſcera planetis correſpondentia. Et,quod inſtar miraculi eſt,ſeptem orbes cęleſtes oculorum tunicæ ſeptem ſive orbiculi præ ſe ferunt. Et ut præcipuæ cælorũ partes quatuor ſunt, Sol, Luna, Jupiter ac Venus, ita partes corporis principes quatuor,cor,cerebrum, jecur, ac teſtes, quas dictis quatuor planetis veteres deputârunt. Et quemadmodum cœlorum planetæ præcipui quatuor magnum uſum obtinent,in modificanda rerum terreſtrium harmoniâ, ita præcipui quatuor humores in temperandâ humani corporis conſtitutione. Et uti poſt Solem ac Lunam duo ſunt planetæ benefici,Jupiter nimirum ac Venus;malefici duo,Saturnus & Mars: ita profectò ex humoribus duo naturæ valdè ſunt familiares, ſanguis & pituita;duo alii parum benigni,nigra nimirum & flava bilis,quæ ſi intra vaſa corporis aliis humoribus commixta præter naturam incendantur aut putreſiant, maxima incômoda corpori afferunt, quæ omnia ſub artificioſiſſimis fabulis nobis poetæ acutè ſignificarunt, ut videre eſt apud Leonem in ſecundo dialogo de amore.

Ætates motũ Solis repræſentant.

Porrò ut Sole à brumali ſolſtitio per vernum æquinoctium ad æſtivum ſolſtitium aſcendente dierum ac rerum terreſtrium incrementa ubiq; invaleſcunt, deinde verò per autumnale ęquinoctium ad hybernum tropicum deſcendente eorum decrementa fiunt, ac rerum quoddã quaſi ſenium advehitur:ſic vitâ humanâ à pueritia per adoleſcentiam in juventutem certis gradibus aſcendente rerum omnium in homine incrementa fiunt, cum nitenti quadam pulcritudine, hinc vero per ſenectam ad decrepitam usque ætatem effluente earundem brevitas cum ſqualida corporis facie interitum comminatur. Et rurſus ut Sol in Zodiaco anniverſaria peragratione,& Luna menſtruâ quatuor tum anni, tum menſis tempeſtates efficiunt, inter ſe qualitatibus diſſidentes: ita plane humanæ vitæ curriculum quatuor ætatibus, numero & qualitatibus prædictis ſtationibus reſpondentibus,peragitur. Nam pueritia calida & humida eſt,quale Ver naturâ ſuâ, & prima Lunæ quadratura: juvenilis ætas calida & ſicca, qualis eſt in anno ſolari æſtas,in menſe Lunari ſecunda quadratura usque ad plenilunium: ætas vero conſiſtens

ſtens frigida eſt ac ſicca, qualis ſolet eſſe autumnus, & Lunæ quadratura tertia: poſtremò decrepita ſe offert ætas, quæ frigida eſt, & ſaltem excrementis humida, qualis naturâ ſuâ hyems exiſtit, & Lunæ illa tempeſtas ultima, quæ proximè novilunium attingit.

DE TRIPLICI MUNDO, ET QUOD uniuſcujuſque in homine pulcherrima reperiatur imago.

CAPVT V.

EX dictis clare jam innoteſcit, cœlos, Planetas, ac Stellas reliquas in humano corpore eſſe, vel potius partium corporis humani typum ita obtinere, ut affirmare nequeas, ad mundi ſimilitudinem effictum eſſe corpus humanum, an vero hoc ipſum ſit archetypus & primarium exemplar totius univerſi: neque omnino dignoſcas, ſit nè mundus magnus homo, an vero homo parvus mundus. Sed & illud ſummâ dignum admiratione, quod cum tres numerentur mundi, archetypus Angelicus inviſibilis ſeu intellectualis: cœleſtis comprehendens cœleſtes ſphæras: & corruptibilis ſeu elementaris: tres etiam in homine partes videre licet, ſuperiorem nimirum, hoc eſt, caput: mediam, quæ à collo ad umbilicum protenditur: tertiam, quæ ab umbilico extenditur ad pedes. Unde liquet, in homine non ſolum tres mundos contineri, quibus prædictæ hominis partes correſpondeant, verum etiam quæ hominis pars cuinam mundo ſimilis exiſtat. Mirum enim quam pulchrâ & concinnâ proportione ſibi aptentur. Nam ut in capite eſt cerebrum, fons cognitionis, in pectore cor, fons vitæ & caloris, in parte infima jecur, & genitalia membra principium generationis & nutritionis; ita in rerum univerſitate, ſuprema pars, quæ eſt mundus Angelicus ſive (ut Philoſophi dicunt) intellectualis, eſt fons cognitionis, quia factæ ſunt naturæ illæ ad intelligendum: ideoque angeli intelligentiæ nuncupantur: pars media eſt cœlum principium vitæ & caloris, in quo Sol, uti cor in pectore, dominatur:

in infralunari mundo verò eſt principium generationis & corruptionis. Et ut in homine novem ſunt viſcera, cerebrum nimirùm, pulmo, cor, ventriculus, epar, lien, utraque veſica & teſtes: ita in cœleſti machina firmamentum, mobile primum, & ſeptem planetarum ordines: in intellectuali vero mundo ſeu angelico novem angelorum chori, quod ſubolfeciſſe videtur auctor libri *de anatomia vivorum* Galeno adſcripti, ita enim inquit: *Membra regalia intrinſeca ſunt ſeptem, & quædam eorum præeminent in ſublimitate, & principalitate eorum, & hæc ſunt quatuor, cor, cerebrum, epar, ſtomachus, & iſta creata ſunt famoſa in ſublimitate, quoniam ſunt minera virtutum ſpiritualium regentium corpus hominis: & poſt illa in celſitudine ſua ſunt teſticuli duo, ut renes, & veſica, iſta enim ſeptem ſunt diverſa ſecundum ſeptem ordines ſtellarum & centra eorum:* Et ſi iſtis addamus pulmonem & ſplenem, jam reperiemus novem in dignitate famoſâ comparatâ ſphæris, & diviſa juxta novem orbes mundi. Mirumque eſt quàm pulchrè, quam examuſſim hæ partes, in hominis figura, varietate quadam diſcluſæ, triplici mundo proportione quadam reſpondeant, nec mirum: creavit enim hæc omnia Deus fœdere bono, & per legem ſapientiæ ſuæ inter ea fœdus pacis & amicitiæ ex naturarum cognatione & mutuo conſenſu ſancitum eſt. Atque id quidem nobis voluit in tabernaculi ac templi fabrica declarare, quod certè hoſce tres mundos ad amuſſim repræſentabat. Fuit enim conſentaneum, ut qui tabernaculum manu factum Deo totius orbis auctori conderet, ſimilitudinem earum rerum ſumeret, ex quibus mundus à Deo conditus fuerat. Ob hanc cauſam conſtabat admirabilis tabernaculi ſtructura tribus partibus, veſtibulo nimirum ſive atrio, aula, & penetrali ſive adyto, quæ nobis univerſitatem divini opificii in tres mundos diſtinctam repræſentabant. Prima enim pars ſive atrium ſimulacrum præ ſe ferebat hujus ſublunaris mundi, quem nos incolimus: ad cujus ſimilitudinem ſub dio poſita erat, nullo defenſa tecto vel umbraculo, ſed imbribus, Soli, calori & frigori ſemper obvia: Verſabanturque in ea promiſcue non modo homines mundi & immundi, ſacri & profani, ſed & omnis generis animalia: eratque in ea ob ſacrificia, jugesque immolationes, perpetua vitæ & mortis viciſſitudo. Secunda pars ſive aula, quæ Sancta dicebatur, medium inter veſtibulum & penetrale locum occupans, mundum cœleſtem figurabat, inter ſupercœleſtem & ſubcœleſtem mundum collocatum. Erat enim in ejus auſtrali plaga, aureum candelabrum ſeptem

Tabernaculi Iudaici fabrica triplicis mundi imago.

Atrium.

Aula.

ptem ardentibus lucernis diſtinctum, quæ ſeptem ſignificabant errantes ſtellas. Inter has autem lucernas ea, quæ mediam candelabri ſummitatem obtinebat, tres ab utroque latere lucernas habens, Solis ſimilitudinem referebat, qui quartum à ſummo pariter atque infimo cœlo orbem poſſidens, inter alia ſex errantia ſidera medius ſplendet. Tertia vero tabernaculi pars omnium ſacratiſſima ac ſecretiſſima, quæ Penetrale, Adytum, & Sanctum ſanctorum vocabatur, figuram exprimebat ſupercœleſtis & Angelici mundi, qui Angelorum Deique optimi maximi habitaculum eſt. Ut enim hæc pars tabernaculi mortalibus erat inviſibilis & inacceſſa, neque ullus eam ingredi poterat, niſi ſummus Pontifex, qui nomen ineffabile in fronte geſtaret: ita in illum ſupercœleſtem ac divinum mundum nemini fas eſt ingredi, &, quæ in eo inviſibilia ſunt, introſpicere, aut animo exactè comprehendere. Arca inſuper quæ in adytis tabernaculi occultabatur, divinam erga mundum providentiam ſignificabat. Sicuti enim arca deſtinata fuerat ſervandis tabulis divinæ legis, & virgæ Aaronis, & Mannæ: ita in divinæ providentiæ promptuariis continentur omnes ſapientiæ leges, quibus tota creaturarum univerſitas gubernatur: virga & ſceptrum rectricis poteſtatis, quâ regitur; & Manna liberalitatis ſuæ, quâ vivificatur & paſcitur. Cherubim verum cœleſtes illas mentes denotabant, quę divinam Majeſtatem continuis obſequiis ambiunt atq; ſtipant.

Penetrale.

Quoniam autem ſermo hactenus fuit de ſimilitudine rerum humanarum cum cœleſtibus, juvat hic eruditam ſapientum inſerere ſententiam. Cenſent hi non aliter hominem in hac vita ad immortalitatem diſponi, quam in utero fuerat ad hanc vitam efformatus. Quemadmodum enim in utero matris quia vivebat vita plantæ, in anguſto continebatur loco, ſufficienti tamen ad id vitæ genus, editus verò in lucem quia ſenſibus utitur, lucem conſequitur ampliorem, & ad ſenſuum operationes obeundas convenientem: Ita poſtquam ex hac vita migravit ad contemplationem rerum à ſenſibus ſemotarum, & ad illam mentis nobiliſſimam actionem, quam Græci τὸ θεῖον vocarunt, tranſit in alteram lucem tantò majorem & excellentiorem, quantò intellectus operatio ſenſuum actiones antecellit. Egrediens infans ſecundinas exuit, per quas in utero vegetabat: egrediens ex hac vita anima corpus deponit. Moriuntur in ortu tres illæ membranæ: deficiunt in morte tres præcipuæ corporis facultates naturalis, vitalis, & animalis. Naſcitur infans dolo-

Pulchra ſententia ac ſimilitudo de hominis generatione, ac morte.

re, vi, & querelis: diſcedit anima à dilectiſſimo corpore iisdem affectibus. Sed enim ut optima conſtitutio corporis pendet à prima ſeminis in utero conformatione: ita profecto animæ conditio in altera vita ſequitur hujus vitæ opera. Talis enim anima ibi procul dubio erit, qualis hic fuerat efformata, miſera nimirum & abjecta, ſi ſocium habuit corpus vitiis inquinatum: felix & glorioſa, ſi virtutibus & præclaris cogitationibus in corpore aſſueverit. Denique editus in lucem infans utitur aliâ vivendi ratione, multò diverſa à priori, cernit lucem Solis, & formas ac figuras, quæ ſibi antea fuerant incognitæ: ita anima à corpore ſeparata diverſo fruitur vitæ genere, divinam contemplatur lucem, & mirabiles rerum facies, quas corpore incluſa nunquam viderat.

CORPUS HUMANUM MIRIFICAM cum Republicâ benè ordinatâ ſimilitudinem repræſentare.

CAPUT VI.

ILLud autem minimè prætereundum duximus, tantam eſſe partium humani corporis harmoniam atque concentum, ut quæcunque poſterius ad mirabilem fabricam aut ab arte, aut à naturâ fuerunt adinventa; nullam omnino perfectionem aut ſplendorem obtinere potuerint, niſi illius concinnitatem quodammodo imitentur. Inter quæ omnia evidentiſſimum exemplum nobis ante oculos ponit probè conſtituta civitas; nam hæc corporis humani bene valentis egregium typum præ ſe fert: idcirco Ariſtoteles civitatem ad hominis exemplum conſtituendam eſſe docet. Et ſane ſi conſtitutionem utriusque accurate expendas, nil reperies in civitate, quod humano etiam corpori non inſit. Cingitur civitas mœnibus, ut hoſtium incurſiones arceantur: circumdatur corpus extima cute, quæ ipſum tuetur ab injuriis externis. Redditur civitas inexpugnabilis, minimeq; inſidiis obnoxia ſi una tantum porta relinquatur, excipiendis commeatibus pervia, plures vero canales, ad expurganda recrementa: ſimiliter os unicum corpori hu-

Mœnia.

Porta.

pori humano inditum fuit, per quod ingrederentur, quæcunq; ad ejus partes alendas pertinerent, ſermoq; egrederetur ad explicanda animi ſenſa, plures vero meatus, per quos excernerentur, quæ inutilia eſſent. Optima civitas unico ſed prudentiſſimo, juſtiſſimoq; & clementiſſimo Principi ſubdita eſſe debet, qui à civium commercio ſemotus, fidis ſtipatoribus cuſtoditus in ſublimi ac munitiſſimà urbis parte ſe contineat, ut inde cives contueri, & ſi tumultus oriatur, eum facile ſedare poſſit: ita in homine ratio ipſa cæterarum facultatum Imperatrix in cerebro ſublimiori corporis parte, veluti in arce conſiſtens, ſubditis membris imperat, eisque vivendi leges imponit: ejus verò ſtipatores ſenſus externi ſunt, qui excubias facientes, ſi quid perceperint, quod aut rationi, aut ſubjectis membris nocere poſſit, illico ſenſui communi renunciant, qui quaſi dux quidam rationi conjunctus eſt. Et ut Principibus adſunt viri à ſecretis: ſic adeſt rationi memoria fideliſſimè ſervans, quæcunque occurrunt, eaque oportunè poſtea ſuppeditans. Habent Principes pace & bello milites ſacramentarios, ad repellendas injurias externas, & continendos cives in obſequio: non aliter Deus immortalis rationi vim iraſcibilem adjunxit, ut ſi quando infeſtaretur, confeſtim hæc excandeſcens illi afforet, omnemque vim propulſaret: hanc verò iraſcibilem facultatem in corde collocavit, ut media eſſet inter rationem, & cupiditates, quæ in jecore ſita ſunt, atque illinc rationi inſidiantur, ideo inter ipſos, & vim iraſcibilem natura ſeptum transverſum interjecit, quaſi vallum quoddam, ne imparatam illæ iracundiam opprimerent, ſubindeque rationis arcem expugnarent. Sed enim ſunt in civitate opificia varia, nam alii piſtores ſunt, alii coqui, alii commeatum per urbem traducunt, alii recrementa expurgant: ita in corpore humano ventriculus cibum concoquit, hepar ſanguinem conficit, venæ per univerſum corpus eundem ſanguinem rivant: arteriæ ſpiritum vitalem, nervi animalem, qui auctor eſt motus aut ſenſus: melancholicum ſuccum expurgat lien: Veſica utraque urinam, & ſuperfluam bilem. Rurſus ut in Republica tria ſunt præcipua membra agricultura, res bellica, & litteraria: ita totius hominis partes principes tres ſunt, cor, jecur, & cerebrum. Cor nimirum, in quo reſidet facultas vitalis & iraſcibilis: jecur, in quo facultas naturalis, ad quam nutritio ſpectat; cerebrum, in quo mens, & tota rerum cognitio. Atque

Princeps. *Stipatores.* *Dux.* *Viri à ſecretis.* *Milites ſacramētarii.* *Opificia varia.* *Reipublicæ membra præcipua tria.*

hæc ſibi

hæc ſibi invicem correſpondent; agricultura, virtuti naturali, quia alimenta ſuppeditat civitati: bellica ars, iraſcibili, quia repellit, ſi quid inferatur violentiæ: literarum ſtudium, cognoſcitivæ facultati, quia ſpectat ad intelligentiam. Et ut præter tria hæc præcipua membra, alia minus principalia in corpore ſunt, ut manus, crura, & brachia: ita in Republica præter haſce tres partes ſunt aliæ inferiores, ut mercatura & artes mechanicæ. Merito igitur dictum fuit corporis noſtri conſtitutionem optimè gubernatam civitatem repræſentare, immo vero civitates ipſas ad exemplum corporis humani conditas eſſe, cùm artem natura ipſa tempore & dignitate antecellat.

Reipublicæ ſalus in quo conſiſtat.

Præterea quemadmodum ſi in civitate Princeps, ut par eſt, dominetur, cives & milites obœdiant, & opifex unuſquiſque ſuo rectè fungatur munere, ſalus Reipublicæ conſtat, labefactatur verò ſi contrarium accidat: ſic quandiu in noſtro corpore ratio ipſa gubernat, affectus autem & cupiditates obtemperant, ſingulæque partes pro dignitate ſua munia exercent, tamdiu integra ſanitate corporis & animi fruimur. Si verò aut ratio ipſa cedat cupiditatibus, aut iraſcibilis facultas cum his adverſus rationem conſpiret, aut ex partibus corporis humani una vel plures perperam obeant ſuas functiones, neceſſum eſt, ut varia morborum genera oriantur, quorum curatio eadem ratione fit, quâ curari ſolent reipublicæ ægritudines. Quippe ut delicta leviora vinculis virgis, aut exilio coercentur, in graviora autem laqueo, ſecuri, aut flammâ animadvertitur: ſic exiguos affectus corporis leviuſculis præſidiis, ut victus ratione, & julepiis curamus, contumaces verò atque rebelles, ſanguinis miſſione, purgatione, ſudoribus, & tādem ferro, cauterioque exterminamus. Et ut ad confirmandam rempublicam puniendosq; homines facinoroſos, leges fuerunt inventæ: ita ad conſervandam corporis valetudinem, expellendoſque morbos, è cœlo nobis delapſa medicina eſt.

Reipublicæ morbi ut curentur.

Humanæ naturæ & currus ſimilitudo.

Meritò igitur ſummus Philoſophorum apex Plato *in Phædro* naturam noſtram inſtar currus eſſe dicebat, ad equos juncti, & aurigæ optimi moderatione recti. Aurigam mentem bene conſtitutam facit, equos duos, refractarium unum, alterum ſequacem: refractarium eſſe dicit appetitum ſenſualem, quo præcipites ferimur, ſequacem vero rationem, dicto obœdientem, eſſeque perpetuam pugnam, quâ modo ratio, modo appetitus prævalet, ac proinde duram & perdifficilem eſſe vecturam noſtram

noſtram, hoc eſt, vitæ conſtitutionem. Nam ab inferiori potentiâ natura labefactatur, depravatur, & à ſeipſa degenerans, illi ſæpenumero parere cogitur. Hinc pugna illa rationis & ſenſuum, hinc voluptatum fervor, hinc morbi, dolor, & omnis origo malorum, infelicitatisque humanæ. Merito igitur coercendis affectibus hiſce, in quos ſponte impellimur, adinventam artem, quæ defectui cuique proſpiciat, quæ ſi animi mores componat, moralis Philoſophia dicitur; ſi corpori conſulat, medicina nuncupatur. Ex quibus obiter facilè redarguitur pernicioſus eorum error, qui contendere non erubeſcunt, ſatius eſſe ad tuendam recuperandamque valetudinem, & morbos profligandos, ductu impulſuque naturæ, quàm medicorum conſiliis gubernari, cum id tantum ad impulſum benè conſtitutæ naturæ hominis ſani debeat accommodari, non depravatæ aut vitiatæ, qualis ægrotantium eſt.

Moralis philoſophia & medicina ad quid inventa.

Error quorundam.

Error alius

Verùm multò deteſtabilior eorum ineptia mihi videtur, qui medicum vocant, non ut methodo & ratione morbum curet, ſed ut remedium adhibeat, quo uno die, immò unâ horâ, morbus auferatur, interdum adeo moræ impatientes, ut nec horâ, ſed temporis momento ſanari velint. Quod ſi prudens medicus methodo procedat, & dolores aut febres tantiſper perſeverent, artem & artificem calumniantur, ac de divino auxilio deſperantes, reliqua medicamenta & ipſam medicinam reſpuunt: non aliter quam ſi quis in navis tempeſtate rectorem navis in mare præcipitet, quia tempeſtatem non impedivit, nec ad portum quamprimum pervenerit. Ut enim ventus navem ad portum ducit, rector adhibetur, ut pro ratione ventorum curſum dirigat, quo ſecuriùs navis ad portum perveniat, & ſi qua tempeſtas exoriatur, tum ipſe tùm reliqui miniſtri laborant ſedulo; non ut tempeſtatem impediant, quod in ipſorum poteſtate ſitum non eſt, ſed ut contra tempeſtatis furorem navem ſervent, & idcirco navigaturi quamquam fortunæ vim ineſſe quandam videant, libentius tamen ſe rectori committunt, qui caſus fortuitos ex adverſo occurrentes ſuperare noverit: ita profectò à ſummo rerum conditore natura adhibita eſt, quæ corpus humanum gubernat. Morbi verò & ſymptomata inſtar tempeſtatis ſunt, quibus inſurgentibus medicus & aſſiſtentes in ſubſidium vocantur, non ut impediant aut temporis momento tollant morbum ipſum, quod ſolius naturæ opus eſt, ſed ut adhibeant ea, quæ morbi furorem ſedent, & depravatos ægrotantis appetitus gubernent, quoad tandem adjuta natura morbum

Simile.

Morbus inſtar tempeſtatis eſt.

Digitized by Google

ſuperet, & humani corpuſculi navicula ſervetur, ſævamque illam morborũ tempeſtatem,&immanes ſymptomatũ nimbos evadere queat.

Philonis allegoria. In hunc fere ſenſum Philo in eo libro, quem de agricultura ſcripſit, verba illa Cantici Moyſis *Equum & aſſeſſorem eius proiecit in mare:* ſic moraliter explicat. Equi,inquit,ſunt furor, & concupiſcentia, ille mas,hæc fœmina,ideoque ille,ut mas geſtit, elatâ cervice, libertatem appetens:hæc vero ſervilior, & callidior domum depaſcit ac devorat, ut fœmina.Inſeſſor porro & auriga unus eſt,nempe intellectus, ſed auriga tunc,quando aſcendit cum prudentiâ: quando autem cum imprudentiâ,inſeſſor tantum eſt:& præ imperitia impotens retinendi habenas ſinit eas è manibus elabi,at jumenta habenis liberata temere diſcurſant nullo ordine,ſeſſor autem præ imbecillitate ſuſtinere ſe non valens,decidit, & laceris genibus, manibusq;,ac facie malè mulctatus miſer deflet ſuum infortunium. Sed illud horribilius, quod nõnunquam pedibus in curru hærens raptatur ſupinus, & tractum in orbitâ caput & cervix & humeri ambo conſauciãtur: Deinde huc illucq; diſtractus, atque omnibus paſſim objacentibus illiſus,miſerrimo genere mortis exſtinguitur. Currus verò jam levior & violenter quaſſatus, ubi in ſolum inæqualiter inciderit, facile frangitur,ut inſtaurari non poſſit. Jumenta quoque omni ſoluta retinaculo concitantur & efferantur, nec prius deſinunt currere,quam illabantur, aut in aliquam rupem delatis,ſimilis etiam contingat interitus:atque ita currus animæ,nempe corpus, una cum rectore ſeu intellectu totus perit per aurigæ inſcitiam.

DE ABDITIS QUARUNDAM rerum proprietatibus.

CAPUT VII.

AFFert medico non exiguum ornamentum, ſi non ſolum, quæ alii norunt, verum etiam quæ ignorant, oportunè inculcaverit,præſertim ſi ea ſunt, quæ in Dei optimi maximi laudes & admirationem hominum mentes erigere valent: & quædam quaſi naturæ miracula præ ſe ferunt, quæ etiamſi vulgaria interdum ſint, eorum tamen cauſas vulgus ignorat, & in quotidiano ſermone injecta eorum tempeſtive mentio ſapientiæ opinionem medico apprime conciliat. Quis enim ſi penitius cõſideret non miretur, ſilicem lapidem frigidum quidem & in rivulis plerumque

rumque jacentem ſilentem nihilominus ignem, vivum & verum in ſe contineredil præpediente aquarum perpetuo fluxu, aut ſæva frigiditate per rigidiſſimam hyemem, quæ duo profectò illum vel exſtinguere vel ſaltem hebetare debuiſſent, quod tamen contrario modo accidit: Nam per frigora & pluvias vegetiorem hunc eſſe lapidem ferunt, & ſuum ignem, quam per æſtum: idq; experientia conſtat, nam excuſſus pyrobolo de ipſo lapide ignis tam acer eſt, ut ſiccis exceptus fomentis populoſam urbem, & vaſtiſſimam ſylvam breviter incendere, & in cineres convertere poſſit: & tamen ſi manibus contrectetur, aliis lapidibus calidior non apparet, cumq; aquis ut plurimum immergatur, & tamen ignem retineat, duo contraria elementa aquam & ignem ſimul eſſe conſtat.

Navigatoria pixis. Mirandum inſuper ſubit illud antiquis ignotum miraculum navigatoriæ pixidis, cujus extremum perpẽdiculum temperati magnete lapide ferri incredibili diſtantia ad eas ſemper partes ſe convertit, quæ ad polos ſpectat, quod quidam fieri dicunt cœli vertigine omnia perturbante, ideoq; ſeſe ita conſtituere, ut quieſcat, quo maxime poteſt loco: talem autem eſſe lineam quæ polos reſpicit. Alii exiſtimant, ferrum illud ſeſe ad eas ſtellas convertere, quæ in polis ſunt, haud ſecus quam herbæ quædã ad Solem, ut heliotropium. Nonnulli cauſam, quod perpendiculum illud ad polum vertatur, eſſe adſtruunt montes ferri & magnetis, qui ſub polo ſunt, quorum ſpecies per incredibilem diſtantiam propagatæ ad perpendiculum usq; ubi eſt magnes, conſuetam faciat attractionẽ: propter diſtantiam vero cum debilis ſit, non movere magnetem niſi in perpendiculo eſſet, ideoq; etſi non trahit usq; ad perpendiculum, movet tamen & propinquiorem facit. Addunt pleriq; ex negotiatorum relatione, neſcio an vera, quod, ſi naves ullę propinquiores ſint illis montibus, ferrũ omne ab eis evellitur, idcirco incolas navigiis uti clavis ligneis adſtrictis. Quã ego rationẽ magis probo, nam experientià liquet, ſimilia ſeſe invicem valenter applicare, nam & magnes trahit magnetem, ac ferrũ magnetem: & electrum parva electri fruſtula, & paleam ad ſe movet: & Fracaſtorius affirmat, vidiſſe fruſtum magnetis, quod per unam faciem magnetem trahebat non ferrum; per alteram ferrum non magnetem; per tertiam utrumq;, idq; indicium eſſe, quod in una parte plus eſſet magnetis, in altera plus ferri, in tertia utrumque æqualiter, unde fiebat diverſitas. Sed enim ſiquidem de lapidibus ſermo eſt, adamantem

Pixidis perpendiculum cur ad polum vertatur.

1. de ſimp. & ant. c. 7. Magnes lapis mirabilis.

Adamas ferri & ignis vim reſpuit. ferunt, ſolo hircino ſanguine molleſcere, quod ſi verum exiſtit, fieri opinandum erit, propter analogiam, quæ eſt vel in principio communi, vel in foraminum ratione, propter quam penetrat usq; ad minimas adamantis partes: quæ tamen analogia Deo & naturæ tantummodo nota ſit. Illud tamen certiſſimum eſt, adamantem tantæ eſſe duritiei, ut ferri ictum reſpuat, ſimulque ignis victricem habeat naturam. Hanc tamen invictam vim hircino rumpi ſanguine affirmant, nec aliter quam recenti calidoque. Cujus vero ingenio hoc inventum, quovè caſu repertum, aut quæ fuerit conjectura experiendi, res eſt immenſi ſecreti, & numinis muneris talem inventionem fuiſſe Plinius affirmat.

Fulmen. Porro autem fulmen aurum colliquat intacto loculo, & vinum abſumit, vaſe minime læſo: quia in aurum & vinum penetrat, tangit, & moram trahit, & propter acrimoniam caliditatis eliquat: ad loculum autem & vas debita applicatio non fit, aut propter laxitatem foraminum, aut propter parvam moram. *Aurum.* Aurum non imbibit oleum neque vinum: ebibit autem avidiſſime argentum vivum, *Argenti vivi mira natura.* quod tamen liquidorum nulli commiſcetur, ſed durioribus ſolum, nec tamen omnibus, ſed auro, argento & plumbo duntaxat, in quæ ita imbibitur, ut mollia ea reddat, liquidis vero aliis non admiſcetur, vel quod propter pondus ſubſideat, vel quod diverſiſſimæ naturæ ſit, & fortis mixtionis: ideoque unum continuum cum aliis facere non poteſt, *Fortis mixtio qua ſit.* neque ad minima cum iisdem dividi. Eſt autem fortis mixtio, quæ aut in duritie conſiſtit, aut in forti agitatione, & in quæ miſcibilia ad minimas partes reducuntur. Addunt nonnulli vacuum, quod propter partium vicinitatem plurimum obſtat, ne fiat ſeparatio partium componentium. Eſt autem mira ea mixtio & compoſitio in argento vivo: conſtat enim è calidiſſimis ſimul & frigidiſſimis partibus redactis ad tam minimam quantitatem, & ita ordinatis, ut penè ſeſe omnes tangant. Igitur propter naturæ ſympathiam in auri & argenti poros attrahitur & ea mollefacit, & viciſſim ab eis duritiem quandam & conſiſtentiam recipit, ſi ipſorum ſcobes cum eo miſceantur, quod Chymicos fallit, exiſtimantes, hac ratione poſſe aurum argentumvè conflari, neſcientes non veram ibi fieri mixtionem, ſed apparentem, per juxta poſitionem, quæ ſolvi facile poſſit.

Braſſica & ruta inimicitia. Braſſicæ & rutæ tanta eſt inimicitia, ut juxtà ſeri nolint, quod quidam tribuunt contrarietati ſpecierum, & quod cum utraque calida ſit, &

Digitized by Google

ſit, & craſſarum radicum, plurimum humidi quælibet ad ſe trahit, unde fit, ut propè ſatæ, præ humoris inopia areſcant. Aiunt etiam lupina tympana ea diſſolvere, quæ ex agnino corio ſunt conflata, eo quod ſpecies unius contrarii per aerem delata ad aliud, illud expellat atque diſſolvat. Taurum affirmant quamvis furentem alligatum ficui, ſtatim manſueſcere. Leo animalium omnium terror gallinaceo gallo terretur, præſertim ipſius cantu: & galli gallinacei pullus vix quidem natus equum elephantemque nil reformidat, milvum vero vel longè conſpectum adeo expaveſcit, ut ad matrem ſtatim confugiat: eademque agno & lupo & aliis multis inimicitia eſt. Quod propterea fieri philoſophantur nonnulli, quia mixtiones & naturas contrarias habeant, atque adeò diſſimiles, ut per inimicitiam quandam ac diſſimilitudinem reſpiciantur ab anima ſub modo, quo poſſunt nocere, ideoque timorem inferant. Ita conantur plerique has ſympathias, diſpathiaſque ad tacitas quaſdam qualitates reducere, quod tametſi apparentiam quandam habeat, non tamen, ut mihi quidem videtur, ſufficienter dictum eſt, quia ſic invicem ſeſe metuerent, nec magis pullus gallinaceus ad conſpectum milvi quam milvus ab ipſo pullo: nec leo plus gallum gallinaceum, quàm gallus ipſe ad conſpectum leonis expaveſceret; potius igitur hæc fere omnia ex eorum numero ſunt, quæ ut inquit Lucretius, *tegit ſacro involucro natura*. Nec tamen deſunt qui horum omnium phyſicam & naturalem cauſam aſſignari poſſe exiſtimant, quia, ut inquit Hippocrates, *nihil in naturâ, ſine naturâ fit*, id eſt, ſine cauſâ naturali. Eſſe vero illas abditas rerum cauſas & occultas proprietates imbecillitatis humanæ aſylum. Noſtri vero inſtituti non eſt, ullam partium confutare aut defendere.

Lupina & agnina tympana.

Tauri natura, & aliorum animalium inimicitia.

Opinio quorundam de cauſa diſpathia.

lib. de aere, aq. & loc.

Illud tamen mirari ſubit, gallo gallinaceo eam ineſſe naturam, ut Solem ad omnes mundi angulos feſtinantem alarum geſtu congratulantis modo ter quater & pluries ſalutet atque reſalutet. Et vocis humanæ tantam eſſe efficaciam & energiam, ut per aures audientis ad animum tranſlata illum afficiat, adeo ut à triſtitia in hilaritatem; à metu in ſpem; ab ira in tranquillitatem; à furore in patientiam; à bello in pacem pro dicentis arbitrio movere poſſit. Immo vero ex ignorante ſcientem facere, & quod maximum eſt, in cœlum aſcendere & numen placare, cum tamen vox ipſa nihil aliud ſit, quam aere receptus linguæ motus ac percuſſus, nec tamen à quopiam viſus, ſed per vocalia inſtrumen-

Gallus gallinaceus.

Vox humana & eius energia mira.

ta indicibili modo articulatus: & ex ipſa natura vox ipſa nullam vim habeat ſignificandi, nedum quidpiam efficiendi, ſed ſignificat ſolum, quia ita convenit inter colloquentes plures aut pauciores.

Remora ſive Echneis. Illud autem non prætermitti potuit, quod omnem ſuperat credulitatem, & tamen à Plinio proditum eſt, parvum piſciculum, quem *Remoram* vocãt ſive *Echneidem*, navem in medio mari impetu ventorum actã ſiſtere; Hic magna anxietate diſcruciatur Fracaſtorius in inquirendà cauſa ejus, quod non eſt, ſed figmentum potius Plinianum, uti exiſtimo: *Plinii & aliorum figmentum.* nam à plurimis tum nautis, tum mercatoribus, qui noſtri, ac novi orbis maria ſæpius navigarunt, diligenter id perquirens, nil tale unquam accidere intellexi. Sed nunquam tam abſona ſomniavit unquam febriculoſus ſenex, quæ non aliquis Philoſophorum dixerit, & Plinius in ſuum opus tranſcripſerit, *lib. 8 c. 22.* ut verum faceret illud quod ipſe affirmat, nullum tam impudens mendacium eſſe, quod teſte careat: eſt tamen manifeſtę temeritatis, difficilia ſine teſtibus aſſeverare. Quod ſi quid tale unquam contigit, piſcem illum non cauſam eſſe retentionis exiſtimarem, ſed ſignum alterius rei quæ retinet, ſcopulorum nimirum, ubi Echneides degunt, talem ſpeciem usq; ad navigia mittentium qualem montes magnetis ad ferrum in navigiis fixum.

Tormentũ bellicum. Verum omiſſis naturæ ſive miraculis ſive ſecretis, de artificiis mirabilibus nonnihil etiam adjungamus, inter quæ illud profecto ſtupore dignum, quod in bellicis tormentis tantus impetus accidit, igne plurimo è fomite repente genito, qui concluſus rarefactionem ſibi propriam quærit, quâ ſubito facta, & ea quidem ingenti, inſtar fulminis objectam pilam impetu tanto extrudit, ut per aerem eodem modo, immo etiam violentiori multò portetur, quam & ſagittæ & projecta reliqua. *Quando inventum.* Inventam hanc machinam fuiſſe ferunt anno 1382. auctor ignoratur quadam infelici felicitate, ne nomen ipſius ſingulis horis execrationem ac diras patiatur. Hoc enim abominabili invento hominum crudelitas pervenit ad extremum, & heroum fortitudo fuit ſopita. Quidam inventionem malo Dæmoni referunt, ob inimicitias quas gerit cum humano genere, & eam antiquiorem faciunt: nam apud Virgilium ejus reperitur mentio, dum fabulatur, Salmonea in inferis torqueri, quia æneis inſtrumentis tonitrua, fulgura & fulmina Jovis imitari voluerit, ita enim cecinit:

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis, & ſonitus imitatur Olympi,

Demens

Demens qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum curſu ſimulârat equorum.

Ex quibus liquet, jam olim hanc artem mortalibus innotuiſſe, qui tamen ejus atrocitate perterriti eam profundiſſimæ oblivioni tradiderant.

Similiter non adeo nova videtur eſſe novi orbis notitia, nam Plato *in Tymæo*, & in *Critia* ſub perſona Solonis ejus facit mentionem, ex relatione Sacerdotum Ægyptiorum: & Ariſtoteles, in lib. *de mirabilibus auſcultationibus* ſcribit extra columnas Herculis plurium dierum navigatione inſulam deſertam à Carthaginenſibus inventam, ſylvarum copia, & fluminibus idoneis abundantem, ac reliquis fructibus fertilem, quam cum Carthaginenſes quidam ob ſoli ubertatem habitare cœpiſſent, præſides, ne quis deinceps inſulam ingrederetur, ſub pœnâ capitis interdixiſſe, ne incolæ Carthaginenſium connubiis juncti Senatum privarent principatu. Unde neotericorum plerique conjecturam faciunt, gentes earum provinciarum à Carthaginenſibus ex parte originem trahere; certiori quidem indicio, quàm ex defectu litterarum, quibus non ſolum Carthaginenſes caruiſſe legimus, verum etiam nec Indos, nec alias multas nationes earum uſum habuiſſe. Florianus tamen alteram vero ſimiliorem illius interdicti cauſam affert, ne ſcilicet Carthaginenſes ſoli ubertate allecti à bello, quod tum in Hiſpaniâ cum Romanis valdè contentioſum gerebant, diverterentur. Cujus inſuper rei & quartæ orbis partis notitiam habuiſſe, tragicus Seneca in his carminibus præ ſe fert:

Novi orbis notitia adeo nova non eſt.

Indi & Carthaginenſes litteris caruerunt.

Seneca quartæ orbis partis mentionem facit. in Med. chor. 2.

Venient annis ſecula ſeris
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus
Tethyſq; novos detegat orbes,
Nec ſit terris ultima Thule.

Ut hinc planum fiat, noſtri orbis hominum oculis terram illam jam olim fuiſſe exhibitam, ſed illico præreptam, & in noſtra tempora commercium ac integram illius cognitionem per plura ſecula ſuſpenſam, vel quia nondum impleta erant peccata earum gentium, vel ex alia divinæ providentiæ notâ cauſâ.

Cur tã diu occultus novus orbis.

Quam verò ſint harum gentium mores ab aliis diverſi, proſequi lõgum omnino eſſet. Illud tamen omniũ ſuperat conſuetudinem, quod fœminæ quædã illico à partu flumen petunt, infantẽ loturæ, marito interea domi

domi manente,qui meditabundus lecto ſe componit, eumque amici inviſunt,& de nova prole religioſè congratulantur. Nec deſunt barbaris hominibus hujus conſuetudinis rationes, quia dicunt, ad virum potiſſimum prolem pertinere, ad fœminam verò illius curam: ideo hunc domi manere in contemplatione beneficii divini,illam vero tractare, quæ ad valetudinem & corporis ſanitatem pertinent. Non minoris ſtultitiæ eſt,quòd in India Orientali Japonicæ mulieres,inani quadam conjugalis amoris ac fidei maritalis oſtentatione una cum mariti defuncti cadavere plures ſimul in ignem alacriter ſeſe conjiciunt. Pauca hæc ex multis ſeligere placuit ad quorum exemplar magnam ſimilium ſupellectilem prudens medicus ſibi poterit comparare, quæ in quotidiano ſermone non ſolum jucunditatem, verum etiam utilitatem, & eruditionis exiſtimationem pariunt. Nemo tamen ea modica exiſtimaverit rerum quarundam vilitate deceptus.

Orientaliũ Indorũ mira alia conſuetudo.

FACETIÆ ET SALES AN GRAvi, & prudenti medico conveniant?

CAPUT. VIII.

IOci,ſales & facetiæ medico ornamento eſſe ſolent, maxime ſi raro & oportune afferantur ex iis, quæ non ſolum ægrotis & aliis hominibus, verum etiam inſulſis quibuſdam medicis & ſtupidis patientibus acciderunt: Ita tamen,ut ea ſemper proponat, quæ reconditi aliquid retineant:non quæ è plebe aliquis diceret,ea enim ſi tractentur à nobis,jam non medici reputabimur,à quibus ea ſola exſpectantur, quæ vulgus lateant,& aliorum ſenſus effugiant,quia nimirum gravia & non ridicula loqui & facere medicum decet, niſi quandoque àd ægri naturam vultus cum verbis & actionibus componendus fuerit, tunc verò ea duntaxat dicantur,quæ de genere noſtro faceta ſunt,nam ut inquit Juvenal.

Quod turpe Titio ſerioq; decebat Criſpino.

Sint igitur minime obſcœna aut levia, ita fiet ut cum non extra rem dicantur, plerumque ad ægroti ipſius uſum faciant. Accidunt autem hujuſcemodi pleraque indies,rem medicam facientibus:Ut nuper riſum mihi

mihi movit quidam, remedium poſtulans pro matrice, quâ laborare affirmabat, quia ipſius uxor matrice laborans, in ventre, quo & ipſe, dolorem ſentiebat. Et Salmanticæ, quo tempore praxin frequentabam cum Doctore medicinæ, ipſi interroganti ex mierculâ, quidnam mali ſentiret? admotis ambabus manibus capiti dolenti, ac fortiter comprimens, dolent, inquit, vehementer hæc inteſtina, cerebrum intelligens. Altera medico brachium extendens, ut pulſum tangeret, præ nimia pudicitiâ carpum induſio contexit: at ipſe manum pallio involvens pulſui applicuit dicens: lineo pulſui convenit medicus laneus.

Cuidam cum in dolore auris pilulas devorandas medicus dediſſet, & emplaſtrum dolenti loco imponendum, emplaſtrum devoravit, & ex pillulis unam poſt aliam continuatis diebus auri impoſuit. Conſimile illud eſt, quod mulierculæ ruſticanæ accidit, cui remedium petenti deſcriptam ſchedulam medicus dedit, juſſitq; ut decoctum herbarum, quod inerat, partiretur, & toto triduo uteretur: illa verò partitam ſchedam devoravit. Alteri cujus maritus colico dolore cruciabatur, auxilium poſcenti clyſterem deſcripſit medicus, injunxitque, ut ex pharmacopolio peteret, ac honeſtatis gratia dixit, ut retrò injiceretur, putans reliqua ſatis intelligi: illa, quæ nunquam antea tali remedio uſa eſſet, allato domum clyſtere exuto marito & in faciem prono collocato diligenter primùm colli vertebras, tum ſcapulas, totum dorſum, lumbos & clunes, ac poſteriorem corporis partem ad imum uſque pedem illinivit. Huc referenda ſunt, quæcunque capite de melancholicis, & de inſpectione urinarum, ſtupidis quibusdam hominibus accidiſſe retulimus, ex quibus ſimplicitas, interdum etiam ſtoliditas una cum malitia conjuncta notatur. Ex eorum genere ſunt ea, quæ plerumque ſocordium aſſiſtentium culpa fiunt, ideoq; præſtat paucos habere & expertes, quàm multos ignorantes. Quidam juſſus contuſam gallinaceam carnem parare pro patiente, crudam diu tamen piſtam ſorbendam cum liquore dedit. Belgæ quondam maligna febre laboranti julepium deſcripſi, & oxyrrodinum, & de julepio biberet juſſi, oxyrrodinum verò linteo exceptum capiti applicaretur: qui vero ejus curam gerebat aſſiſtens, hoc ebibendum dedit, & julepium capiti impoſuit, quod cum mane revertens intelligerem, vomitum provocavi, & à morbo liber nihilominus evaſit: Meliori quidem ſucceſſu, quam ille, cui febricitanti medicus catharticum deſcripſit, pharmacopœus verò, qui forte eadem die alterum

Aſſiſtentiū ineptia.

Kk pto in-

pro inteſtinorum difficultate paraverat, vaſa mutavit, ex quo non multo poſt decumbens periit. Et ille qui allatum domum pharmacum proximè appendit, quo loco atramenti ſcriptorii plena ampulla erat, atq; ante lucem quidam arreptũ atramentũ pro pharmaco potandum dedit in ægroti perniciem. Jucundius verò quod linguarum profeſſori Salmanticenſi contigit, qui alter Cato dictus, quia medicis omnibus infenſiſſimus, adverſus quos publicè & privatim multa ſæpè ex Plinianis commentis inculcabat, ac nec medico nec medicamentis utebatur, affirmãs, diæta ſolùm & amicorum conſiliis ad conſervandam ſanitatem & morbos depellendos utendum eſſe, cum autem ejusdem filius in morbum incideret, & mater, quæ illum unicè amabat, à marito impetrare non poſſet, ut medicum accerſeret, ipſa clàm medicum ad ſe vocat, quo tempore in ſcholis lectiones habebantur: nec tamen id adeo expeditè factum quin Ferdinandus Nonius, id enim erat mariti nomen, revertẽs domum in limine medico obviam factus admirabundus, inquit: *ſalutem ex inimicis noſtris*: at medicus manum aperiens, in qua habebat coronatum à conjuge acceptum, verſum continuans feſtivè reſpondit: *& de manu eorum, qui oderunt nos*. Neque eſt inſulſum illud, quod petenti cuidam remedium pro oculis læſis, amphibologicè medicus reſpondit, *nil melius aceto acerrimo*: intelligens *nil album* quod vocant ſeu flores æris. Alius medicus aulicus plures nobiles viſitare ſolitus, cum ex gravi morbo quis convaluiſſet, & reliqui de ejus valetudine interrogarent: melius habet, dicere ſolebat, ſed ego nondum ſum contentus: quia nimirum nondum gratus fuerat. Idem quia Luſitani & Hiſpani baſilicam vocant *venam arca* dicebat, patientem quidem convaluiſſe, ſed adhuc indigere phlebotomia ex arcæ vena, ſcrinium intelligens. Hæc & ſimilia venuſta quidem ſunt, ſed adhuc venuſtiora, ſi ab eo dicantur, quem omnes norunt pecuniæ minimè intentum, alias avaritiam redolent. Conſimile illud eſt cujuſdam medici Hiſpani, cum ægro paciſcentis, ut niſi ſequenti die febris rediret, patinam argenteam acciperet ſeu aquimanarium, quod Hiſpani (*plato*) vocant cum vero poſtridie brachium tangeret & febrim perſeverare animadverteret, amicus, inquit, Socrates, amicus Plato, aquimanarium digito commonſtrans, ſed magis amica veritas. Illud inſuper acutum: legatus Hiſpanicus apud Venetos morbo gravi conflictabatur, apud quem doctus medicus pernoctabat; ſummâ nocte cum diu hinc inde

Facetum medici dictum.

Feſtivum aliud medici dictum.

inde ſe convolveret patiens, tandem medicum ex ſomno excitat, & interrogat, num velit tria millia coronatorum ei mutuo dare, quoniam diu pecunia ex Hiſpaniâ remorabatur, reverà tamen, ut medici judicium de ſuo morbo exploraret, ſi enim periculum inſtaret, non daturum ſciebat, quia poſt mortem difficilis eſſet perſolutio. Quam cavillationem medicus argute intelligens, quieſce, reſpondit, & placide dormi, domine Legate, non enim morieris ex hoc morbo.

Admonitio.

Prædictorum autem pleraque nec ſemper nec ubique afferenda ſunt, ſed cum rerum ſimilium mentio incidit, ad diſcutiendum ſilentii tædium, ſi natura morbi id ferat, & tum ægroti, tum circumſtantium aures, nam cum periculum imminet, minimè opportuna eſt rerum ſimilium mentio. Semper autem ad ea requiritur, ut medicus à natura lepidum habeat ingenium & ſermonem, aliàs nullam habent venuſtatem, ſed potius faſtidium

QUA RATIONE MORBUM SIMULANTES deprehendi queant.

CAPUT IX.

Minimè autem alienum à ſuſcepto argumento eſſe videbitur, ſi varias cauſas, propter quas homines ægritudines ſimulare conſueverunt, breviter proſequamur: nam fraudem hanc detegere ad medicum prudentem omnino ſpectat. Porro ſervi morbum ſimulant, ne munia à dominis impoſita obeant: captivi, ut carceris aut torturæ acerbitatem & ſupplicium effugiant aut differant; milites & nautæ, ut navigationis expeditionisvè alicujus pericula vitent: nec non moroſæ quædã fœminæ, tũ ob alias cãs tum etiam quia hac ratione maritos ad benevolentiam flectere ſibi perſuadent. Anno 1588. quo ingens illa claſſis adverſus Angliam Oliſippone parabatur, nautæ & milites plerique data opera lecto decumbentes teſtimonium ex me petiêre, ut à præfectis veniam impetrarent domi manendi, aut maris aut belli tædio, aut quia exitum præviderant, & ad majorem fidem ſanguinem ſibi mitti nonnulli curârunt. Eodem tempore famoſum ſcortum, quod etiam viros principes & uxoratos ad ſuos pertrahebat amores, cum propterea relegaretur, & triremes, quibus vehi debuerat, eſſent in procinctu, ex lacte & ſanguine mixturâ per le-

Hiſtoria morbum ſimulantium

Digitized by Google

per lectum diffuſa abortum ſimulavit, & ejus rei teſtimonium petiit, ut profectio tantiſper ſuſpenderetur, donec judicis iram demulceret, quod tamen à me, qui dolum deprehenderam, nec prece, nec precio potuit obtinere. Refert Galenus lib. hujus argumenti noviſſe quendam à civibus in concionem vocatum, qui, quoniam id ſibi minimè ex uſu fore vidiſſet, & propterea intereſſe nollet, colicâ ſe paſſione torqueri finxit, quod ipſe cognovit, tum ex medicinæ peritia, quia vivendi ratio colicum dolorem efficere minime apta erat, tum captu humano ſive ſolertiâ, hoc eſt, communi illa ratione, quæ licet omnibus hominibus ſit naturalis, pauci tamen illam adeo exactam habent, ut invenire in quocunque negotio poſſint, quid faciendum dicendumvè ſit, quam facultatem nos in medico potiſſimum requirimus.

Qui morbi ſimulari ſolent. Quorundã fraudes.

Morbi autem, quos fingunt, ut plurimum ſunt animi defectio, apoplexia, aut uteri ſuffocatio, ſi fœminæ ſint: ſic quidam ita arctè brachia conſtringunt, ut pulſus aut non percipiatur, aut vix quidem & altius vocati non reſpondent, ac ſi leviter pungantur aut vellicentur aures, vel digiti comprimantur, patienter id ferunt.

Ficti morbi indicia.

Deprehenditur autem horum dolus, ſi medicus vocatus ſuſpicione aliqua ductus interroget, an alimento diu caruerit, aut ſanguinis copioſam evacuationem ex parte aliqua corporis habuerit, vel alvi fluorem, vel vomitum immodicum, aut ſudorem, aut ſi morbus aliquis præceſſerit, vel in loco calidiſſimo fuerit, aut prava aliqua qualitate affecto, ut in conclave anguſto carbonibus ſemiaccenſis: vel ſi puſillanimis ſit, nec aſſuetus animi perturbationibus, timore aliquo vel mœſtitiâ fuerit affectus. Et ne à miniſtris fallacibus decipiatur, videat diligenter medicus, ne brachia vinculis ligata ſint.

Signa veri & non ſimulati morbi.

Verùm ſi extrema frigida fuerint, & ſudor frigidus prorumpat, præcipuè circa caput, faciem, & collum: ſi pulſus ſint inſenſiles & formicantes, exigui, languidi, & inæquales, vel etiam intermittentes: ſi exigua ſit reſpiratio & frigida, ſi flos faciei abierit; ſi excrementa exierint: quæ ſigna ſi adſint omnia vel aliqua illorum, morbos non eſſe ſimulatos ſignificant.

Artificium ad dignoſcẽdum morbũ ſimulatum.

Si vero non adſint, ut medicus certius adhuc deprehendat, an ſimulent, interim dum ipſi tanquam mortui oculis inſtar dormientium clauſis jacent, ita ut vere attoniti videantur, proponere ac præparare debet validiora quædã remedia, utpote clyſterem, purgationem, venæ ſectionem, & uſtionẽ ignitam, digitos inſuper torqueri jubeat, & acubus corpus altius perforari: his enim rationibus vel ſimulantem vel ægrotantem dignoſcet

Alii

Alii ſunt, qui tumores, bullas, & ulcera per quædam extrinſecus appoſita induſtrie excitare norunt, uti titimali ſucco, aqua ex cantaridum aut veſparum decoctione cute abluta: aut tapſia admota aut turpeto vel pulvere taxi, quibus adeo cutem exulcerant, ut miſerabiles ac fere deplorati homines videantur, quod fallaces mendici, ut copioſiores eleemoſynas corradant, facere ſolent. Detegitur tamen dolus, quia bullæ ac tumores ab appoſitis medicamentis excitati facile ſolis admotis refrigerantibus ſanantur: plagæ vero ſucco populi vel unguento populeo. Narrat idem Galenus, pediſſequum quendam in utroque genu vehementiſſimum ſibi tumorem excitaſſe per tapſiam admotam, ac dolorem ibi ſimulâſſe, quam fictionem ſtatim deprehendit, partim ex eo, quod ad illam diem dominus ex urbe profecturus erat, partim ex adoleſcentis moribus, qui facile mentiretur, & amore mulierculæ cujuſdam flagraret, ob quam in urbe reſtitare cupiebat: ſed appoſito medicamento, quod tapſiæ qualitatem infrigidaret, poſt horam, profecto jam domino, nil amplius doloris ſe ſentire faſſus eſt. Secus verò accidit, ſi tumores ſponte à naturâ ex humorum multitudine oriantur: quia non ſolum non reſident ex infrigidantibus, ſed majores redduntur. Callidæ etiam mulieres uteri geſtationem ſimulare conſueverunt, ſed percipitur ſimulata uteri geſtatio, quia venter laxus eſt, lenis, & inæqualis. Nonnulli delirare ac inſanire ſimulant, ut Ulyſſes ne ad Trojanum bellum proficiſceretur, ideo Ajax dicebat adverſus illum:

Mendicorũ doli.

Hiſtoria.

Vlyſſis dementia ficta.

—— Detrectavitq́; furore
Militiam ficto: donec ſolertior iſto,
Et ſibi inutilior, timidi commenta retexit.

13. Metam.

Et ipſe Ulyſſes ad Penelopem conjugem, in epiſtola ad eandem, apud Ovidium ſic inquit:

Sed thalamis nec velle tuis, nec poſſe carere,
Cauſaq́; fingendæ tu mihi mentis eras.

Quos quidem ex habitu ſimulantis, & ex privatione indiciorum delirii vel melancholiæ deprehendere licet. Qua ratione Græci objecto Telemacho filio ſarculo, cum eum Ulyſſes pater præteriiſſet, elevato aratro inde minime inſanire cognoverunt.

Nec deſunt, qui ſuffitu ſulphuris vel alterius rei faciem decolorant, urinam vero croco, aut rhabarbaro, atque ita ictericos ſe fingunt: ſed abluta facie aquâ aliquâ abſtergente, & aliâ inſpectâ urinâ dolus deprehenditur.

Ictericia qui fingatur.

 Quicun-

Dolor fictus

Quicunque vero dolores ſimulant, ex eo, quod levius ferant, ficti doloris coarguuntur: qui enim verè laborant, magnitudine doloris agitati in alium atq; alium habitum ſeſe trajiciunt, quod non advertunt ii, qui ſimulant Præterea qui morbo vehementi premuntur, quodvis auxilium perpeti parati ſunt, ultroq; medicos accerſunt, & permittunt, ut agant quod affectus poſtulat: ſi verò leviter aut penitus non laborent, hujuſmodi auxilia refugiunt. Rectè igitur faciet medicus, ſi hoc addat, ea quidem non conferre niſi graviter laborantibus. *Vulneratorum figmenta.* Interdum etiam accidit, ut vulneratus aut in odium ejus, qui eum vulneravit, aut ut ab ipſo pecuniam pœnalem copioſè extorqueat, membri læſionem fingat, cui brachium aut membrum illud ex improviſo & ipſo nihil cogitante, comprimemdum eſt, aut emplaſtrum applicetur, cum promiſſione certæ reſtitutionis. Sic igitur ſolent plurimi medicos vulgares decipere non ſine eorundem exiſtimationis diſpendio. Quidam delinquentes triremibus à judice addicti brachiorum læſionem ſunt cōmenti, idq; ipſum incauti chirurgi confirmârunt, de quare fuerunt poſtea in judicium vocati, quoniā cōtrariū manifeſtè apparuit.

TESTIFICANDI METHODUS circa eos, quibus venenum fuit exhibitum.

CAPUT X.

AD ſuperioris capitis argumentum propemodum ſpectant varii caſus, de quibus medicus plerumq; coram magiſtratu cogitur ſententiam dicere, & in quibus ipſius ſolertia ac doctrina maxime ſolet apparere. Veluti ſi interrogetur, an hic aut ille veneno fuerit ſublatus: an ex vulnere capiti inflicto obierit: an in aquâ mortuus inventus, vivus in aquam fuerit projectus, an vero jam demortuus qua etiam ratione cognoſcantur, qui fumo aut vaporibus incenſorum carbonum fuerunt ſuffocati: quibus indiciis virginitas deprehendatur: deinde etiam qua ratione ſint examinandi recenter conjugati, qui ob ſterilitatem divortium poſtulant: ac deniq; quæ requiratur ſolertia in examine captivorum, qui divenduntur, in hiſce enim omnibus prudentia & medicinalis artis peritia apprimè requiritur.

Varii caſus de quibus medicus in judicio interrogatur.

De primo: tametſi iidem affectus oriri poſſunt ab humoribus in corpo-

corpore putreſcentibus,&ab epoto veneno,ii tamen qui venenum hauſerunt ab iis, qui aliter ſunt affecti, diſcerni poſſunt. Nam ſi homo ſuapte natura bonis humoribus abundans ac ſalubri uſus victus ratione repente moritur: deinde corpus ipſius aut livens aut nigricans, aut varium apparet, aut diffluens, aut reddit odorem putridum, hunc venenũ ſumpſiſſe dicendum eſt. Quod ſi in eo, qui nondum obiit, aſſumpti veneni ſuſpicio ſit, communia ejus indicia erunt ventriculi æſtuatio, anxietas, corporis jactatio, varia mutatio coloris faciei, nauſea, vomitus, fœtidus ſingultus, tremor, ſtupor, punctura, mordicatio ventriculi, inteſtinorum roſiones, cordis palpitatio, nervorum contractio, ſanguinis nigri rejectio per os, moleſta urinæ excretio, dolor in alto corporis, & fervor, aut frigus ejuſdem, papularum eruptio, maculæ lividæ, tumores, coarctatio & anxietas, vertigo, lipothymia, ſyncope, pulſus defectio, virium totius corporis proſtratio, lingua & labia nigricantia, ungues & extrema corporis livida, ſudor frigidus circa frontem & tempora, vox cum murmure edita, & oculi torvi. Et horum quidem omnia ſimul aut pleraque eorundem.

Veneni ſigna in mortuu.

Veneni ſigna in iis, qui adhuc vivunt.

Quod ſi venenum fuerit ex numero eorum, quæ tota ſubſtantia ſeu approprietate interimunt, cognoſcitur, quia virtus vitalis illico collabitur, palpitationes fiunt & ſyncopæ abſq; alio ſigno. Si vero manifeſtâ qualitate agit, & in caliditate excedit, fauces, & internæ partes ardore & incendio quodam intolerabili ſtatim afficiuntur, univerſum corpus & facies, præſertim verò oculi rubore inſigni ſuffunduntur, loco ſtare neſciunt, anguntur, ingenti ſiti torquentur, & copioſo ſudore madent; quod ſi præter caliditatem erodens etiam fuerat venenum, punctione, corroſione, ac vehementiſſimo dolore ventriculus & inteſtina premuntur, ſanguis ore excernitur, alvo aut veſica, interdum vomitiones accedunt, faſtidia, ſudores modò frigidi modo calidi, & variæ coloris mutationes. Verũ ſi venenum frigidum fuerat, ſomnus ſequitur profundus, à quo vix excitari poſſunt, torpor ſive ſtupor, totius corporis frigiditas, color faciei lividus, & terrificus, dementia temulentiæ ſimilis, ſudores frigidi. Si vero ſiccitas in veneno præpolleat, tunc ſitis inexplebilis adeſt, linguæ & faucium ariditas, alvi adſtrictio, dyſuria, corporis ſiccitas & vigiliæ. At ſi humiditas & putrefactoria qualitas in veneno fuerat, aderunt ſomnus, egeſtiones, colliquationes, ſudores & reliqua excrementa fœtida, nervorum reſolutio, articulorum laxatio, & extremæ partes plerumq; putreſcunt ac emoriuntur.

Venenum à tota ſubſtãtia.

Veneni calidi indicia.

Veneni frigidi indicia

Sicci.

Humidi.

Digitized by Google

Venenum pharmacopæi non dẽt aut vẽdant ſine medicis ſchedula.

Veneni varia genera recenſentur

Ita quidem venenum aſſumptum à medicis dignoſci poterit: Magiſtratus vero politicus, qui hæc ad medicos plerumque defert, cavere imprimis debet, ne quiſquam venenum dare audeat, aut etiam vendere, niſi in medici ſchedula contineatur, ut habetur *in l. qui venenum*, §. *de verb. ſignif.* Ut autem tum magiſtratus tum medici ſciant, quæ potiſſimum venena ſint prohibenda, pauca quædam hic recenſebimus. Et quidem ex fructibus venenoſis præcipua ſunt poma mandragoræ, oleandri, anacardorum, colocyntis: Ex ſeminibus ſemen hyoſciam, cicutæ: ex herbis Titimalum, camelæa, latyris, & fungorum pleraque genera: ex radicibus camelæum, aconitum, tapſia, veretrum, ſcylla, ſyclamen: ex ſuccis meconium ſeu papaveris ſuccus, elaterium, euphorbium, ſcammonium: inter animalia vero numerantur, cantharides, ſalamandra, pini eruca, bufo, viperæ caput & cauda, cauda ſcorpionis, cerebrum felis, fel viperæ, urina muris, ſudor equi, muli & quorundam animalium ſanguis tauri & menſtruus mulieris: inter metallica auripigmentum, arſenicum ſublimatum, hydrargyros, quod argentum vivum appellant: & ex artificialibus laſurium, ſeu aſarum quod ex lapide lazuli componitur, realgar, ſeu riſagalum, quod ex ſulphure & plumbo fit, arſenicum ſublimatum, ſeu criſtallinum, argentum vivum ſublimatum, pulvis adamantis, ſaponis lixivium: & pleraque alia quæ referunt Avicenna & Averroes, præſertim vero Raſius in libro diviſionum. Præter quæ etiam quæcunque abortum provocare, vel quapiam ratione fœtum perimere poſſunt, pharmacopœus non niſi ex medicorum præſcriptionibus vendere aut exhibere ſub graviſſima pœna debet: quæ autem illa ſint, copioſe exhibuimus in noſtro libro de curatione affectuum mulierum.

part. 2. lib. 4. c. 2. 6. 7.

TESTIFICANDI RATIO IN vulneribus capitis: & in iis qui aquâ fuerunt ſuffocati.

CAPUT. XI.

Conſideranda in capitis vulneribus.

QUicunque vero de vulneribus, & præſertim capitis (in quibus inter judices maximæ controverſiæ oriri ſolent) apud Magiſtratum ſententiam dicere cogitur, is non ſolum vulnera tum locum diligenter conſideret, ſed etiam telum, & num

Digitized by Google

& num punctim, aut cæſim vulnus fuerit inflictum, & quam altè penetraverit, deinde quæ ſymptomata ſupervenerint, & quoto quæque die, nam teſte Hipp. habent vulnera, maximè lethalia, decretorios ſuos dies, inſtar acutorum morborum. Illud quoq; attendendum, morbum quemlibet dici magnum ſive vehementem, vel ob principatum partis læſæ, vel ob magnitudinem diſpoſitionis, vel ob ipſius malignitatem. Mortalem vero dici morbum, vel quia neceſſario, ac ſemper, vel quia ut plurimum mortem affert. Tertio morbum eſſe gravem, quem gravia ſymptomata conſequuntur, quæ diſpoſitionis magnitudinem atteſtantur: levem verò quem levia concomitantur accidentia. Sunt autem in capitis vulneribus ſymptomata gravia, ſtupor, deſipientia, eriſipelas, convulſio, febris, vomitus bilis, loquelæ aut vocis amiſſio, ſenſuum perturbatio, oculorum rubor & cæcitas. Quarto attendendum eſt, quo die ab accepto vulnere ſecuta ſit mors.

1. pro vet. In vulneribus dies decretorii cõſiderandi.

Morbus magnus tripliciter dicitur.

Ga. 4. meth 5 meth.

Lethalis morbus quis

Symptomata gravia in cap. vul.

Sciendum præterea varias fuiſſe opiniones inter ſcriptores circa prognoſtici terminum, hoc eſt, ut determinarent, quamdiu exſpectandum ſit, ut cum fiducia medicus pronunciet, vulneratum extra periculum eſſe. Nam ſecundum Rogerium ad centeſimum diem, vulnerum capitis periculum protenditur: ſecundum legiſlatores verò & judices, ad quadrageſimum, qui terminus eſt acutarum ægritudinum ex decidentia: at ſecundum medicos ad decimum quintum duntaxat, qui communis eſt terminus acutorum morborum ſimpliciter. Propterea autem juriſconſultorum opinio hac in re affertur, quia hujuſcemodi cauſæ apud ipſos ſæpiſſimè controvertuntur, qui procul dubio ex antiquis & ſapientibus medicis acceperunt, capite vulneratos quadrageſimo die ut plurimum è vitâ diſcedere: ideoque ſalutis vel mortis in iiſdem illum eſſe terminum ſcriptum reliquerunt, quorum auctoritates & teſtimonia non affero, quia hîc noſtra tantummodo, hoc eſt, medica tractamus.

Vulnerum capitis terminus.

Hip. 2. aph. 23.

Porro illud maximè eſt animadvertendum, divinæ legis hanc eſſe ſanctionem: *ſi rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide vel pugno & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lectulo, ſi ſurrexerit & ambulaverit foras ſuper baculum ſuum, innocens erit.* Quem quidem locum haud benè intellexit gloſſator ad legem primam, de emendatione ſervorum, qui in triduum vulneris periculum coarctavit, dum inquit: *ſurgente infirmo & poſt triduum baculo incumbendo ambulante, non vulneris periculo,*

Locus ſacræ ſcripturæ. Exod. 21.

Gloſſator taxatur.

Digitized by Google

riculo, ſed exceſſui ab ægrotante commiſſo mortem tribuendam eſſe: cujus ſententia plane rejicienda eſt, quia vix quiſquam tam lethali vulnere percuſſus jacet, qui poſt triduum baculo nixus aliquantulum ambulare nequeat. Neque ibi ulla ſit tridui mentio, ſed ſolum dicitur, ſi ſurrexerit & ambulaverit foras ſuper baculum, quod poſt longum temporis intervallum, & declinationem morbi ac fere abſolutam curationem intelligendum eſt, præſertim ſi vulnus grave fuit: Potiusque ſacræ ſcripturæ locus de illo intelligitur, qui poſt illatum vulnus non ſemper à malo in deterius properavit: quique lapide vel pugno fuerit percuſſus & non gladio, ex quo percuſſorem intentionem interficiendi non habuiſſe creditur, ſiquidem arma ſecum non attulerat. Quidam verba illa: *ſi ſurrexerit & ambulaverit ſuper baculum ſuum, innocens erit*, metaphoricè exponunt, per *baculum* plenam ſanitatem & fortitudinem intelligentes, juxta illud Ezechielis: *ecce ego frangens baculum panis in Jeruſalem.*

Loci expoſitio.

Altera expoſitio metaphorica. Rab. Salom & alii.

Medicus in iudicio pronunciaturus Deum conſideret.

Ex his tam multis liquet, quantâ ſit opus prudentiâ in re perdifficili & maximi ponderis, ut ſi quando de inflictis vulneribus rationem reddere ſit neceſſe, & eos, de quorum capite agitur, vel eximere, vel talionis pœnæ noſtro teſtimonio addicere; id inculpatè præſtare poſſimus, ne in magnum incurramus ſcelus, dum eum qui meritò vindicari à mortis culpâ poſſet, noſtro teſtimonio mortis reum faciamus: vel quem ob illatum lethale vulnus ſanctiſſimæ leges talionis pœnâ damnarunt, illæſum ſervare velimus: ideoq; in hoc negocio animum ab omni affectu liberum habere oportet, Deum conſiderantes, noſtrorum operum & animi noſtri inſpectorem nobis ſemper adeſſe, & improbitatis eſſe vindicem, ac ultorem, ſi contra veri, æquiq; leges, quicquam pronunciaverimus; fautorem vero & approbatorem bene conſtitutæ veritatis, cui uni tantum innitendum ſit, remotis omnibus humanis reſpectibus. In explicanda verò ſententia medicus propoſito prius caſu ac quæſtione, imploratoq; divino auxilio mentem ſuam aperiat, eamque probatiſſimis auctoribus, validiſſimiſque rationibus confirmet; tunc deinde ſententiam claudat his verbis: *ſic ſentio ego: N. Medicinæ doctor, in quorum fidem ſupradicta exaravi, & manu propria ſubſcripſi.* Plures teſtimoniorum formulas affert Bap. Codronchius, nos tamen hanc ut communiorem pro tyronibus adduximus.

Pronunciandi methodo

Tractatu de meth. teſtificandi.

Cæterum qui vivus in aquam ſubmerſus interiit, cognoſcitur, quia

quia venter inflatur aqua plenus, & ex naribus mucoſitates profluunt, ex ore vero ſpuma: digitorum extremitates corroduntur, & exulcerantur, quia quaſi furibundus periit, quærens in arenâ, ubi poſſit conſiſtere, ut mortem vitet. Ei verò qui mortuus jam in aquam fuit projectus, nec venter inflatur, quia viæ ſunt præcluſæ, neque ſpuma apparet, quia nec reſpiratio aderat, multo minus digiti corroduntur, quoniam cum morte non fuit luctatus. Neq; inſuper omnia cadavera inflantur in aqua & ſupernatant, ob incluſam aquam; ſed propter vapores, in quos corporis humores a calore præter naturam fuerunt converſi: nec tamen omnia tumeſcunt, ſed illa ſolum, quæ ex ſordibus & humiditatibus aquæ fuerunt corrupta, & poſt magnum temporis ſpatium ad littus rejecta.

Mortuus an vivus in aquam ſubmerſus fuerat, ut cognoſcatur.

QUOMODO AMISSA VIRGINItas: & alterius utrius conjugis ſterilitas deprehendatur.

CAPUT XII.

Ardua & perdifficilis ſæpe ſolet controverſia excitari, circa virginitatem, aut quia maritus ſponſam virum antea expertam fuiſſe contendit, ut in jure Pontificio continetur, *de probationibus, capit. propoſuiſti:* aut quia monialem aliquam reliquæ affirmant eſſe corruptam, aut odio, aut zelo, ut non ita pridem accidiſſe novimus. Ita ſolent jureconſulti hanc quæſtionem obſtetricibus extricandam committere: quæ duobus potiſſimum ducuntur ſignis ad dignoſcendum corruptas, vel incorruptas. Primum deſumunt ex membrana ſeu pellicula quâdam carneâ, quæ hymen ſive Eugyon à quibuſdam nuncupatur, venis conſperſam, quam uteri cervicem dirimere, in opere *de natur. mulier.* ex quorundam ſententia diſputavimus. Secundum verò indicium capiunt, ex partium conniventia & locorũ anguſtia. Quæ tamen parum ſufficientia eſſe exiſtimo, primum quidẽ, quia membrana illa, ut ibi diximus, in nullis aut pauciſſimis virginibus, dum diſſecantur, reperitur: nec diligẽtiſſimus Galen. ejus unquã meminit: & nonnullæ adoleſcentulæ adeo laſcivæ inveniuntur, ut manu aut inſtrumento illã, ſi quæ eſſet, dirumpere

Virginitatis indicia.

poſſent, vel etiam ut menſes provocent, aut ex caſu violento. Secundum indicium parum etiam firmum videtur, quia ex uno aut altero congreſſu collum pudendi non adeo dilatatur, ideo fieri poterit ut fœmina ſit violata & tamen loca adhuc anguſta ſint. Secundò quia aſtutæ quædam mulieres & in lenocinio verſatæ medicamentis impenſe adſtringentibus eas etiam, quæ frequenti congreſſu fuerunt uſæ, adeo coarctant, ut denuò virgines & incorruptæ videantur: adhibitâ etiam, ut refert Fragoſus, piſcis veſiculâ ſanguine plenâ, ne deſint ſpolia illa, quæ quibuſdam pro indubitato virginitatis ſigno celebrantur. Ex quibus colligere licet abuſus incolarum regni Feſſani, & aliarum etiam nationum orientis, ubi uſu receptum eſt, ut interim dum nuptiale convivium apparatur, præmiſſis quibuſdam matrimonii ceremoniis, ſponſus & ſponſa cubiculum ingrediantur, vetulâ quadam intereà præ foribus exſpectante, donec è manu egredientis ſponſi linteum ſanguine delibutum accipiat, quod magno applauſu atq; lætitia convivis oſtendit, atq; ita procedit hilaritas & convivium celebratur: ſin autem ſanguis in linteo non reperitur, convivæ triſtes recedunt, & ſponſa parentibus magnâ cum ignominia redditur.

Lenarum aſtutia.

Orientaliũ mira conſuetudo in nuptiis.

Alii ex lacte in mammis virginis corruptionem arguunt, quod tamen argumentum nullum omnino eſt, alias non dixiſſet Hipp. *Si mulier quæ neq; gravida eſt, neq; peperit, lac habet, huic menſtrua defecerunt.* Et Ariſtoteles refert, viros interdum tantam lactis copiam in mammis habere, ut ſugi queat: Cardanus affirmat, vidiſſe Venetiis virum triginta annorum cui adeo lac in mammis abundabat, ut non ſolum ſufficeret puero lactando, verum etiam ſaliendo prorumperet. Criſtophorus Vega ſcribit, virginem vidiſſe, cui menſes defecerant, & magna erat in mammillis copia lactis, quam propterea medicus incautus, cui eius rei determinatio fuerat commiſſa, prægnantem eſſe dicebat, quam tamen ipſe acerrimè defendit, affirmans, ex ſolo defectu menſtruorum id accidiſſe, & novem tranſactis menſibus nullo ſecuto partu, menſibusque redeuntibus, paulo poſt inculpatam eſſe apparuiſſe. Similem etiam vidi ego & curavi Hamburgi probis & inculpatis moribus virginem, cui & menſes ſuppreſſi erant, & tamen alba ac multa purgamenta ex utero fluebant, & ex mammillis lac copioſum, ita ut ipſius cognatæ de integritate etiam dubitarent, quas tamen iiſdem rationibus placavi.

Corruptionis indiciũ.
5. aph. 39.
Viri interdum lac habent in mãmillis.
4. delt ſtor. anim. 20.
Scip. cit. aph
Aliud ſignũ

Baptiſta Codronchius, cum adimadverteret hæc ſigna fallacia eſſe

vitiata mu-lieris.

eſſe ad aliud confugit, ex urina deſumptum, quam dicit in corruptis craſſiorem eſſe ac turbidiorem, propter latiores patentioreſque vias, & uteri recrementa commixta: quæ tamen inutilia mihi videntur, quia naturale virginum foramen ſatis ad craſſam & turbidam emittendam eſt, undecunque profluat. Si enim per idem foramen ſemen virile penetrat, ita ut fœmina virgine permanente gravida fiat, ut in furtivis congreſſibus interdum accidit, in quibus puellæ virum planè non admittunt, ut infamiam vitent, aut quia ejaculatum fuit ſemen antequam ipſa fuerit deflorata: unde illud Avicennæ dictum: *quibus os uteri concluſum eſt, aut non concipiunt; aut ſi concipiant in partu moriuntur*: Poterit procul dubio multo facilius urina quantumvis craſſa, ac turbida emitti, ut obiter conſtet quid ſit reſpondendum; ſi forte judices interrogent an fœmina fieri potuerit gravida virgine nihilominus permanente. Addit Codronchius ex Plinio, & Alberto Magno, ſuffitum ex gagate lapide aut lapatho, cujus exhalationem ſi mulier pannis contecta ad os vel nares percipit, vitiatam eſſe credit, aut ſi inde palleſcat: quod ſi ex melanthio ſuffumigia fiant, quæ virum fuerit experta, ſtatim mingere ſcribit:

Vt poſſit fœmina concipere virgine permanente.

Signum tertium.

Mercurialis verò adducit aliam antiquarum mulierum conſuetudinem, quam à pleriſque omnibus noſtri temporis ignoratam eſſe dicit, eam tamen ab aliis ego multò antea acceperam, nec ſcitu eſt indigna. Nam dum virgo deſponſata primâ nocte cum ſponſo erat concubitura, colli menſuram filo circumdato capiebant: poſtero mane eodem filo collum menſurabant, quod ſi latius, quàm ut filo comprehenderetur, inveniebant, defloratam ea nocte fuiſſe pro certo habebant: ſin vero nihilo majus evaſerat, adhuc pro incorruptâ habebant. Meminit hujus conſuetudinis Catullus in nuptiis Pelei & Tethydis dicens:

Quartum indicium. 6. var. lect. c. 6.

Non illam nutrix orienti luce reviſens,
Heſterno collum poterit circumdare filo.

Sumitur hujus rei ratio ex Ariſtotele, quia quo tempore coire incipiunt homines, vox mutatur in aſperiorem, & minùs acutam, ideoq; qui vocem conſervare volunt, à Venere abſtinent, quia inſtrumenta vocis, quæ intra collum ſunt, primo coitu dilatantur, ac ſubinde collum ipſum augetur in craſſitudine; quia fortaſſe ſemen, dum ab univerſo corpore, & ſubinde à capite per colli vaſa præcipitatur, vias illas cogit & ampliores reddit: vel (quod potius exiſtimo) quia corpus primo coitu magnopere agitatum, ubique & maximè circa collum humoribus & ſpiri-

7. hiſt. anim. 1.

Cur à Venere abſtineant qui vocem ſervare volunt.

ſpiritibus diffuſis repletur, & in majorem molem attollitur, & hoc ſignum certius quibusdam videtur ad vitiatam dignoſcendam. Sic referunt Albertum Magnum ex muſæo ſuo puellam ex œnopolio vinum pro hero afferentem in itinere vitiatam fuiſſe deprehendiſſe, quod in reditu ſubinde cantilans mutatam haberet vocem ex acutâ in gravem: quo etiam ſigno forſitan uſus fuit Democritus, qui Hippocratis puellam prima die ut virginem, ſecundâ ut fœminam ſalutavit, quam tamen mutationem tam ſubito fieri poſſe, mihi perſuadere vix poſſum.

Quæſtio cujus conjugis vitio generatio non procedat.

Solent præterea judices eam quæſtionem medicis deferre, ut ſententiam dicant ac declarent, cujus conjugis culpâ generatio non procedat, quâ in re hactenus ita determinari conſuevit, ut tàm impotentia ex frigiditate, quam ex maleficio in viro aut in fœmina matrimonium impediat contrahendum, contractum dirimat: & maleficiatis concedunt leges, ut cum alia contrahant, frigidis vero non. Quod jurisconſultorum dogma non plane conſtat, & ob rationes à nobis alibi allegatas, frigidos etiam poſt ſeparationem cum altera contrahere poſſe cenſemus, cujus placiti rationem reperies noſtro lib. *de morbis mulierum:* ſubinde etiam qui frigidi propriè dicantur, & qui maleficiati: & quantum temporis requiratur ad cognoſcendam impotentiam perpetuam aut temporariam: nec non morbos omnes, qui curationem recipiunt, matrimonium non dirimere, quantumvis conjugium præceſſerint. An vero mulier ſciens volens partum corruperit abortivis medicamentis, nullâ ratione melius ſciri poterit, quàm ſi nullo premente morbo aut ſonticâ causâ medicamentum ſuſceperit, ex eorum genere, quæ abortum provocare, fœtum perimere, aut ejus membranas corrumpere valent, quorum catalogum citato opere reperies.

Iuris placitum emendatum.

lib. 3. c 2. in ſch.

An mulier partum corruperit.

p. 2. lib 4. cap. 2. 6 7.

De tempore partus naturalis.

Nil autem frequentius jureconſulti à medicis interrogare conſueverunt, neque ulla in re magis inter ſe diſſentiunt, quàm in tempore quo naturalis partus contingere ſolet, & à quo, ac quomodo legitima computatio ſit ineunda, tum ut noſcant, cui aſſignanda hæreditas ſit, cui vero deneganda, ſi forte nuper nupta antè ſeptimum poſt nuptias menſem: aut ſi vidua, decimo vel undecimo à viduitate menſe pepererunt: tum etiam ut ſcelera hac in re punire, aut à crimine liberare honeſtas fœminas poſſint. Quos omnes caſus & vidimus, & de iis

de iisdem fuit noſtrum judicium poſtulatum: Et conſtantiſſimè cenſemus ſeptimo duntaxat, nono & decimo menſe legitimum edi fœtum, quicunque vero temporius aut ſerius à viri abſentia in lucem veniunt, ſuppoſititios & illegitimos eſſe, ut latius in prædicto opere continetur, ubi de his exactiſſimè diſſertavimus, ita ut nullus jam relinquatur iureconſultis controverſiarum locus, ſi, quæ ibi de hac re ſunt elucidata, penitius legerint, quæ quidem hic non repetimus, ne repetitio faſtidium pariat, & actum agere videamur. Subit tamen mirari, quorundam tam medicorum quàm theologorum noſtri temporis audaciam ac temeritatem, qui pretio haud dubie ducti, ni fatui omnino fuiſſent, auſi ſunt è ſuggeſtu pro miraculoſis prodigioſiſque prædicare partus quarti menſis. *Medicorum quorundam & concionatorum audacia.*

DECLARANDI RATIO CIRCA emptitios ſervos.

CAPVT XIII.

Pleræq; omnes nationes, ſeptentrionalibus exceptis, emptitiis ſervis utuntur, in quorum emptione venditioneq; medici conſilium expetunt, ut intelligant ſintne ſani, an valetudinarii. Quâ in re ut prudenter ſe gerat medicus, ſedulò conſideret prius captivi colorem in loco luminoſo & claro, ſi enim remiſſus ac minimæ vividus apparet, viſcerum præſertimque jecoris, ventriculi, aut lienis infirmitatem ſignificat. *Color ſervi.* Secundo univerſi corporis cutis inſpiciatur, ne ullo ſcabiei genere fœdata ſit, præſertim lepra, ſeu elephantiaſi, quæ præter fœditatem, & contagium periculoſa eſt affectio: *Cutis.* neque etiam varicibus quæ ſunt dilatationes venarum in cruribus ex ſanguine craſſo & melancholico: *Varices.* nec morphæâ, quæ *Albarras* ab Arabibus nuncupatur, à Latinis *vitiligo*, & eſt defædatio quædã coloris ex errore facultatis nutrientis, Hiſpan. *mella* dicitur & triplex reperitur, alba, nigra, aut rubicunda, pro ratione humoris à quo oritur. *Vitiligo.* De qua videre licet Galen. Avicen. Raſium, & plures alios ſcriptores. Tertio ne glandulæ, ſtrumæ, aut ſcrofulæ, in collo vel in alia corporis parte ſint, vel ſcyrrus, aut ædema, qui tumores longo tẽpore durare ſolent, & in adenibus occultari *Glandulæ. 3. de cauſ. ſympt. 2. 7. 4. tract.* Quarto capitis pili & totius corporis cõſiderẽtur, an ſint validi & firmiter adhęreãt, præſertim ciliorũ & palpebrarum *Pili.*

Copia. brarum pili non ſint rari,nec vox rauca: hæc enim ſi cum rubore faciei conjungantur,lepram portendunt: Nec inſuper alopeciâ laboret, quod *Alopecia.* vitium in Venerea lue communiſſimum eſt,& brachiorum ac juncturarum debilitas,idcirco jubeat, ut brachia fortiter moveat verſus humeros,& tàm brachia quàm crura & manus æqualitatem ſervent ac proportionem:jubeat præterea, ut firmiter incedat, & rem aliquam arctè conſtringat,quod ſi facere poteſt,roboris,ſin minus,totius corporis debilitatis indicium eſt. Quinto auditus conſideretur, an ſit promptus & acutus, quod ex ſermone & verbis ipſius facilè percipitur: adhæc an habeat reliquos ſenſus acutos: an oculorum pupillæ ſint æquales,& color eorum [illegible]us, nam obtuſus & obſcurus melancholiam, pallidus ictericiam, ruber inflammationem demonſtrant:deinde etiam an palpebras expeditè moveat, nec tamen nimis celeriter: vel ſi qua aſperitate aut vitio infectæ ſint: aut juxta oculorum angulos fiſtula ſeu vitium aliud exiſtat. Sexto, anhelitum medicus contempletur, ne olidum ex ore aut naribus exſpiret, quod putrefactionis germen eſt, aut ulceris in naribus:neve etiam læſa reſpiratio ſit, quia incipientis aſtmatis ſignum exiſtit. Septimo inſpiciantur dentes, an rectè ſint diſpoſiti, validi, firmi,& candidi:aut è converſo parvi,corrupti,& vacillantes, aut corroſi. Octavo conſiderentur partes corporis, an ſint carnoſæ & amplæ, quippe qui pectore ſunt exiguo,& humeros habent prominentes, quos alatos vocamus, ad phthiſin ſunt propenſi. Tandem ſupinus jaceat, & ventris partes ac hypochondria attrectentur, ne in illis obſtructio aliqua ſive tumor lateat. Reliqua inſuper morborum indicia & temperaturarum ſigna, quæ Galenus in arte medica deſcripſit, ad hanc rem non parum faciunt.

Æqualitas membrorũ. *Auditus.* *Oculi.* *Anhelitus.* *Dentes.* *Partes corporis.* *Hypochondria.*

VTDE-

UT DEMONSTRETUR, NON MINUS utiliter quàm honeſtè atque prudenter in morbis muſicam adhiberi: ipſius encomia præmittuntur.

CAPUT. XIV.

NOn erat, quod hac de re perfectum medicum admonere- mus, niſi quorundam eſſet ſuperſtitioſa opinatio: qui muſicam in morbis admittere piaculum judicant planè gentilitium atque profanum. Ego verò ſi muſicam in morbis non utilem ſolummodo & neceſſariam eſſe, atque adeo non ſine ſcelere duntaxat, verum etiam cum laude & honeſtate adhibendam eſſe comprobavero, homines, qui huic idioticæ perſuaſioni anſam dederunt, ad meliorem frugem perducturum ſperabo: deinde etiam medicos tyrones edocebo, quibus rationibus iis, ſi fortè in ſententia perſeverent, reſpondendum ſit. Obiter enim ex orationis ſerie innoteſcet, ſpecioſas magis eſſe quàm firmas rationes, quibus illi pernicioſum ſuum errorem propugnare conſueverunt. Quamobrem noſtram hac in re operam libenter impendimus. Atque ut id paulò altius repetamus, præmittere oportet muſicam triplicem eſſe, harmonicam, quæ ex vocum cantibus conſtat: organicam, quæ ex flatu conſiſtit: & rhythmicam, quæ impulſu digitorum numeros recipit. Nam aut voce editur ſonus, ſicut per fauces; aut flatu ſicut per tubam & tibiam: aut impulſu, ſicut per citharam & reliqua inſtrumenta, quæ percutiendo ſonora fiunt. Porro in muſica vocali tria potiſſimum conſiderantur, vocis præſtantia, modulationis peritia, & hiſtoria. Vox auditum, modulatio intellectum, hiſtoria mentem reficit. Eſt autem tàm hæc, quàm inſtrumentalis, peritia modulationis ſono cantuq; conſiſtens, & habita fuit ſemper ars conſummatiſſima, ut quæ corporis habitudines, animique affectus ac mores hominum componit, ideoque tàm turpe olim fuit, muſicam neſcire quàm literas. Interponebatur enim non modo ſacris, ſed & omnibus ſolemnibus omnibusq; lætis, vel triſtioribus rebus. Nam ut in veneratione divina pſalmi & hymni; ita in nuptiis hymenæi; & in rebus mœſtis thre-

Error quorundam detegitur.

Muſica triplex.

In Muſica vocali tria conſiderantur

Muſices definitio.

Muſica laudes.

ſtis threni ſive lamentationes canebantur. Eſt autem muſica penè infinita, nec ullo ingenio exhauriri poteſt, quippe, ea cœleſtia temperantur, mundana ſive humana reguntur, animus elevatur, & à curis redimitur, exterminantur ſollicitudines, & participatione lætitiæ & quietis exultatione quadam in Deum mentes humanæ ad angelorum ſocietates trajiciuntur; Denique ſenſibus voluptatem conciliat, naturæ harmoniam, & intellectui beatitudinem quandam elargitur. Hæc noſtrorum ſpirituum ſimilima, tàm facili quàm inviſibili tranſitu multorum replet auditum, & corporum denſitatem penetrans quaſi tractu animum movet, & pro arbitrio ſuo nunc deiicit, nunc extollit: ac mentem ita demulcet, ut metum, iram, & triſtitiam ableget, eamque revocet à rerum terribilium conſideratione, & magnam præſtet animæ hilaritatem, & quod divinus pſalmiſta dixit, cor lætificat, ac ſicuti lupinorum amaritudo amittitur, ſi in aqua macerentur; ita animi aſperitas, ſi muſica levigetur. Et ſanè ſi vox humana tantam habet energiam, quantam jam antea demonſtravimus, multò majorem eam habere conſequens eſt, ſi certis quibuſdam menſuris atque concentibus proferatur, magiſque movere affectus & provocare in diverſum habitum ſenſus, quod in prælìis manifeſte apparet, ubi tubæ concentus pugnantes accendit & legionibus in acie dimicantibus mortis metus claſſico depellitur. Et quantò vehementior fuerit clangor, tanto fit fortior animus ad certamen: & remiges cantus hortatur; & ad tolerandos opificum labores animum mulcet; & ſingulorum operum fatigationem modulatio vocis ſolatur, ac excitatos quoque animos ſedat. Quid? quod & beſtias, nec non ſerpentes, volucres, atque delphinos ad auditum ſuæ modulationis muſica provocat: intrinſeci quoque venarum rhythmi ipſius naturæ commotiones nobis declarant? Denique ejus virtute maligni ſpiritus violentia cohibetur, & illius in ſubditis ſuis minuit muſicæ gratia poteſtatem: ſic cum ſpiritus malus Saulem invaſiſſet, pſallebat David cum cithara in manu ſua, donec ſpiritus à Regis infeſtatione quieſceret. Sed & mentis ad Deum elevationem præſtat, ita Propheta ut melius reciperet Dei inſpirationes, præparat ſe muſico inſtrumento, quam cauſam fuiſſe putant plerique, cur Eliſæus rogatus divinum reſponſum, pſalten ſibi accerſiri poſtularet. Ideoque in celebrandis ſacris & lau-

Muſica cor lætificat.

Muſica vires, & de rerum proprietat.

Hiſtoria ſacra ſcriptura.

Digitized by Google

Muſica uſus in celebrandis divinis precibus.

& laudibus divinis, piorum cœtus canticis, pſalmis, & ſuavibus utuntur inſtrumentis, juxta Davidis exhortationem, qui vult nos regni & exſultationis ſuæ eſſe participes: *Sumite*, inquit, *pſalterium, date tympanum, pſalterium iucundum cum cithara*; ſed ad quid? *ut laudetis Dominum in tympano & choro, in chordis & organo, laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, omnis ſpiritus laudet Dominum.*

Muſica uſus præcipuus.

Hic enim muſices uſus præcipuus eſſe debet, cui alter ille annectitur, animum demulcere & humanas ſollicitudines exuere, quibus ſubinde depoſitis expeditius animus ad divina transfertur. *Exultabunt*, inquit ulterius, *cum cantavero tibi, labia mea:* Et quanquam mortalium plerique in eum finem muſica uſi ſunt, quia per ſenſibile hoc ſignum inviſibilem divinitatem ad ſe poſſe adtrahere exiſtimârunt, potius tamen hoc medio nos ipſos mobiles ad immobilem divinitatem attrahi credendum eſt, non aliter quàm appellendo navem in portum, reſti ejectâ putant nautæ terram attrahere tametſi immobilem, quo conatu ad terram ſe ipſos potius trahunt: ita etiam muſicâ humana divinis conjungi certum eſt, non quod mentem attrahat divinam, ſed quod mentem humanam erigat & à ſenſibus abſtrahat.

Simile.

Mentem erigit.

Neque vero organo decachordio, tympano & aliis inſtrumentis muſicis utimur, ut Deum & divina, quaſi fœminam emolliamus, quia noſtris blandimentis angeli non capiuntur; ſed his omnibus utimur in eos, quos diximus, uſus, ac ut Deum exaltando, noſtram ſubjectionem & obœdientiam humilime profiteamur, & omnem voluptatem humanam in res divinas conferamus.

Muſica moralitati connexa.

Cæterum muſica non ſolum ſpeculationi, verum etiam moralitati connexa eſt, nil enim tam humanitati proprium, quam dulcibus modis remitti, contrariis affici: ita reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Idque non tantum in ſingulis vel naturis vel ætatibus, verùm per cuncta diffunditur ſtudia. Nam infantes, juvenes, nec non ſenes ita naturali affectu modis muſicis adjunguntur, ut nulla planè ætas à cantilenæ dulcedine ſejuncta ſit, omnibus ſiquidem alimenta diſpenſat, & ſua puritate viget in ſingulis, niſi molis corporeæ gravitate premantur, aut tranquillitatem ſpirituum exteriores tumultus concutiant: quibus etiam irruentibus nil ſalubrius, quam ſi ſuis quaſi naturæ vocibus à compreſſione turbarum

 ad ſe

Vox ſimilis ſpiritui. ad ſe ipſam enima revocetur. Nil enim noſtrorum ſpirituum poteſt eſſe ſimilius voce, quæ aut ſpiritus eſt, aut ſanè ipſius ſpiritus vehiculum. Viderat certè Ariſtoteles, ad delectationem, ſedationemque anxietatum, & paſſionum animi muſicam multum conferre, ideo pueros eam *Pueri muſicam diſcant* edoceri commonefecerat. Socrates in ſenectute muſicam didiciſſe fertur, credens, ſi muſica deeſſet, ſibi cumulum ſapientiæ defuturum. Lucius Sylla vir magni nominis optimè cantaſſe traditur. Sed non mutuetur ſuffragium gentium ea, cujus ex ſanctis patribus plerique omnes peritiſſimi fuerunt, Abrahamus, Moyſes, & David, qui eam inprimis multis laudum præconiis extulit. Itaque honeſtæ muſicæ uſus & utilitates *Epilogus.* ſunt, mentem componere, & ad Deum erigere: curas & ſollicitudines depellere: lenire labores: ſpiritus recreare & excitare: malos abigere dæmones: humani corporis harmoniam conſervare; deperditam inſtaurare: & humana cœleſtiaque connectere. Hæc vero ad eos pertinent, qui rectiſſimam virtutis regulam tenentes, ex abundantiâ cordis pſallunt & laudes Domini modulantur: aut in eum finem, & ad animi ſui compoſitionem dulces concentus audire conſueverunt.

NOTANTVR, AC REJICIVNtur Muſicæ abuſus.

CAPVT XV.

NIL tamen eſt in rerum natura tàm laudabile, nil tam utile, quod malitia humana in ſuos abuſus non converterit. Sic aſtrologia facile in necromantiam delabi- *Artium depravatio.* tur: ſic medicina quæ ad inſtaurandam conſervandamque valetudinem à Deo creata eſt, aut precio, aut dolo ludificata ſæpe infanticidia dat: & jurisprudentia, cui lites componere & rempublicam in tranquillitate gubernare finis eſt, à quibusdam advocatis, quos accipitres pecuniæ Plato vocat, ſæpe pervertitur, & ab iis, qui oculos juſtitiæ fruſtrantur, cavillanturque, ut lites trahant, dum plane voraverint, depilaverintque eos ipſos, quos defendendos ſuſceperant. Nil igitur mirum, ſi easdem viciſſitudines muſica patiatur, quas reliquæ præſtantiſſimæ diſciplinæ, quæ prout animo ſunt affecti, qui illis imbuuntur, ita ſpeciem induunt

induunt aut vitii aut virtutis, & araneæ aut apis inſtar ex floſculis ſuaviſſimum rorem, aut deteſtabile venenum eliciunt. Præſertim vero muſica, cujus proprium eſt animi affectiones intendere, pacatum & benè compoſitum ad divinitatem elevat: laſcivienti verò vanitatis ac voluptatis affectus exprimit. Qui enim carminibus laſcivis capiuntur, vocis gratiam concupiſcentiis ſuis proſtituunt, & lenociniorum clientulam muſicam faciunt. Et quia modis Babyloniis feſtivi fiunt, facilè colligi poteſt, cœleſtisnè Hieroſolymæ, an terreſtris Babyloniæ cives ſint. Verum non debet ſpecies laudabilis diſciplinæ ab alieno vitio deformari, & ab iis Liberi patris filiis tibicinibus & citthariſtis, qui arte diviniſſimâ abutuntur: Neſcio tamen quo malo plures noſtro ſeculo hoc genere muſicæ capiuntur, niſi fortaſſe, quia ut depravata eſt natura humana, nitimur in vetitum ſemper. Nam quid aliud hi faciunt, quam venenata quadam dulcedine veluti Syrenes hominum animos laſcivientibus vocibus ac ſonis corrumpere, & humana corpora in vanæ voluptatis gaudia transportare, de quibus dictum: *Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſq; ad veſperum, ut vino æſtuetis, cithara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis & opera manuum eius non conſideratis.* Non damnat quidem muſicam, ad celebrandas feſtivitates Deo gratas: neque convivia, ad comparandas firmandasque hominum honeſtas amicitias; ſed horum abuſus, ex hominum malitia provenientes, ac muſicam illam quæ tota in corruptionis lenocinia tendit. Quæ ſanè inſtitutionis nullum habet uſum, & cum viriles animos accendere ad virtutem debuiſſet, induit potius meretricis faciem, dum impudicos conceptus exprimere nititur potius, quàm devotionem mentis excitare. Hinc Orpheus modulis ſuis mares effœminare conſuevit: centum luminibus cinctum caput Argus habebat, quæ omnia unius fiſtulæ voluptate non tam ſopita ſunt, quam extincta: ita Syrenum cantu detenti homines, ab eis unguibus dilacerabantur: hoc eſt, eorum, qui mulierculatum voculis & elegantiori formâ capiuntur, bona fama & vita ipſa diffunditur atque diſcerpitur. Philippus Rex Macedoniæ cum audiſſet filium quodam loco ſuavius ceciniſſe, objurgavit eum, dicens: nonne pudet quod tam bene ſcias canere? Sapiens Antiſthenes cum audiſſet Iſmeniam optimum haberi tibicinem, homo nequam eſt, inquit: non enim ſi probus foret, tibicen eſſet: noverat enim vir prudens ingenia & mores tibicinum illius temporis. Saluſtius

Laſciva muſicæ effectus.

Eſaiæ locus. cap. 5.

Hiſtoria.

reprehendit Semproniam, quod pſalleret & ſaltaret elegantiùs, quam neceſſe eſſet probæ; vituperant illi quidem ſaltationes & concentus laſcivos, non muſicam quæ citra levitatem fit. Ægyptii, teſte Diodoro, muſicam illam, tanquam virorum animos effœminantem, prohibebant adoleſcentes ſuos perdiſcere: & Ephorus, teſte Polybio, eam non niſi ad eludendos ac fallendos homines inventam tradidit: addere potuiſſet & ad expugnandam fœminarum pudicitiam: hanc Scipio & Cato tanquā à Romanis moribus alienam aſpernabantur: & Perſarum Reges muſicos hoſce inter paraſitos referebant. Hæc enim eſt, quæ ſympoſiorum malitiam acuit, & nil aliud impudicæ ſaltationes ac laſcivæ cantilenæ faciunt, quam qui ſerpentem intoxicant, igni ſtipulam addunt, & oleum camino. Sed nos omiſſis iſtius generis muſicis ad penſum redeamus.

Muſicam damnabant quidam nationes.

MUSICÆ EXCELLENTIA, ATQUE præſtantia, rationibus, auctorum ſuffragiis & experimentis comprobatur.

CAPUT XVI.

POſteaquam muſicæ uſus & abuſus longiori fortaſſe, quam par erat, oratione tradidimus, reliquum eſt ut eximiæ illius ac divinitatis participis muſicæ utilitatem & excellentiam primum rationibus, deinde etiam auctoritatibus & experimentis accuratius demonſtremus. Rationum *prima* ex dictis facile elicitur, nam cum conſtet, omnes artes ſive ſcientias ad finem aliquem utilem vitæ ordinari, tunc deinde muſicam artem eſſe, & inter artes honeſtiſſimum ſibi locum vendicare: planum ſubinde fit, utilem eſſe atque præſtantem. *Secunda*, ut qualibet triſtis ſenſatio dolorem infert, ita jucunda gaudium: facultas vero noſtra animalis (quæ ad vitam ſic neceſſaria eſt, ut eam ac reliquas cuſtodire nil aliud ſit, quam vitam ipſam conſervare) duplici parte conſtat, motiva unâ, ſenſitivâ alterâ, cumque quinque ſint ſenſitivæ organa externa, quorum viſus, variis ac jucundis coloribus; guſtus, ſuavitate ſaporum; tactus, moderatis qualitatibus tangibilibus; odoratus, gratiſſimis herbarum, florum, aut etiam thymiamatum halitibus reficitur; nemo tam erit abſona mente, imò à bono ſen-

Ratio prima.

Secunda.

Organa ſive ſenſus externi quibus reſitiantur.

no ſenſu alienus, nemo tam corporea mole obrutus, qui ambigat auditũ moderamine ſonorum, ac dulci concentu mirificè recreari, quemadmodum à rudioribus ſonis, & ſenſibili vehementiori interdum offenditur, ita ut jam ſæpe apoplexiæ ex ſolo bombardæ ſonitu fuerint excitatæ. Properas mollia linteamina ægrorum lectis ſubſternere, ne cuticula offendatur: roſis, floribus, viridibusque arborum ramis circumquaque omnia exornare, ut viſus oblectetur: cloacas obſcœnaque loca vitare, ne inquinatus aer olfactus ſpiritusque animales corrumpat: linguam abſtergis & humectas, potum exhibes gratum, & cibaria jucundi ſaporis, ſalſamenta exquiſita ſæpe comparas, & varia cupediarum genera, propter quæ terræ ſæpe & maria luſtrantur, quo refi[illegible]ur languentes, ac cibi faſtidio proſpiciatur: non niſi grata & perjucunda admittis colloquia confabulationesque, ne animus commoveatur: & muſicam quis excludere audeat? quæ ſenſoriæ facultatis partem unam eamque non infimam, ſed ordine ſecundam, auditum nimirum, & corpus univerſum reficit ac ſpiritus in ſua ſymmetria moderatur. *Tertia*, morbus melancholicus, ac triſtitia, curæ, & dolores, quæ quoslibet alios morbos ſolent concomitari, corpus extenuant, ſomnum impediunt, perpetuisque vigiliis plerumque hominem conficiunt, vires deſtruunt, febres accendunt, innatumque calorem reſolvunt & exſtinguunt; hæc autem nullo medio promptius quam muſicâ abiguntur, Galeno auctore in opere *de valetudine tuenda*, ubi muſicam dolores ſedare affirmat, ſeque plurimos ægrotos ſingulis annis ſanaſſe refert, eos duntaxat ad proportionem ac temperamentum muſicâ reducendo, & Æſculapium inculcat pleraque docuiſſe carmina ad eos reſtaurandos, quorum validi ac inordinati animi motus plus nimio incendebant corporis temperamentum. Præterea quia metus & triſtitia ita ſunt morbi melancholici accidentia, ut etiam fiant illius augendi cauſa, his autem nullâ ratione melius ſuccurritur, quam omnis generis oblectamentis expellendo mœſtitiam, & avocando mentem humanam à rerum terribilium conſideratione usque adeo, ut cum morbus nondum eſt inveteratus, neque humor plurimus redundat, ſola jucunda vivendi ratio ſoleat eſſe ſatis ad recuperandam ſalutem, ideoque muſicos adhibere, qui dextrè inſtrumenta pulſando, aut ſuaviori cantu auditum & animum oblectent, utile procul dubio & præceptis optimæ medicinæ conſonum eſt. *Quarta* ratio, ut nimii affectus vitia ſunt, & mor-

Tertia ratio.

lib. 1. c. 2.

Melancholiæ ſymptomata propria.

Digitized by Google

Id eſt, à temperamento, quia in multo contriſtatur natura mediocri gaudet ut Iſidorus ſcribit 4. etymologiar. c. 2.

Muſica virtus eſt.

& morbos efficiunt: ita media virtutem & ſanitatem conſtituunt (unde medicinam dictam à modo ſeu medio plerique autumant) & artes cunctæ mediocritatem quærunt; igitur & muſica quæ nimis altas, & nimis ſubmiſſas voces vitat, ad animi compoſitionem facit, & ad virtutem: imo muſica ipſa virtus eſt, nimirum concordantia illa humanarum mentium cum mente divina, & cum lege naturæ, quæ eſt divina quædam lux mentibus hominum inſita. Tollas hanc mediocritatem, æqualitatem, harmoniam atque concentum, quid quæſo aliud reſultabit, niſi confuſio quædam, & miſerabilis ſeparatio à divinâ mente? Tollas pariter ſenſuum ſymmetriam & harmoniam, quid aliud ſequetur, niſi animæ à corporis ſeparatio, atque mors ipſa, intentis nimirum, aut nimium relaxatis & depreſſis vinculis, quibus corpori annectebatur, ipſis videlicet ſenſitivis potentiis?

Quinta ratio.

Corpus animam ſequitur.

Quinta ratio ut corpus animam in ſua actione conſequitur, ita anima corpus in paſſione ſua concomitatur, ideo Galenus integrum conſcripſit librum cui titulum fecit *quod animi mores corporis temperamentum ſequantur:* ſic ex nimio corporis labore in laſſitudinem incidunt homines, & in febres: ex animi vero anxietate in melancholiam, cujus profundas ac triſtes cogitationes nullâ re melius quam muſicorum organorum concentu removeri Iſac ſcribit.

1. Viat. c. 20

Ut enim quiete & frigidis ac humidis rebus laſſitudo & febres mitigantur: ita melancholia & animi pathemata harmonicis ſedantur concentibus.

Orphei dictum.

Hac de cauſa Orpheus dixiſſe fertur, imperatores eum ad convivia invitare, ut delectarentur, ipſum vero ex illis viciſſim condelectari, quia quocunque vellet, eorum animos flecteret, ut de irâ ad manſuetudinem, de triſtitiâ ad hilaritatem, de avaritia ad liberalitatem, de timore ad audaciam.

Muſica divinum quippiam in ſe habet.

Muſica dæmones expellit.

Demum niſi reconditum aliquid atque divinum haberet muſica, cur pſalmodiandi uſu & muſicis inſtrumentis ac vocum ordinatâ melodiâ preces ſacræ celebrarentur? Quid? quod, ut pleriq; exiſtimant, mali dæmones exorciſmis abiguntur. Unde qui ſcribunt Saulem non humore melancholico âgitatum, ſed dæmone, dæmones muſicâ expelli putant, & citharæ Davidicæ pulſatione id factum, ob divinos hymnos, quos ille cantando recitabat. Nec nos latet alios naturalem quoque cauſam cum divinâ illâ conjunctam fuiſſe ſibi perſuadere, atque admirandum illum effectum ad utramque referendum.

fen. 1. tracta ou c. 13.

Avicennæ & Valeſii lapſus.

Avicenna nigram bilem affectus melancholici cauſam refert, quæ tamen à dæmone excitetur, ideoque evacuatâ atrâ bile, aut ſedatâ, dæmonem etiam remo-

